
B. JO. ALBERTI FABRICII
SS. THEOL. DOCT. ET PROF. HAMBURGENSIS

OPUSCULORUM HISTORICO-CRITICO-LITERARIORUM SYLLOGE

QUAE
SPARSIM VIDERANT LUCEM
NUNC RECENSITA DENUO ET PARTEM AUCTA
INDICE INSTRUUNTUR.



HAMBURGI,
SUMPTIBUS VIDUÆ FELGINERIÆ, cIↄ Iↄ cc xxxviii.

CONSPECTUS
OPUSCULORUM.

XV. De

* Opuscula Fabricii, in libris ipsius aut aliorum obviis excusa, in hanc Syllogen relata non sunt.

JOH.

JOHANNIS ALBERTI FABRI
DECAS
DECADUM
sive
Plagiariorum & Pseudonymorum
CENTURIA.

LIPSIAE,
Sumptibus hæred. FRID. LANCKISCHII,
Halis Saxonum Literis SALFELDIANIS.
ANNO M DC LXXXIX.

Ad Lectorem.

Necesse mihi esse video jam præfari, sed cum Enniano Neoptolemo paucis, nam omnino non placet. Tria itaque verba accipe. Scripseram nescio quo in loco † centum plagiarios me collegisse; eos hoc sive schediasmate sive libro exhibere Tibi volui. Ut vero de instituto meo aliquid constet, fateor, passim me nonnulla inspersisse de auctoribus, librorum editionibus &c. quæ ad tractationem de plagio exacte non pertinebant. Existimavi tamen legentibus non ingratissimam fore hanc varietatem, uti nec mihi scribenti fuit. Res enim tædii plena futura erat, per tot folia nil nisi mera furta observata legere. Quapropter & nullum observavi ordinem, & Anonymos aliquot ac Pseudepigraphos inserui, ita tamen, ut Plagiariorum centuriæ nihil quicquam inde detraheretur. Nam sub uno numero interdum tres, quatuor, quinque & plures plagii arguuntur, ut ducentos pæne furti literarii postulatos perstrinxisse me experturus sit, qui numerum inire volet. Quosdam, quibus falso plagium objectum fuisse observatum est, excusavimus, ut de ipsorum ingenuitate constaret, & fama eorum ab intentato crimine liberaretur. Quibusdam ipsi pudorem imposuimus, etiamsi major pars aliorum observationibus debeatur, quos diligenter allegatos Lector reperiet. Neque vero putet quis, omnes me, quos poteram, adduxisse, multo minus plenum plagiariorum catalogum texuisse. Ab omni ætate in

† in Decade recentiorum Scriptorum, n. 5.

omni genere scriptorum fuere, qui quod non parturissent pepererunt. Pridem est, quod Lysias Atheniensis scripsit λόγον περὶ κλοπῆς βιβλίων, uti ex Harpocratione cognoscimus. Neque pauci sunt qui post eum obiter id argumenti attigere. Nostra ætate præter B. Thomasium, cujus librum de plagio, & Dn. Almeloveenium, cujus Syllabum plagiariorum habemus, quot sunt qui aliud agentes Fidentinos perstrinxerunt, ut de Dan. Bartolo, Bartholino, Morhofio, Saldeno, Bailleto, Spizelio nihil dicam. Colomesius in Gallia Orientali sexcenta furta notata sibi esse testatus est, & auctor der Monatlichen Unterredungen, qui dicitur esse Dn. W. E. T. plagiarios quinquaginta supra ducentos præsto habere se ait. Quantum numerum à Cl. Placcio & aliis, qui idem hodie moliuntur, expectabimus? Quanquam sunt aliqui, quibus plagium tam late patet, ut si eos sequi velimus, omnes quiqui unquam quicquam in literas miserunt, plagiariis accensere debeamus. Quibus Poëtæ illud occinendum erat:

Parcius ista viris tamen objicienda memento.

Non enim quivis, qui exscribere aliquid dicitur, vel qui in singulis versibus auctores non allegat, plagiarius statim est. Unde B. Hieronymus libro I. adversus Rufinum: "Quod est peccatum meum? Illud nimirum, quod non eos, à quibus dicta sunt, nominarim. Superfluum erat." Verum hæc alias. Cæterum quale hominum odio excœcatorum de hoc studio nostro judicium fuerit, οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ φασί. Fortasse non adeo improbabitur doctis quibusdam & bonis hominibus, si me, ut ait ille apud Satyricum, culpam emendare permiserint.

CENTURIA PLAGIARIORUM.

Non ab re Pindarus in cujusvis operis initio *πρόσωπον τηλαυγὲς* requisivit, quod egregie prorsus hac vice observare mihi videor, dum veluti Owenus

A summo sumo Principe principium.

Primus itaque, quem in medium adducam, sit

I. LEO PHILOSOPHUS IMPERATOR.

Sextus hoc nomine, Basilii Macedonis filius, quem ipse suum *ἀείμνηστον πατέρα* appellat. Hujus *Tactica* a Leone Allatio † plagii postulata jam ante nos Jacobus Thomasius observavit, nihilominus denuo de eo verba facere voluimus, quod & inventus sit, qui Allatii verba transscripserit, & plura jam de Leone dicenda suppetant, denique excusandus nobis a plagio Imperator videatur. Latinam Tacticorum versionem Henrico VIII. Angliæ Regi inscripsit ediditque Basileæ A. C. 1554. Johannes Checus Cantabrigiensis. Allatii verba hæc sunt notis ad Hexaemeron Eustathii Sidetæ Antiochiæ Episcopi

† Alios vide Bibl. Gr. T. VI. p. 370. sq. ubi & p. 368. sq. totum hoc, quod de Tacticis Leonis legebatur in priore editione hujus Centuriæ, insertum reperitur. Quare iis quæ ad Bibliothecam Græcam spectant recisis, hic tantum quæ ad plagii crimen pertinent, exhibemus, quod & facturi sumus in sequentibus.

pag. 6. * *Leo Imperator Onosandri nomen, a quo multum profecerat, ingrate semper obruit silentio in Tacticis, nisi semel, cum ejus carpit sententiam.* Naudæus, postquam Checi Meursiique operam Leoni navatam, Philippi item Pigafetræ Italicam versionem cum notis non contemnendis editam commemorasset, *Omnes vero*, inquit, *illæ constitutiones Tacticæ magna parte succum suum traxerunt ex Onosandri strategico, cujus tamen auctoris nomen ingrato silentio bellus ille homo semper obruit, ita ut illius nullibi meminerit, nisi semel, cum ejus carpere vellet sententiam. Dignumque illud insuper observatione mihi videtur, quod hujus & Mauritii Imperatoris plerumque eadem aut parum diversa sunt verba, ut quemadmodum Galenum ex Paulo (Ægineta) aut Aetio, sic non difficile sit alterum ejusmodi auctorum ex alio auctiorem facere.* Hæc Naudæus pag. 82. dictæ Bibliographiæ quam ex ejus Syntagmatis de studio militari Romæ A. C. 1638. vulgati libro II. pag. 504. sqq. avulsam, seorsim ante hos sex annos Jenæ edidit Georgius Schubartus. ** Verum a plagii crimine Leonem absolvere videtur, quod non tantum in procemio dicit, se in veterum recentiorumque militaribus commentariis non perfunctorie versatum optima quæque ex iis delibasse, & ὡς ἄλλον πρόχειρον νόμον *** Hypostrategis suis tradere voluisse, sed & pag. 320. & 432. fatetur in hoc libro ea se collegisse, quæ ex veterum commentariis accedente mediocri experientia sua edoctus fuisset. Atque si ab auctore sunt Scriptorum nomina, quæ in codice illo membranaceo Busbequii constitutionibus præfixa fuisse Lambecius testatur, longe magis a furto literario alienus nobis habebitur, qui cum Plinio Majore ingenue, per quos profecisset, voluerit indicare. Ait autem Lambecius, majusculis literis adscripta se offendisse nomina ΑΡΡΙΑΝΟΥ, ΠΕΛΟΠΟΣ, ΟΝΗΣΑΝΔΡΟΥ, ΜΗΝΑ (forte ΑΙΝΕΙΑ) ΠΟΛΥΑΙΝΟΥ, ΠΛΟΥΤΑΡΧΟΥ Ex quibus tres tantum in Tacticis Leonis allegaros reperio, Ælianum quidem pag. 62. 90. 91. Arrianum pag. 90. Onesandrum pag. 215. Equidem pag. 431. ciratur quoque πτολεμαίου πρόχειρος κανὼν & τετράβιβλος, Aratus in phænomenis, & Johannis Lydi **** diurna ac menstrua observatio.

* Lugduni A. 1629. 4to.

** vide Acta Eruditor 83. p. 512.

*** Notari hic locus potest adversus Barthium, qui negat Leonem in hisce Tacticis loqui tanquam Imperatorem. conf. p. 10. 15 23. 27. 32. 50. 176. &c. ubi non monet tantum sed jubet.

**** De Lydo agit Meursius in notis, Vossius de scientiis Mathematicis, Cangii Glossar. lat. in *silentium*, & Jo. Boivinus ad Gregoram p. 786.

Sed

Sed non tanquam iis ad Tactica concinnanda usus Imperator fuisset, sed quod Astronomiæ studiosis hosce potissimum auctores commendandos arbitraretur. Cæterum alium hujus militaris argumenti librum a Leone scriptum fuisse recte colligitur ex verbis pag. 27. *Ἔξεστι δέ σοι ταῖς τε παρ' ἡμῶν ἰδίᾳ ἐκτεθείσαις γνώμαις ἐν τούτῳ τῷ συντάγματι καὶ προσέτι ταῖς κατὰ πλάτος συνηθροισμέναις ἡμῖν ἐν τῇ παραλλήλῳ τῶν τακτικῶν μονοβίβλῳ τὴν ἐκεῖθεν τῶν ζητουμένων πλείονα καὶ ἀρκοῦσαν συναγαγεῖν ὠφέλειαν.* Quem etiam innui puto pag. 200. Verba hæc sunt: *Περὶ δὲ τῆς πεζικῆς καὶ τῆς συμμίκτου εἴδη ἐροῦμεν ἅπερ ἀναγκαῖα κατὰ τὸν τοῦ πολέμου καιρὸν γενέσθαι νομίζομεν. Περὶ ὧν ἀκριβέστερον ἡμῖν ἐν ἑτέρῳ λόγῳ προώρισται.* De aliis hujus Leonis scriptis, præter eos, qui scriptores Ecclesiasticos ex instituto recensuerunt, ut Possevinus in Apparatu, Bellarminus, Gerbardus, Labbe, Olearius, Cave, Oudinus, du Pin &c. Baronius in Ann. citante Miræo, Natalis Alexander de rebus Sec. IX. & X. videri etiam possunt Vossius de Hist. Græcis & de scientiis Mathematicis, Bœclerus de rebus seculi IX. & X. præcipue pag. 245. Hankius de Byzantinarum rerum Scriptoribus parte II. c. XXIII. Ex quo illud forte referre ab hoc loco minus alienum est, quod Vossius judicium suum, super vita Chrysostomi, quam ex Georgio Alexandrino fere Leo Imperator contraxit, in opere de Historicis Græcis latum, ex Henrici Savilis notis sublegisse videatur. Savilis verba ita se habent. *Liber quidem hic fortasse rectius potuit omitti, cum nihil sit aliud quam Breviarium Georgii non bono judicio collectum, & pene barbare scriptum.* Vossii vero: *Nihil aliud est quam epitome eorum, quæ fusius tradiderat Georgius Alexandrinus Episcopus. Nec a pura dictione possumus laudare, cum ea sit prope barbara. Adde quod nec judicio sit magno usus in colligendo.*

II. FLAVIUS VEGETIUS RENATUS.

Hunc in suis ad Valentinianum Imperatorem *de re militari* libris aliorum subinde labores in usum suum convertisse pridem non pauci observarunt. Johannes Hocksemius Scholasticus Leodiensis, qui notante Scriverio vixit circa A. 1312. cum epitomata satis urbana Vegetium conscripsisse dixisset, locum ex libro ejus primo producit, quem ex Aristotelis libro VII. Politicorum desumserit. Quod epitomata vocet, innuere voluit, Vegetium aliorum similis argumenti libros quasi in epitomen contraxisse, atque hoc ipse minime diffitetur,

tetur, qui libri I. capite XXVIII. *Hæc*, inquit, *fidei ac devotionis intuitu, Imperator invicte, de universis auctoribus, qui rei militaris disciplinam literis mandaverunt, in hunc libellum enucleata congessi.* & libri III. capite IX. *Quisquis hos artis bellicæ commentarios ex probatissimis auctoribus breviatos legere dignabitur.* Atque iterum: *Digesta * sunt, Imperator invicte, quæ nobilissimi auctores diversis probata temporibus per experimentorum fidem memoriæ prodiderunt.* Denique lib. IV. *Ad complementum ergo operis majestatis vestræ præceptione suscepti* [primum librum Valentiniano obtulerat Vegetius, quem cum probasset Imperator, jussit eum reliquos quatuor subjicere, uti discimus ex prologo libri II.] *rationes quibus vel nostræ civitates defendendæ sint, vel hostium subruendæ, ex diversis auctoribus in ordinem digeram.* Illos autem, quos hodie habemus Vegetii quinque de re militari libros majoris operis esse epitomen, ceu vult Barthius, nullo modo probari potest, ac disertè repugnant prologi librorum, quin universa ratio scriptionis, nisi quod finem libri quinti deesse apparet. Falsum etiam est, quod Priscianus aliqua ex his libris alleget, quæ hodie in iis non reperiantur. Flavius autem Blondus libro IV. Romæ Triumphantis ex Sallustio non pauca sumpsisse Vegetium observat, quamquam Sallustiana illa quæ profert ægre hodie invenire possis. Interim Sallustius a Vegetio in testimonium citatur lib. I. capite IV. & IX. Johannes Henricus Bœclerus, ubi de Legione Romana differit, ** *notandum*, inquit, *præterea, quod Vegetius pauciora ex commentariis Catonis, plura ex principum Augusti, Trajani Adriani tum Frontini libris descripserit.* Quo in loco respexit ad verba Vegetii libro I. capite VIII. quæ illum tamen ab omni plagii suspicione absolvunt: *Hæc necessitas compulit, evolutis auctoribus ea me in hoc opusculo fidelissime dicere, quæ Cato ille censorius de disciplina militari scripsit, quæ Cornelius Celsus, quæ Frontinus perstringenda duxerunt, quæ Paternus diligentissimus juris militaris assertor in libros redegit, quæ Augusti, Trajani, Hadrianique constitutionibus cauta sunt. Nihil enim mihi auctoritatis assumo, sed horum quos supra retuli quæ dispersa sunt, velut epitomata conscribo.* Augusti Hadrianique constitutionum iterum mentio lib. II. cap. XXVII. Verum Catonis, quem in adducto loco reliquis etiam præponit sæpius, libri I. cap. XIII. & XV. sed præcipue libri II. capite III *Cato ille Major, cum & armis invictus esset, & consul exercitus sæpe duxisset, plus se Reipublicæ credidit profuturum, si disci-*

* Græce κεχωρισμένα. vide Salmas. ad verba Tertulliani de pallio c. 3. *Cedo jam de vestro quod Ægyptii narrant, & Alexander digerit, & Afer legit.* Adde Gennadii Catalogum in Severo Sulpicio.

** Prodiit hæc differt. Argentorati A. 1670.

plinam

plinam militarem conferret in literas. - - - Idem fecerunt alii complures, sed præcipue Frontinus Divo Trajano ob ejusmodi comprobatur industriam. Horum instituta, horum præcepta, in quantum valeo, strictim fideliterque signabo. Libro quinto, qui navalis belli præcepta exhibet, Varronis poriſſimum Navalibus uſus eſſe videtur, quæ laudat libri ejus capite undecimo. Modius, Naudæus cumque his alii a Modeſto epitomen Vegetii putidiſſimam illam quidem ſcriptam eſſe exiſtimant, ſed & illum a Vegetio compilatum ait Caſpar Barthius libri II. Adverſariorum capite XX. *Modeſti libellus ſane utilis ad veterem militiam intelligendam, nec recentior Vegetio, ut cenſent docti nonnulli, ſed quem Vegetius verbatim exſcripſerit, ut alibi demonſtrabimus.* Quibus autem argumentis adductus fuerit Barthius, ut Modeſtum iſtum Vegetio antiquiorem faceret, nos latet, qui contrarium veriſſimum eſſe perſuaſi ſumus. Nam ad illud quoque, quod putat in Claudianum notis, ex fine Modeſti tale quicquam aliquem ſuſpicari poſſe, facili negotio reſponderi poteſt. †

III. JULIUS AFRICANUS SEXTUS.

Quemadmodum hujus Sexti Chronicon transſcripſit Euſebius, ut Scaliger quoque putet, nihil luculentum vetuſtum aut excellens hodieque in Euſebio ſupereſſe, quod ex illo depromtum non ſit, ita viciſſim hic Africanus (alium enim gentilem eſſe, qui Ceſtos ſcripſerit, nolunt credere docti, Naudæus, Voſſius, Lambecius, Joh. Rudolphus Werſtenius, Guilelmus Cave & alii, ſecuti Euſebium, Photium & Suidam, contra quamvis nitentibus Scaligero ad Euſebii Chron. & Henr. Valeſio ad ejusd. Hiſtoriam) in libro *de bellorum apparatibus*, qui *ceſtorum* ejus nusquam hodie integre ſuperſtitum †† libri V. & VI. locum occupavit, plagii arguitur a Caſaubono ad Æneæ Poliorceticum pag. 31. *Ænea*, inquit, *tantum vetuſtas tribuit, * ut pleraque illius in ſua ſcripta ad verbum transferrent, qui poſt ipſum de re militari aliquid componebant. Exemplo eſt Julius Africanus, doctus cumprimis & antiquus ſcriptor, quem ex hoc ipſo commentario multa capita ἔπος πρὸς ἔπος deſcripſiſſe, iisque uſum pro ſuis in libro de bellorum apparatibus, ſuis locis infra probabimus.* Vide ſis notas ad cap. XXII. XXXIII. & XXXIV. A Polyæno quoque Æneam tacito ejus

† Conſ. Bibl. lat. T. I. p. 617. not. l. aut T. II. p. 110. not. c. edit. Venetæ.

†† Vide quæ ex Cl. Grammii epiſtola attuli in Commentario de vita ac ſcriptis Fabricii p. 262. ſq. & quæ ipſe Fabricius habet Bibl. gr. T. II. p. 595. ſq. & T. V. p. 268.

* Scaliger ad Caſaub. p. 333. Epiſt. Ἀρχίτου καὶ Αἰνείου τακτικὰ *quæ ab Æliano citantur, inter optima ſcripta reponas licet.*

nomine expressum notat Casaubonus pag. 105. Sed & ipse Æneas, eodem pag. 89. notante, capite XXXI. poliorcetici pæne ad verbum describit verba Herodoti, quæ VIII. Musarum habet de Timoxeno, qui Epistolis ad crenas sagittarum religatis clandestina consilia cum Artabazo Potidæam obsidente communicabat.

IV. LEONHARDUS FORTIUS.

Aliquot hactenus priscos rei militaris scriptores vidimus, paulo recentior est iste, de quo Naudæi locum nunc jam producemus, quo dubium relinquitur, utrum ille alterum compilaverit, an, quod vero similius esse videtur, hic ab altero fuerit transcriptus. Cæterum quod recentiores etiam bellicæ rei scriptores illam aliena sibi vindicandi artem didicerint, locuples auctor est Josephus Scaliger in Epistolis pag. 310. Ibi de Francisci Patricii * parallelis militaribus agens *solus*, inquit, *Patricius mihi videtur digitum ad fontes intendisse, quem ad verbum alii, qui hoc studium tractarunt, cum sequantur, tamen ejus nomen ne semel quidem memorarunt.* Sed de Fortio locus est in Naudæi Bibliographia militari pag. 104. *Leonhardus Fortius vulgari Græcorum metro libellum de militia edidit, variorum instrumentorum figuris adornatum, quæ omnino eadem visuntur in libro Italico, cujus titulus est:* Vallo libro apartenente a Cavallieri. *Ut difficile sit, conjicere, uter ab alio fuerit descriptus, sed prioris tamen ob linguam major est auctoritas, unde Rigaltio & Meursio frequenter laudatus invenitur.*

V. CLAUDIUS ÆLIANUS.

Pæne oblitus fuissem hujus scriptoris, qui suum περὶ στρατηγικῶν τάξεων libellum Hadriano Imperatori obtulit. Capite I. III. & XIX. Polybii mentionem facit, quæ loca postquam in Polybianis fragmentis recensuisset Casaubonus, *& hæc*, inquit, *nominatim ex Polybio Ælianus: nos vero alibi docemus, totum illius aureolum libellum pene ad verbum e Polybio esse descriptum.* Illius Polybii historiam quam bene Livius & Diodorus Siculus imitentur, disquirit Bœclerus sub finem Lectionum Polybianarum, quas ex MS. Augustano edidit Anno 1670. 4to. Ac Diodorus quidem Polybium non in judicio

* De Patricio vide Thuan. ad A. 1597. Erythræum Pinac. I. imag. 117. Teisslerium élog. des sçavans parte II. p. 265. De ejus discussionibus Peripateticis judicium ap. Jonsium p. 311. adde Launojum de varia Aristotelis fortuna cap. ult.

tan-

tantum de rebus gestis exponendo, sed in phrasibus quoque secutus est, *Livius vero ejusdem vestigiis passim adeo insistit, ut verbum verbo interpretetur.* * Etiam Suidas, observante Bœclero, non semel Polybii verba cum immutatione quadam describit, quo tamen nomine plagii arguendus non est, cum verba illa adducat, ut explicet. Alias de ejus plagio vide, quæ Cl. Thomasius animadvertit. *Ineptus, fateor, sed interdum non malus compilator*, ait Tanaquillus Faber ad Scaligerana prima, de Suida loquens. Hujus Suidæ, vel ut Cujacius aliique appellant, Sudæ Lexicon vertit, emendavit, illustravitque Æmylius Portus, quamvis in ejus quoque editione plurima menda occurrere notaverit Lambecius lib. II. de Bibliotheca Vindobonensi capite VII. Horum mendorum nos bene multa expungemus, quando forte DEO volente Indicem Auctorum librorumque, quorum apud Suidam mentio fit, cum animadversionibus Criticis producemus. Interim quoad ætatem Suidæ notare obiter juvat, falli viros doctos, qui 600. annis antiquiorem esse negant, multo magis Henricum Meibomium, qui erudito in Hippocratis ὅρκον commentario p. 12. refert ad A. C. 1250.** Nam circa idem tempus floruisse novimus Robertum Grossetest Britannum, quem Suidæ Lexicon latine vertisse testatur Matthæus Parisiensis & Johannes Baleus, quorum hic etiam animadversionum Robetti in Suidam mentionem facit.†

VI. JUSTUS LIPSIUS.

Eum a Petro Fabro, Mureto & aliis quibusdam super Saturnalibus suis notisque in Tacitum & Criticis nonnullis emendationibus plagii accusatum fuisse, alii ante nos adnotarunt. Sed & in de militia Romana commentariis Patricium ab eo exscribi animadversum est. Vide Teissierium elog. des Scavans parte II. pag. 385. & Almeloveenium in Syllabo plagiariorum. Unde illustre exemplum præbet eorum, quæ diximus paulo ante, cum de Fortio ageremus. Huc referenda sunt verba Bulengeri, quæ allegat B. Thomasius §. 492. *Alii Strategica ab eo repetunt & manum injiciunt.* Ex Onufrio quoque aliqua eum descripsisse lego apud Teissierium l. c. In Scaligeranis primis arguitur, quod ex Scaligeri Conjectaneis observationem quandam tacito nomine sit suffuratus. In libris de Cruce Petrum Fabrum ab eo exscribi ait Bebelius Antiquitatt. Evangel. p. 521. Neque tamen de plagio intelligendus

* Vos. Institut. Orator. lib. 1. c. 4. ex Fulvio Ursino.

** Alias sententias recenset Kœnig in Bibl.

† Conf. tamen Bibl. Gr. T. IX. p. 635. not.

nomine expressum notat Casaubonus pag. 105. Sed & ipse Æneas, eodem pag. 89. notante, capite XXXI. poliorcetici pæne ad verbum describit verba Herodoti, quæ VIII. Musarum habet de Timoxeno, qui Epistolis ad crenas sagittarum religatis clandestina consilia cum Artabazo Potidæam obsidente communicabat.

IV. LEONHARDUS FORTIUS.

Aliquot hactenus priscos rei militaris scriptores vidimus, paulo recentior est iste, de quo Naudæi locum nunc jam producemus, quo dubium relinquitur, utrum ille alterum compilaverit, an, quod vero similius esse videtur, hic ab altero fuerit transcriptus. Cæterum quod recentiores etiam bellicæ rei scriptores illam aliena sibi vindicandi artem didicerint, locuples auctor est Josephus Scaliger in Epistolis pag. 310. Ibi de Francisci Patricii * parallelis militaribus agens *solus*, inquit, *Patricius mihi videtur digitum ad fontes intendisse, quem ad verbum alii, qui hoc studium tractarunt, cum sequantur, tamen ejus nomen ne semel quidem memorarunt.* Sed de Fortio locus est in Naudæi Bibliographia militari pag. 104. *Leonhardus Fortius vulgari Græcorum metro libellum de militia edidit, variorum instrumentorum figuris adornatum, quæ omnino eadem visuntur in libro Italico, cujus titulus est:* Vallo libro apartenente a Cavallieri. *Ut difficile sit, conjicere, uter ab alio fuerit descriptus, sed prioris tamen ob linguam major est auctoritas, unde Rigaltio & Meursio frequenter laudatus invenitur.*

V. CLAUDIUS ÆLIANUS.

Pæne oblitus fuissem hujus scriptoris, qui suum περὶ ϛρατηγικῶν τάξεων libellum Hadriano Imperatori obtulit. Capite I. III. & XIX. Polybii mentionem facit, quæ loca postquam in Polybianis fragmentis recensuisset Casaubonus, *& hæc*, inquit, *nominatim ex Polybio Ælianus: nos vero alibi docemus, totum illius aureolum libellum pene ad verbum e Polybio esse descriptum.* Illius Polybii historiam quam bene Livius & Diodorus Siculus imitentur, disquirit Bœclerus sub finem Lectionum Polybianarum, quas ex MS. Augustano edidit Anno 1670. 4to. Ac Diodorus quidem Polybium non in judicio

* De Patricio vide Thuan. ad A. 1597. Erythræum Pinac. I. imag. 117. Teissierium élog. des scavans parte II. p. 265. De ejus discussionibus Peripateticis judicium ap. Jonsium p. 311. adde Launojum de varia Aristotelis fortuna cap. ult.

tan-

tantum de rebus gestis exponendo, sed in phrasibus quoque secutus est, *Livius vero ejusdem vestigiis passim adeo insistit, ut verbum verbo interpretetur.* * Etiam Suidas, observante Bœclero, non semel Polybii verba cum immutatione quadam describit, quo tamen nomine plagii arguendus non est, cum verba illa adducat, ut explicet. Alias de ejus plagio vide, quæ Cl. Thomasius animadvertit. *Ineptus, fateor, sed interdum non malus compilator*, ait Tanaquillus Faber ad Scaligerana prima, de Suida loquens. Hujus Suidæ, vel ut Cujacius aliique appellant, Sudæ Lexicon vertit, emendavit, illustravitque Æmylius Portus, quamvis in ejus quoque editione plurima menda occurrere notaverit Lambecius lib. II. de Bibliotheca Vindobonensi capite VII. Horum mendorum nos bene multa expungemus, quando forte DEO volente Indicem Auctorum librorumque, quorum apud Suidam mentio fit, cum animadversionibus Criticis producemus. Interim quoad ætatem Suidæ notare obiter juvat, falli viros doctos, qui 600. annis antiquiorem esse negant, multo magis Henricum Meibomium, qui erudito in Hippocratis ὅρκον commentario p. 12. refert ad A. C. 1250.** Nam circa idem tempus floruisse novimus Robertum Grossetest Britannum, quem Suidæ Lexicon latine vertisse testatur Matthæus Parisiensis & Johannes Baleus, quorum hic etiam animadversionum Roberti in Suidam mentionem facit.†

VI. JUSTUS LIPSIUS.

Eum a Petro Fabro, Mureto & aliis quibusdam super Saturnalibus suis notisque in Tacitum & Criticis nonnullis emendationibus plagii accusatum fuisse, alii ante nos adnotarunt. Sed & in de militia Romana commentariis Patricium ab eo exscribi animadversum est. Vide Teissierium elog. des Scavans parte II. pag. 385. & Almeloveenium in Syllabo plagiariorum. Unde illustre exemplum præbet eorum, quæ diximus paulo ante, cum de Fortio ageremus. Huc referenda sunt verba Bulengeri, quæ allegat B. Thomasius §. 492. *Alii Strategica ab eo repetunt & manum injiciunt.* Ex Onufrio quoque aliqua eum descripsisse lego apud Teissierium l. c. In Scaligeranis primis arguitur, quod ex Scaligeri Conjectaneis observationem quandam tacito nomine sit suffuratus. In libris de Cruce Petrum Fabrum ab eo exscribi ait Bebelius Antiquitatt. Evangel. p. 521. Neque tamen de plagio intelligendus

* Vos. Institut. Orator. lib. 1. c. 4. ex Fulvio Ursino.

** Alias sententias recenset Kœnig in Bibl.

† Conf. tamen Bibl. Gr. T. IX. p. 635. not.

Naudæus pag. 111. Bibliographiæ militaris, ubi Carolum Scribanium in Politico Christiano dicit acumina sensuum & flosculos sententiarum spargere, *quas interdum etiam ex suo penu depromat, quemadmodum Lipsius semper ex alieno.* Cæterum de Lipsio vide, quos allegat Martinus Hankius libro I. de Romanar. Rerum scriptoribus pag. 269. quibus adde Erythræum in addendis ad Pinacothecam III. Drexelium parte I. Aurifodinæ cap. IV. Miræum de Scriptoribus Seculi XVII. Eybenium ad Magiri Eponymologicum, Rivetum T. III. p. 535. Labbeum in Bibl. Bibliothecarum, Freherum in Theatro, Bisselium citatum Kœnigio in Bibl. item Franciscum Sweertium in Athenis Belgicis, quarum maximam partem ex Bibliotheca sua quinquennio ante evulgata eum transscripsisse queritur Valerius Andreas. *

VII. J. B. FRIDERICI Lipsiensis.

Aliquot hactenus militaris rei scriptores recensuimus, quos plagii quidam suspectos habuerunt. Cum autem in bello maxime usus esse soleat literarum per occultas Notas scriptarum, non incongruenter illis auctoribus hic Friderici subjicietur, qui ante aliquot annos vernaculo Idiomate *Cryptographiam* Hamburgi in 4to evulgavit. In toto illo libro nusquam vel verbulo mentionem facit Johannis Baptistæ Portæ, qui in opere de occultis literarum notis idem ante eum argumentum tractavit, ** neque aliorum, ut Gustavi Seleni, sive Principis Augusti sacræ memoriæ, J. Caramuel Lobkowizii, Verulamii &c. qui eandem artem ante eum tradiderunt, quorum inventis eum usum esse manifestum est, quibus deinde facillimum fuit nonnulla adjicere. Plures, qui in illo argumento versati sunt, nominat Naudæus in Bibliographia Politica pag. 99. sq. edit. Conringii. Vide & Casparis Schotti Scholam Steganographicam, quæ recensetur Journal des Scavans A. 1666. Journal 36. Wagenseilii Exercitationum varii argumenti secundam. Zimmer-

* Montacutius p. 375. Apparat. *Videndus autem pater Romanæ historiæ Panvinius, vir longe peritissimus, in commentariis ad secundum librum fastorum, a quo sua omnia transscripsit Lipsius, plagiarius, Onufrio ne quidem nominato. sed hoc illi solenne fuit ut queritur P. Faber, queri potuit Savilius* (puto Montacutium innuere Savilii librum de militia Romana compilatum a Lipsio) *& fatetur in historia Bulengerus.* Confer. Analect. p. 367. πολυμαθέστατος ille Faber, cujus quadras Lipsius abligurivit. id. 2. Orig. p. 391.

** Montisbeligardi A. 1593. 8vo.

man-

mannum in Analectis p. 564. sqq.* Sed ut ad Fridericum nostrum revertamur, ne versus quidem quos exempli loco passim affert, ex suo depromsit, sed ex Hoffmanswaldau Poëmatis sublectos paululum immutavit, ut sui esse viderentur. Ita quæ habet pag. 81. desumta [illegible] ex Hoffmanni Helden-Brieffen pag. 58. Epitaphium quod legitur apud Fridericum pag. 84. est ex ejusdem Poetæ pag. 102. confer. illius pag. 178. cum hujus Helden-Brieffen pag. 8. & pag. 230. cum pag. 12.

VIII. PHALARIS AGRIGENTINORUM TYRANNUS.

Hujus Taurus forte notior est quibusdam, ac Epistolæ (θαυμάσιαι πάνυ ut ait Suidas) quæ sub ejus nomine circumferuntur. Has cum aliis Epistolis græce excudit Aldus Venetiis A. C. 1499. in 4to. Latine emisit Leonhardus Aretinus Florentiæ 1480. quæ recusæ sunt Venetiis Anno 1491. & Lutetiæ Parisiorum Anno 1493. ** *Neque arbitror*, inquit in præfatione Aretinus, *adeo Phalarin in eos, a quibus insidiis petebatur, quam doctos viros in Phalarin fuisse crudeles.* Quæ verba suppresso Aretini nomine sua fecit Eilhardus Lubinus, qui easdem Epistolas a Joh. Caselio ad vulgandum sibi commissas Rostochii Anno 1597. in 8vo Græce edidit. *Ego vero*, inquit, *contra sentio, nullum Phalarin adeo in suos hostes, quam viros doctos in Phalarin crudeles fuisse, qui ejus sævitiæ tantam, quam in malos justissime exercuit, mentionem fecerunt, virtutis & sapientiæ, quæ in illo admiranda, nullam.* Pro genuinis illas Phalaridis Epistolas præter editores Volaterranus aliique habuere. † Sed tam antiquas non esse, si nullo alio argumento constaret, abunde evinceret, quod apud veteres, qui Suidæ ætatem excedunt, Phalaridis quidem ejusque Tauri mentio occurrit, Epistolarum vero neutiquam. Unde Aretinus quoque & Lubinus crudelitatis ve-

* Exstat & *Jac. Goborri* libellus de usu & mysteriis notarum, in quo vetusta literarum & numerorum ac divinorum ex Sibylla nominum ratio explicatur, Paris. 1550. 8. Sed magis huc spectat Traité des Chiffres ou secretes manieres d'escrire par *Blaise de Vigenere* Paris 1587. 4. Vide & *Sirmondum* T V. p. 329. sq. & literas cifris scriptas T. III. Operum *Wallisii*, Promisit *Adamus Ebertus* Steganographiam Electoralem lingua Italica. Ejus institutum vide ante relationes ex Parnasso, alios in Lippenio.

** Beughem Incunab. Typographiæ pag. 107.

† Conf. de aliis in utramque partem disputantibus Bibl. Gr. T. I. p. 407. seqq.

teres illos arguere voluerunt, qui tamen, modo istas optimæ frugis plenissimas Epistolas oculis usurpassent, adeo crudeles, opinor, minime fuissent. Accessit & alia ratio, quod scilicet docti animadverterent, his Phalaridis Epistolis plurimum cum Luciani acumine doctrinæ stylique elegantia convenire, neque incredibile esse, talia Samosatensem istum sophistam finxisse, impositurum simplicioribus ingeniis. Audacter itaque Luciano tanquam legitimo Parenti istum fœtum tribuerunt. Angelus Bassus Politianus in Epistolis: *Epistolæ breves Luciani, quem vulgo Phalarin vocant.* Janus Parrhasius apud Gruterum T. II. facis artium pag. 826. *Nec ab Epistolis laudem Plato respuit, aut Diogenes, aut Demosthenes, aut Apollonius Tyaneus, nec Lucianus ille Syrus. Ejus enim creduntur esse, quæ Phalaridis inscriptione circumferuntur.* Plura testimonia coacervare nihil attinet, nam hos tanquam duces complures alii suffragiis suis sunt insecuti. Potius hoc loco monemus, plerasque etiam Epistolas, quæ veteribus Philosophis apud Laërtium tribuuntur merito doctis suspectas videri, uti Thaletis ad Pherecyden Epistolam κιβδηλίας arguit Petrus Daniel Huetius pag. 77. demonstrationis Evangelicæ. Idem judicium ferendum esse arbitror de Epistolis Themistoclis, quas Johannes Matthæus Cariophylus primum, tum in Germania Elias Ehingerus publicavit. Socratis Epistolas ab Allatio editas auctorem mentiri confirmat Pearsonius parte II. Vindiciar. Ignatii p. 12. Adde Menag. ad Laërt. p. 35. edit. Wetstein. etsi Allatius in Dialogo de scriptis Socratis p. 105. sq. de iis asserendis laboret. Pherecydis Epist. ad Theletem conficta est judice Salmasio p. 842. sq. ad Solin. De Hippocrati tributis Epistolis, quarum crebra apud veteres mentio occurrit (duæ etiam latine leguntur apud Marcellum Empiricum) audi sententiam literarum Principis Josephi Scaligeri Epistola 406. ad Everhard. Vorstium: *De Epistolis Hippocratis, quod ex me quaeris, antiquas eas scio esse, ut Democriti, Solonis, Thaletis, Pittaci Mitylenai, quæ apud Laërtium leguntur. Sed quia omnes illas quæ illis Philosophis a Laërtio attribuuntur, multis argumentis, confictas a Græcis, quibus nunquam mentiendi voluntas aut facultas defuit, probare possum, ideo cur de his Hippocrateis dubitem, justissima causa est. Et certe, si animi nervos intendere velim, facile non esse Hippocratis vincam. Unicuique judicium suum relinquimus, tutius tamen est de eo dubitare, quod facilius est confutare quam asserere.* Ut eo minus ferendi sint Pontificii, qui Apostolicis viris primorumque seculorum Episcopis Romanis ineptas epistolas supponunt,* & ad dogmata sua confirmanda hac antiquitatis auctoritate in speciem nituntur, imitati Gabaonitas, qui ut

* Vid. Sam. Maresf. præf. ad Johannam Papissam restitutam. Groningæ 1658. 4.

falso

falſo perſuaderent Joſuæ & Iſraelitis, ſe valde longum iter emenſos fuiſſe, ambitioſe illis oſtentabant ſuos calceos attritos, panes mucidos, utres confractos, & vinum vappaſcens.

IX. ARISTÆNETUS. *

In Phalaridis Epiſtolis octogeſima ſeptima ſcripta eſt ad Ariſtænetum. Hunc autem diverſum eſſe ab Ariſtæneto, cujus Epiſtolas Eroticas habemus, temporis ratio perſpicue docet, uti illum quoque, qui, ceu eſt in Suidæ collectaneis, ** κατὰ τὺς Φιλιππικὺς καὶ Αντιοχικὺς καιρὺς ἦγε τὴν ἀγωγὴν τῆς πολιτείας. Sed iſtum, cujus liber primus de Phaſelide apud Stephanum *,* allegatur, alium eſſe ab Epiſtolarum ſcriptore, ex temporum ratione confici non poterit, cum in confeſſo ſit apud eruditos, non Stephanum ſed Hermolaum τὸν τὰ ἐθνικὰ ἐπιτέμνοντα (ut eum circumſcribit Euſtathius) nobis amplius ſupereſſe. Atqui potuit Hermolaus, qui Juſtiniano æqualis Libanii certe temporibus poſterior fuit, in Epitome ſua locum Ariſtæneti adjicere, quem apud Stephanum non invenerat, quemadmodum Voſſius * ex verbis in voce Γότθοι ὡς εἴρηταί μοι ἐν τοῖς Βυζαντικοῖς, ab Hermolao potius, quam a Stephano Byzantinam hiſtoriam ſcriptam eſſe conjecit. Nihilominus opus de Phaſelide Ariſtæneto, jucundiſſimarum Epiſtolarum auctori tribuere non auſim, quod pauca etiam, quæ ex eo profert Hermolaus, procul ab illarum ſuavitate abeſſe videantur. Apud Libanium Rhetorem & Ammianum Marcellinum L. XVII. c. VII. mentio fit Ariſtæneti, qui in Nicomediæ ruina miſere perierit. Ad quem locum dum lego, ** quæ jam A. 1636. quo Ammianum ſuum edidit, commentatus eſt vir doctiſſimus Henricus Valeſius, miror ea effugere potuiſſe Cl. Barthii diligentiam, cui nihil horum in mentem veniſſe apparet ex libri LV. Adverſariorum capite VIII. ubi in auctorem illarum Epiſtolarum ſedulo inquirit. Neque dubitat ibidem Barthius eas inſcribere Flavio Ariſtæneto, qui VII. annis antequam Romam Alaricus occuparet, in Caſſiodori aliorumque Chronicis ac Faſtis cum Honorio conſulatum tenuiſſe perhibetur. Verum hic junior eſt illo, cujus meminit Marcellinus

* Ariſtinætus perperam dicitur in Beverlandi libello de P. O. conf. Bibl. Gr. T. I. p. 432.

** Voce Ἀρίσταινος.

, Voce Γέλα.

* Lib. II. de Hiſtoricis Gr. cap. XXII.

** Lindenbrogius hoc loco nihil habet, quanquam a Lambecio allegetur.

& Li-

& Libanius. Terræ enim motus, qui Nicomediam obruit, refertur ad A. C. 358, At ſextus Honorii Conſulatus incidit in A. 404. Extra controverſiam autem poſitum videtur, non ab alio Ariſtæneto, quam de quo Libanius, duos qui extant Epiſtolarum amatoriarum libros profectos eſſe, neque dubito, ſi Gilberti Gaulmini & Johan. Bourdelotii prolegomena in omnes ſcriptores Eroticos ad nos perveniſſent, quin duumviros hoſce eruditiſſimos in teſtimonium hujus ſententiæ citare poſſemus. Nunc ſufficiat nominaſſe Lucam Holſtenium & Petrum Lambecium, quorum hic, cum anno ætatis ſuæ duodeviceſimo Hamburgi degens Ariſtæneti Epiſtolas illuſtrandas ſibi ſumſiſſet, Holſtenium per literas rogavit, ut ex Vaticana Bibliotheca, cui ille præfectus erat, ſi quæ ad auctorem iſtum facientia haberet, ſecum communicare non dedignaretur. Miſit ei Holſtenius decem Libanii ad Ariſtænetum Epiſtolas cum duabus de Ariſtæneto ad Acacium & Entrechium exaratis, e quibus colligit, eum fuiſſe Bithynum natione, religione paganum, Attici ſermonis ſub Conſtantio Imperatore Magiſtrum, pulcherrimis præcipue Epiſtolis ſcribendis excellentem, quæ publice etiam in doctorum circulis legerentur. Non autem habuiſſe pro pulcherrimis, quæ eſſent Laconicæ. Moribus inſigniter humanis amicorumque amantiſſimum fuiſſe, qui vel in tranſitu ad ſe viſentes benevolentiæ præſtigiis quodammodo irretiret, unde γόητος ſeu incantatoris nomen ei tribuerit Antiochus. Ad mulierum amores extitiſſe procliviorem, quod præter nimium, quem allegat Holſtenius, erga uxorem defunctam affectum, Eroticæ illæ Epiſtolæ abunde teſtari poſſunt. Tum Rempublicam quoque attigiſſe, functum apud Bithynos munere aliquo publico, quod & ſupra allegatus Marcellini locus innuit. Denique interiiſſe Nicomediæ in terræ motu una cum Hierocle Philoſopho, & Niceæ fuiſſe ſepultum. Ariſtæneti Epiſtolarum libros duos Johannes Sambucus Græce primum vulgavit Antwerpiæ in 4to A. 1561. ex codice MS. qui nunc in eadem Bibliotheca Cæſarea adſervatur. Joſias deinde Mercerus, * nomine ſuo ſuppreſſo, Ariſtænetum dulciſſima latinitate veſtitum notisque doctiſſimis illuſtratum emiſit Pariſiis 1594. in 8vo. Qui de auctore hæc habet pag. 199: *Hoc unum addam, Epiſtolas has terſas, elegantes, ſed fere totas ex optimorum ſcriptorum aſſutis locis conſarcinatas, cujusmodi notavi multa e Platone, Luciano, aliis, plura notaturus, niſi jam tamdiu abeſſem a libris, & ſcriptorem hunc ipſum fere in mediis armis recenſuiſſem magis, quam in illo literato otio. Ætatem, qua vixit, non aliunde*

* Hujus laus eſt in Epiſtolis Holſtenii ad Lambecium, quibus eum dehortatur, ne Merceri manes vel uno verbo lædat, etiam ubi manifeſta ſit diſſentiendi cauſa. Curioſius quædam verti potuiſſe notat Barth. lib. XLV. cap. VI. Adverſar.

pro-

probem, quam ab epistola 26. libri I. in qua mentio Caramalli Pantomimi, * *qui non longe ab ætate Sidonii Apollinaris, & utriusque Romæ, quod nomen sub ævum posteriorum Imperatorum etiam datum Byzantio, translata sede imperii. .... Fortean nomen inscriptum primæ Epistolæ* (ΑΡΙΣΤΑΙΝΗΤΟΣ ΦΙΛΟΚΑΛΩ.) *translatum ad auctorem hujus rhapsodiæ.* Qua de conjectura vide sis Barthium p. 2600. sq. Adversariorum, qui nomen primæ Epistolæ præfixum idem Auctoris quoque esse putat, cum reliqua nomina conficta sint pro argumentis Epistolarum. Has vero Epistolas non syllogen esse variorum auctorum, sed uni artifici tribuendas videri, pro certo affirmat Barthius, qua in parte & Vossium & quemvis, cui modo oculi sunt in capite, adstipulantes sibi habet. *Tot tamen loca Luciani*, eodem Barthio judice, *exprimit hic scriptor, & fere transscribit, more inter Sophistas recepto, ut omnino illo posteriorem se esse ipse declaret.* Holstenius quoque cum Aristæneti lib. I. Epistola I. conferre jubet Libanii Tom. II. pag. 709. Cum libri II. Epistola X. illius pag. 734. ubi ex Aristæneto pro εὐτυχὴς legendum ἀτυχής. Unde constare potest, quam frequens fuerit huic hominum generi, ut sese mutuo exprimerent, orationumque flosculos a se invicem mutuarentur. Neque hoc loco præteriri debet, quod libri I. Epistola XIII. usus esse videatur auctor Stratonicæ, quemadmodum ex Heliodori libro primo Æthiopicon, in secundum Nemoralium ** suorum librum aliqua transtulisse apparet Gasparem Gillum Polum. Ita Heliodorum & Tatium alterum alterius Simiam vocat Bourdelotius. Et Huetio observante, Theodorus & Eustathius Tatium transscribunt potius, quam imitantur. Proclive fit in hoc scriptorum genere ostendere, quam frequenter recentiores antiquiorum elegantiam, ut mollissime dicam, in se transferre sint conati. Sed nunc ad alios transeundum.

X. JOHANNES DAMASCENUS.

Phalarin & Aristænetum non ut plagiarios, sed ut pseudonymos recensuimus, nunc aliquot furti literarii postulatos producemus. Damascenum

* Vide ibi notas p. 256. sq. verba hæc sunt: ἕνα δὲ μόνον προσφυῶς μιμουμένη τὸν Καράμαλλον τὸν πάνυ ἁπάντων ἔχεις τὴν μίμησιν ἀκριβῆ. Adde Sidonium carmine 23. p. 380. editionis Elmenhorstii. Paulo post Aristænetus: καὶ πορρώτερόν γε τῇ νέᾳ τὴν πρεσβυτέραν ἰσόρροπα ῥώμην καὶ τοιαύτην ἐν ὑστέρᾳ τεθέαμαι. Cæterum Caramallium γελωτοποιὸν fuisse negat Mercerus contra Scaligerum in Lect. Ausonian. lib. II. cap. XIX.

** Hæc Nemoralia latine ex Hispanico vertit Barthius.

arguit Thomasius, quod ex Epiphanio sub initium libri de hæresibus pauca quædam de quatuor archihæresibus, ut ita dicam, de verbo descripserit. Sed ut Petavius ad Epiphanii hæresin XII. recte monet, totus Damasceni liber nihil aliud est, quam Epiphanii anacephalæosis, paucis adenitis aut immutatis. Nec Damascenus tantum, sed & alii hæresiologi sua fere ex Epiphanio hauserunt, uti ipse forte Epiphanius Justinum aliosque, qui ante eum adversus hæreses stylum direxerant, compilavit.

XI. GALENUS.

Idem B. Thomasius dissertatione de anno Magno §. 7. *Varias*, inquit, *de magno anno sententias congerunt e priscis Plutarchus, quem suo more describit Pseudo-Galenus Historia Philosophica &c.* Sed plagium hoc exspirabit, si Jonsium audiamus, qui in hanc sententiam scribit libri tertii de Scriptoribus Historiæ Philosophicæ cap. XI. *Extat inter opera Galeni Historia Philosophica, qua Galeni non est, sed Plutarchi, hujus enim libri quinque de placitis Philosophorum & illa Historia Philosophica unum idemque opus est, inter se conferendum, ut alterius lacuna ex altero suppleri possint, cum neutrum, ut ex collatione alterius constat, perfectum & plenum, sed temporis iniquitate varie mutatum & truncatum sit, ut prorsus diversum esse videatur.* * Hæc & plura ibi Johannes Jonsius vir doctissimus deque historia Philosophica optime meritus, cui & Menagius ad Laertium, Schefferus de natura Philosophiæ Pythagoricæ, & alii plurimum debent, cujus celebritati maxime obfuit, quod fatis concederet antequam opus illud, quod allegavimus, a typographo perficeretur.

XII. PHILOSTRATUS LEMNIUS.

Ab hoc in vita Apollonii locum de aqua Asmabæa ex Aristotele compilatum esse ex Maussaco B. Thomasius observavit. Aliud ejus plagium indicat Huetius propositione I. Evangelicæ demonstrationis pag. 30. sq. ** *Egregium*, inquit, *cum universa Evangelica Historia, tum pracipue Evangelio Luca atque Actis etiam Apostolorum ab eo scriptis antiquitatis testimonium commodat*

* Librorum Plutarchi epitomen esse, quæ nomine Φιλοσόφων ἱςορίας inter Galeni Opera exstat, rectiusque Aëtio Theodoreti testimonio tribui, ait Holstenius in Porphyrii vita.

** Editionis in 8vo, quæ præstat alteri in fol. quamvis splendidiori.

Phi-

Philostratus Severo Augusto coævus. Pleraque enim Christi Apostolorumque miracula ex his libris adeo manifeste in Apollonium suum transscripsit, ut ne a verbis quidem ipsis usurpandis abstinuerit. Id nos luculenter in propositione nona demonstrabimus. Ex nonæ propositionis capite CXLVII. p. 977. sqq. huc pertinent. Sed & ante Huetium idem innuere voluit Philippus Mornæus aureo libro de veritate Religionis Christianæ capite XXXIII. ad fin. *Et puella quidem vitam restituisse dicitur* (Apollonius) *sed Philostratus ille Evangelistarum simia, mortuam asserere non audet.* Idem Huetius propositione quarta prolixe ostendit, Mosen ac res ab eo gestas & literis proditas unicum fere fontem fuisse, unde universæ propemodum per orbem gentes Deos suos, Heroas, & auctores totamque Theologiam suam hauserunt. Miratum itaque se esse ait pag. 67. in tanta literarum ac sacrarum præsertim luce, neminem extitisse adhuc, qui hanc scenam hominibus aperire aggrederetur. Hunc in modum Edmundus Dickinson erudito opusculo, quod Delphos Phœnicizantes inscripsit, Apollinis historiam eique affinia complura e Josuæ historia Græcos confinxisse docuit. Geminum argumentum attigerunt viri summi Samuel Bochartus & Daniel Heinsius, quorum hic in Aristarcho Sacro pag. 22. Homerum ex oriente omnia depromsisse alibi se ostensurum promisit, uti a Mose eum non pauca accepisse contendit Huetius pag. 75. * quibus adde Jac. Cappellum L. II. Vindiciar. pro Casaubono c. XI. sq.

XIII. ABDIAS BABYLONIUS.

Actus Apostolorum etiam compilavit, qui Abdiæ Babylonio libros decem certaminis Apostolici supposuit. Equidem suppositos esse, quos ipse Paulus IV. repudiavit, plures Pontificii agnoscunt, apud Vossium de Historicis Græcis & Gerhardum in Confessione. Quibus præter Natalem Alex. & Eliam du Pin, accessit etiam Huetius de claris interpretibus, & pag. 19. demonstrationis. Ex Reformatis nominamus Rivetum & Cocum, quos reliqui facile insequuntur. Ex nostris Barthium lib. L. cap. IX. Adversar. & Philippum apud Richter. in Melanchthonianis, qui libros illos *mirifica scripta appellat, & referta falsitate manifesta. Superstitionum tantam esse copiam, ut facile appareat, quibus temporibus compositi sint, non solum indoctis, sed infelicibus quoque.* At enim plagium in Actus commissum, eorum cum Abdia collatio ocu-

* De aliis Homeri plagiis vide Eustathium præf. Odyss. Theodor. Canter. lib. II. cap. III. Var. Lect. Jacobi Nic. Loensis Epiphyllid. lib. II. c. I. qui c. II. de Hesiodi furtis agit, de Virgilii c. III.

lis suggerit. Neque enim eo insaniæ processimus, ut cum Wolfgango Lazio Abdiam Lucæ anteferamus, vel uter alterum exscripserit, dubium esse arbitremur. * Interim hac occasione Abdiam instar omnium nominare voluimus, quoniam si ὑποβολιμαῖα sacrorum præsertim auctorum examinare animus esset, tantum non omnia in hunc censum referenda viderentur. Verum alio quoque nomine, ambiguo licet, Abdiæ de plagio dicam dicit vir doctissimus Christianus Daumius, præfatione luculenta ad Hieronymi Theologi Græci panopliam: *Sed & desideratur*, inquit, *in hac nova* (Bibliothecæ PP. Lugdun 1677.) *editione Abdias Babylonius vulgo sic appellatus, quisquis etiam ille fuerit, sive Julius Africanus* ** *sive quis alius, nam nunc istud non inquiro, de vitis Apostolorum, una cum Anonymo Philalethe Eusebiano de Passionibus Apostolorum a Friderico Nausea A.* 1531. *Coloniæ* 4. *publici juris facto, ex quo aut Pseudo Abdias ille sua exscripsit, aut ex isto ille, ut videbunt, qui utrumque inter se committent.* Abdiæ libros vicissim in usus suos transtulisse apparet Joachimum Perionium.

XIV. ISIDORUS CLARIUS BRIXIANUS.

Munsteri notarum exscriptor vocatur a Rich. Simone lib. III. Criticæ Veteris T. cap. XV. *** Hadrianus Beverland diss. de P.O. pag 135. *Nulla*, inquit, *versio pluribus sordescit maculis, quam vulgata, qua post emendationes Clementis VIII. Pontificis Max. & castigationes Erasmi & Isidori Clarii, plagiarii alias scelestissimi, notante Matthæo Polo, etiamnum sexcentis in locis solœcismis scatet.* Poli locus est in præfatione ad Tomum 1. Synopseos Criticorum, qua brevia de auctoribus quos excerpsit, judicia fert auctor diligentissimus. *Ignavum illum manifestumque plagiarium Isidorum Clarium lubens prætereo, qui ex Munstero, plerumque non modo sententias, sed & verba fere singula descripsit, qui si in illa Republica vixisset, ubi ingeniosis furibus impunitate concessa imperitis tantum & segnibus pœna capitis statuebatur, ad furcam procul dubio damnatus fuisset.* Hunc Poli locum leges etiam apud Saldenum de

* Uti Pighius delectatus est verbis Rufini, qui Marci Evangelium vocat religiosum furtum ap. Chemnitium p. 19. exam. Concil. Tridentin. edit. in fol.

** Hic esse non potest, cum ipse, ceu observavit Gerhardus, allegetur, quanquam imperite fingitur, Abdiam ex Hebræo latine, uti Eutropius græce, vertisse.

*** Vide & Almeloveenii Syllabum.

de libris pag. 156. De Isidoro autem præter Kœnigio citatos videndus Teissierius parte II. elog. pag. 102. sq. & parte II. pag. 397.

XV. THOMAS MALVENDA HISPANUS.

Idem Matthæus Polus in eadem præfatione excerpsisse se ait *commentaria* Malvendæ in S. Scripturam a Genesi ad Ezechielem, * *qui magna sane industria (utinam & pari judicio) varias difficilium inprimis locorum versiones & interpretationes ex diversis Auctoribus, dissimulatis tamen plerumque ipsorum nominibus, contexuit.* De ejus versione ac notis in aliquos sacri codicis libros hæc quoque Simonis judicia adscribere placet. Libro II. cap. XX. pag. 113. ** *Edita quoque Lugduni maxima Veteris Testamenti partis nova versio cum notis Thomæ Malvenda Dominicani. Sed adeo barbara, adeo inconstans, ut nisi auctor statim notas explanationis gratia, & in textus explicationem observationes adjecisset, nullius plane utilitatis foret, cum iisdem vitiis & quidem sæpius quam Arias Montanus scateat. Si quis itaque pure versiones Grammaticas textus sacri habere velit, legat Malvendam, qui ipsi & Grammaticæ & Dictionarii instar unus erit.* Libro III. capite XII. pag. 55. *Malvenda Dominicanus, qui maximæ partis Novi* (lege *Veteris*) *Testamenti versionem admodum barbaram conscripsit, commentarios, aut magis notas literales adjecit, dignas quæ legantur, etsi multa superflua contineant. Quia scopus illi erat varias omnes interpretationes textus Hebraici proferre, multas idcirco a genuino sensu procul dissitas & nulla probabilitatis specie nixas protulit. Nimium quoque Etymologiis & aliis Grammaticæ minutiis inhæret. Cajetanum tum in suis versionibus tum commentariis imitari ex parte videtur, cum hoc tamen discrimine, quod per se ipsum pro sua lingua Hebraicæ cognitione variarum interpretationum delectum facere poterat, is vero nequaquam, sed omnino ab aliis penderet.* *** Hactenus Rich. Simonius, qui pag. 48. ægre fert, quod Monachus Franciscanus de la Haye toties imperitissimum suum Malvendam in sua collectione laudaverit.

* Malvendæ reliqua scripta vide in Bibl. Hispan. ap. Wittium in Biograph. ad A. 28. 7. Maji &c.

** Pag. 112. in Aria notaverat, quod vocum Hebr. æquivocarum significationem juxta circumstantias locorum scripturæ propriam attendere neglexerit.

*** Nam ut ait p. 52. *Creditur Cajetanus non minus Græce ignarus extitisse quam Ebraice.*

XVI. JOHANNES MAGIRUS.

Vir catera eruditus, dignissimus est, qui ad librum Cl. Thomasii de plagio literario editum referatur. Quippe totum Golii commentarium super Aristotelis Ethicam publice per aliquot annos Argentorati praelectum, ne apice quidem addito, sub suo nomine evulgari curavit, * *& virum optimum deque Gymnasio Argentoratensi praclare meritum debito honore privavit, quod jam ante viginti quatuor annos monuit Christophorus Eckenbergerus.* ** *Autographum Golii, ne quis dubitet, adhuc apud N potes ostenditur.* Hæc adscripsimus ex Georgii Frid. Heupelii amœnitatibus Historico Criticis num. XIV. *** Obiter notamus Cl. Morhofium pag. 243 polyhistoris polymnemona Tobiæ Magiri, (quem nondum vidisse se fatetur Labbeus in Bibl. Bibliothecar.) per memoriæ lapsum tribuere Johanni Magiro, uti Tobias Magirus, apud Labbeum in indice perperam Thomas appellatur.

XVII. GODOFREDUS VITERBIENSIS.

Hunc Chronici auctorem Catalogo Plagiariorum Thomasiano inserere jubet Joh. Christianus Hetzerus Lipsiensis, specimine Observationum Historico Criticarum capite I. quod Ottonem Frisingensem sæpenumero ad verbum transscripserit. At fere commune est hujus generis scriptoribus, antiquiores exscribere, * ut si paulo strictius ingenuitatem in illis requirere vellemus, illi fere soli centuriam nostram adimpleturi essent. Quis nescit, Nicephorum, ** quicquid antiqui in sua historia, quicquid probi habet, fere ex Eusebio, Evagrio, Sozomeno &c. dissimulatis plerumque ipsorum nominibus, hausisse? De Eusebio supra nonnihil diximus, nec Thomasius reticuit, & nos infra aliquid addemus. Illustris Scaliger ad Eusebium ait; *Eusebii Chronicon tanti*

* A. 1618.

** A. 1664.

*** Prodiit Francofurti A. 1661. fol.

* Vide Bos. ad periocham Josephi de Christo p. 30. 32. 44. &c.

** Nicephori plagia tangit & Bosius l. c. p. 33. 35. &c. Vales. ad Euseb. p. 6. b. C. p. 9. b. B.

fuisse

fuisse apud veteres, tantamque ejus dignitatem, ut Chronologi, qui post eum scripserunt de temporibus, aridum esse censuerint, quod non ejus fontibus irrigatum esset. Nec Marianum Scotum tantum, sed & Georgium Syncellum, totum Eusebii Chronicon in suum transfudisse testatur. Tum ex his Cedrenum, Anianum & Pandorum Ægyptios Monachos, Prosperum, Cassiodorum &c. Cedrenum atrocibus verbis plagii arguit Lambecius libro II. de Bibliotheca Vindobonensi parte II. pag. 578. sq. * quanquam rectius Cl. Thomasius eum defendendum putet. Cum enim sub initium Compendii sui aliquot scriptores enumerasset, qui ante eum Historiæ epitomen ἐπραγματεύσαντο, ἡμεῖς δὲ, inquit, τὰς τούτων ἐπελθόντες βίβλους τὰ εἰκότα συνελέξαμεν, προθέντες καὶ ὅσα ἀγράφως ἐκ παλαιῶν ἀνδρῶν ἐδιδάχθημεν. Ἀλλὰ μὴν καὶ ἀπὸ τῆς λεπτῆς γενέσεως ** οὐκ ὀλίγα συλλέξαντες, καὶ ἀπὸ ἐκκλησιαστικῶν ἱστοριῶν, καὶ ἀφ᾽ ἑτέρων βιβλίων &c. Sæpius etiam in ipso libro auctores allegat, quanquam nec raro scriptorum non statim nominatorum verba inserit, unde frequenter in Suida & Cedreno eadem leguntur, quod uterque ex iisdem fontibus hauserit, non quod vel Cedrenus Suidam, vel, quod absurdius est, Cedrenum eo antiquior Suidas exscripserit. De Cedreno iterum Scaliger ad Eusebium: *Georgius Cedrenus totam Chronographiam Syncelli verbatim descripserat, & ex eo atque aliorum Chronologorum scriptis ingens volumen contextum σύνοψιν ἱστοριῶν vocavit. Sed nec illud quoque breviatorum manus, librorum præsentissimum venenum, effugere potuit. Plus dico: Non breviatores illi, sed mutilatores fuerunt. Nam quod habemus, non justum illius συνόψεως breviarium est, sed potius cadaver, & disjecti membra scriptoris, παρεκβολαὶ & excerpta ex eo ingenti volumine, sine ullo ordine temporum aut gestorum ac delectu eorum, quæ aut omittenda aut excipienda erant. Idiotam quidem hunc Cedrenum fuisse, illius scripta clamant, sed pejus & de illo & de tota Chronologia meruerunt, qui eum tam crudeli genere lacerarunt. Denique totum Cedreni opus est stabulum quisquiliarum & cento ex multis pannis sordidis, purpureis, malis, bonis, integris, laceris consutus.* Non malum Historicum vocat Petrus Faber comment. de Magistratu Romano pag. 190. Contra ejus narrationes in universum parum fidei mereri, ait Conringius de Bibliotheca Augusta p. 88. confer. & Deg. Wheari relectiones Histor. pag. 238.

* Vide & Labbeum cum Miræo.

** Hanc Lambecius libro V. p. 28. suspicatur esse narrationem apocrypham Mosis de Adamo & Eva quæ MS. est in Bibl. Vindob.

XVIII.

XVIII. MICHAEL GLYCAS.

Glycam aliquoties plagii arguere videtur Gonsalus Ponce de Leon commentario ad Physiologum, qui Epiphanii nomen præ se gerit. Nam ad caput I. * quod de quadam leonis proprietate agit, *Glyca*, inquit, *qui annales ab ortu Mundi ad Alexii Pulcri Imperatoris usque tempora scripsit, totum hunc locum ab Epiphanio mutuasse videtur.* Ad caput III. quod agit de Elephante: ** *Michaelus Glyca, cujus mentionem fecimus, in hunc Epiphanii libellum sine dubio inciderat, integrum enim hoc caput operi suo inseruit.* Ad caput X. *** quod est de Turture, Glycam prolixum quendam Basilii locum exscripsisse ait. Cæterum Cl. Placcius de Pseudonymis p 201. Ernstium secutus, fallit, quando affirmat, Meursium manifesto deprehendisse, Annales Glycæ non Glycæ, sed Theodoro Metochitæ tribuendos esse. Nam Raynaudus pag. 156. Erotematum de bonis & malis libris Meursium castigat, quod non dubitaverit librum tertium Annalium Glycæ pro Theodori Metochitæ compendio historiæ Romanæ vulgare. Qua de re plura verba fecit Labbeus in splendida Glycæ editione, quam cum versione notis ac emendationibus suis adornavit Parisiis A. 1660.

XIX. JOHANNES ZONARAS.

Hujus annales a plagio absolvit, quod ipse fateatur, se historiam ex variis scriptoribus veluti stipem colligere necesse habuisse, ac in multis illorum & dictione & compositione sibi fuisse utendum. Paulo itaque iniquiora sunt verba Eichelii ad Procopium pag. 164. *Sequiores scriptores qui ἀνέκδοτα Procopii compilarunt,* * *ut Suidas & Zonaras.* Quod pag. 58. mollius dixerat: *Qua de eodem Justiniani amore erga Venetos Evagrius, Zonaras, Nicephorus, alii sequiores literis prodiderunt, ex ἀνεκδότοις hausta sunt.* Præter annales Zonaræ extant etiam commentarii in Canones Apostolorum & Conciliorum & Epistolas Patrum Canonicas. ** Ex his Balsamonem pleraque omnia mutuatum esse, notant Wetstenius præfatione ad Origenem pag. 18.

* T. II. Opp. Epiphanii edit. Paris. p. 191.

** Pag. 194. vide & p. 200. 211. 215.

*** Pag. 202.

* Vide quæ de hoc verbo diximus infra, ubi de Joh. Vorstio agimus.

** Reliqua Zonaræ scripta recensent Acta Er. A. 87. p. 663. sqq.

Beve-

Beveregius prolegom. in Synodicum num. XXIII. Meierus Relatione de collect. Canonum §. 32. allegati Cl. Tenzelio diss. de duplici Baptismo Constantini M. §. 16.** Contra Natalis Alexander Zonaram sua ex Balsamone hausisse contendit, quem ante Zonaram floruisse verisimilius esse videatur. Sed priori sententiæ Guilelmus etiam Cave favere videtur, qui Balsamonem Zonara juniorem facit.

XX. GEORGIUS PACHYMERES.

Dionysium Areopagitam scholiis illustravit. In iis Maximi exscriptor dicitur a Joachimo Johanne Madero notis ad Polycarpum. Alias de ejus vita & historiarum libris legendus Hankius de Byzantinar. rer. scriptoribus partis I. capite XXXIV. Obiter quoque notandus error Vossii,* qui in opere de scientiis Mathematicis p. 38. ubi Pachymeræ σύςημα Musicæ, Arithmeticæ, Geometriæ & Astronomiæ MS. in Regis Galliæ Bibliotheca latere ait, frustra castigat Gesnerum, quod Pachymerem Athanasii tempore vixisse scripserit. Neque enim Athanasium quarti seculi scriptorem intellexit vir doctissimus, sed alium Seculi XIII. Pachymeris æqualem itidem Alexandrinum, cui adversarius contigit Athanasius Constantinopolitanus, de quibus plura in historiam suam retulit Pachymeres. De Constantinopolitano vide Cyprii Chronicon Ecclesiæ Gr. p. 239. sqq. ubi & vita illius Athanasii ab anonymo scripta memoratur, quæ sæpius allegatur a Leone Allatio de templis Græcorum recentioribus & alibi.

XXI. JOHANNES FUNCCIUS, Noribergensis. **

Sub hujus nomine Chronologia, in eamque commentarii libros X. complexi, editi sunt Basileæ Anno 1554. 4to. Cum continuatione hæc Funccii

** Zonaram a Balsamone exscribi Beveregius passim observat Prolegom. ad Synodicum. Corrector & plagiarius Zonaræ Balsamon dicitur a Knatchbullo p. 98. ad N. T. ideo etiam in MS. Basileensi Zonaræ scholia Balsamonis scholiis semper præmittuntur, quamvis id facere neglexerit Beveregius, auctoritati & peritiæ Balsamonis primum locum concedens. Sed res ipsa favet priori sententiæ. Laudat enim Balsamo Zonaram notis in Epistolam Athanasii ad Ammianum Monachum, quod & in allegato loco §. 14 Beveregius notavit.

* Geminum errorem in Possevino notare memini virum Cl. Thomam Ittigium.

** Capite truncatus Regiomonte Anno 1566, 28. Oct. ætatis 40. vide Bucholcer. p. 628.

Chronologia recusa est Wittebergæ A. 1601. fol. Laudant eam tum alii, tum Bodinus quoque vir proclivior ad Germanorum contemtum. Henricus Buntingius Hannoverensis in Funccio notat, quod doctrinam mathematicam neglexerit, neque consideraverit annorum varietatem, cum anni Hebræorum ab æquinoctio vernali inchöentur, Chaldæorum & Græcorum autem a Solstitio æstivo, Romanorum a tempore brumæ, & Ægyptiorum anni vagentur per omnes dies anni Juliani, unde non potuerit res gestas suis temporibus recte assignate. Ut autem ego Funccium hic commemotarem, fecit locus Strigelii, quem reperi apud Richterum in Melanchthonianis pag. 405. *Multi putant non ipsum Funccium esse auctorem illius Chronologia, sed* (Andream) *Osiandrum, qui fuit excellenter doctus in Mathematicis, in linguis, in Historiis.* * Ita Nicolai Cragii de Republica Lacedæmoniorum egregium opus, ut Meursius vocat, Cujacio potius tribuendum esse contendit Keckermannus. Contrarium tamen asseruit Ernstius, loco, quem Almeloveenius indicavit. Geminum de Thomasini elogiis refert Colomesius Recueil de Particularitez pag. 109. *Monsieur Vossius m'a dit, que Jean Rhodius, Autheur du Traité de Acia, disoit hautement à Padoue, qu'il avoit fait les Eloges des Hommes illustres que Thomasius a publiez sous son nom: Et que si celui-ci estoit devenu Evesque, il luy en avoit toute l'obligation.* Inde & Wittius in Biographia ad A. 59. d. 24. Febr. dicit, Johannem Rhodium illustrium virorum elogia sub nomine Jacobi Philippi Thomasini emisisse.

XXII. REGIUS GORADDIVUS, Italo Germanus.

De isto lubet adscribere verba B. Jacobi Thomasii, quæ leguntur in ejus dissertat. de Nigello Wireckero §. 60. *Regii Goraddivi nomen usurpatur non modo in praxi jocandi, cui speculum stultorum* (Nigelli) *accessit, Anno* 1602. *edita, sed & in supplemento praxeos jocandi (sic vocatur hic alter libellus in lemmatibus paginarum) quod pariter Francofurti prodiit Anno* 1605. *hoc titulo:* Ars vexatoria, hoc est, jocandi innoxie ratio promta atque extemporanea, ex MSto Regii cujusdam Goraddivi primum eruta. *Quis sub hoc nomine lateat, fictum enim esse nemo dubitabit, fateor me certo compertum non habere. Equidem si ex anagrammate res judicanda, Regius Goraddivus erit Georgius*

* Andream Osiandrum conterraneum suum laudat Funccius in præf.

Dran-

Draudius. Sed cur ipse Draudius, dum in Bibliotheca sua Classica pag. 1155. Praxin jocandi memorat, (ubi quidem nominum horum ordinem invertit, proque Goraddivo *scribit* Goraddinum, *nisi culpa hac in typothetam transferenda) non solvit hoc ænigma? nam alias p.* 349. *non veretur fateri, suum esse Tomum Canicularium dierum III. qui sub Simonis Majoli nomine prodierat. Cur praxeos jocandi supplementum plane tacet? An puduit ipsum, qui pastor esset Ecclesiæ Ortenbergensis, scripti in jocis atque facetiis occupati? An alia nobis anagrammatico artificio nomina inquirenda? An quicquid de Regii Goraddivi MStis præ se ferunt utriusque libelli tituli, merus Bibliopolarum fucus fuit, emtori alliciendo comparatus? Sane vero certum hoc habeo, in supplemento praxeos jocandi multa reperiri depromta (licet hoc nusquam indicetur) e mensa Philosophica Theobaldi Anguilberti, quæ & sub nomine Michaelis Scoti (sed perperam) prodiit Francofurti A.* 1602. *& Lipsiæ A.* 1603. *ut adeo in his ad MSta recurrere nulla necessitas sit.* * Ex eadem dissertatione huc referenda veniunt, quæ habet B. vir de Brunello sive speculo stultorum Nigelli, quem Vigellum in quibusdam editionibus appellarunt, uti ridicule Brunellum pro auctoris nomine habuit Goulartius. ** Item quod §. 52. sqq. poëma adversus barbariem Balei, quique hunc exscribere solet Pitsei, de scriptoribus Angliæ commentariis Nigello perperam tributum restituit Johanni Sarisberiensi.

XXIII. EUSEBIUS PAMPHILI CÆSARIENSIS.

Quemadmodum Tertullianum ex Justini Martyris ad Tryphonem *** dialogo non paucas sententias in suum librum adversus Judæos transscripsisse Scaliger observavit ad Eusebium, ita Tanaquillus Faber libro I. Epistolarum pag. 138. ex eodem Justini Dialogo, seu melius libro, Eusebium arguit satis inverecunde descripsisse, quæ de præexistentia (Græci προύπαρξιν vocant) Christi dixit libro I. Ecclesiasticæ Historiæ. Totus autem est in illa Epistola Tanaquillus, ut Eusebii auctoritatem labefactet, quo facilius persuadeat le-

* Add. Thomas. de plagio §. 659. sqq.

** Fuere tamen aliquot docti homines, qui Brunelli nomine sunt gavisi.

*** Hunc Tryphonem non alium esse a celebri illo R. Akibæ sive præceptore sive condiscipulo ac collega, quem R. Tarphon vulgo vocant, docuit Max. Rev. D. Carpzov. Introduct. in Theol. Judaic. pag. 84.

ctori suo, celebrem illam de Christo Periocham ab eo primum confictam ac Josepho suppositam fuisse. Quam litem ab Huetio jamdum assumtam cum nostram hoc loco facere nolimus, adscribimus potius verba Scaligeri, quibus Chronicon Eusebianum longe acerrime plagii accusavit. *Nihil*, inquit, *lucu-lentum, vetustum, excellens in eo est, quod non ex Africano depromserit, cujus-modi praestantissimum illud & nunquam satis laudatum Dynastiarum Aegyptia-rum monumentum, reges Assyriae, Stadionica, reges Sicyonii, Argivorum, Athe-niensium, & alia multa quae in priorem librum Chronologiae suae transtulit, quae cum omnia ab Africano habuerit, vix tandem illius meminit, nisi in iis, in quibus ab ejus sententia discedit, ut mirum nihil videatur, tanta securitate sui seculi alienam industriam sibi vindicare, neque revereri judicia eorum, qui Africanum quotidie legebant, utpote cujus opus a centum annis in manibus hominum versaretur.* Atque iterum: *Omnia, quae Africanus collegerat libris quinque, in illam priorem partem, quam κάνονας παντοδαπῆς ἱστορίας inscripse-rat, transfudit, tanta securitate, & ut Graeci loquuntur, adeo γυμνῇ κεφαλῇ ut ore Africani loquatur, verba ipsa Africani observet, nihil denique boni ibi reposuerit, quod lege Atinia ei Africanus condicere non possit.* * Nihilominus libro sexto Thesauri temporum, Principem historicorum vocat Eusebium, quemque multum Historiae contulisse negari non possit. *Omnia enim apud veteres scriptores Africanum, Tatianum, alios sparsa in unum conspectum con-jecit, ut hoc nomine plurimum illi debeatur.* Forte non ingratum Lectori fuerit his subnectere ejusdem Tanaquilli, quoniam in manibus est, judicium de duobus recentioribus Chronographis Calvisio & Helvico, praecipue cum tacitam plagii incusationem continere videatur. Lib. I. Epist. LXIII. pag. 211.** *Primum hoc mihi credas velim, Helvicum non satis locupletis esse fidei in hac Chronologiae parte, quae virorum scriptis illustrium aetatem signat. Dein hoc quoque habet Helvicus,* *** *quod fere plerumque recentiores scriptores sequa-tur, ut Eclogarios, Bibliothecarios &c. quale aliquid quoque in Calvisio impro-barat Scaliger, quemadmodum ex Epistolis ejus apparet,* * *quamvis Calvisii*

* Vide Gell. XVII. 7.

** Allegatur etiam a Voglero in addendis ad introduct.

*** Videtur etiam a Tentzelio *Helvicus* plagii accusari p. 42. judic. doctor. de Symbolo Athanas. *Albertus Crantzius* in contexenda Metropoli, Henr. Meibomio teste, Gobelini Cosmodromio plurimum usus est, integrasque ex eo pagellas descripsit, nomen vero ipsius reticet.

* Conf. Maussacum p. 376. ad Harpocrationem.

opus,

opus, ex quo totus est Helvicus, mirifice laudaret. * Ibidem Faber Helvicum in ætate Athenæi, Luciani, Justini, qui Trogi Epitomen confecit, & Hermogenis Rhetoris assignanda errasse notat. *Scin' tu quid faciendum? hoc, scilicet*, inquit, *petenda hæc Chronologiæ pars est ab aliis hominibus. Nam qui τὰ καθολικὰ artis illius vulgo tradunt, quamvis alias doctissimi, ætatem veterum scriptorum quomodo assignabunt, nisi scriptores ipsos legerint, quod tamen non faciunt?* Hæc Faber, cujus sententia omnino probari debet, consentiente Voglero. Cæterum de Eusebii scriptis præter alios abunde egerunt Bosius ad periocham Josephi de Christo, capite II. Hankius de Scriptotibus Byzantinis, & Guilelmus Cave in Chartophylace.

XXIV. DANIEL HEINSIUS.

Idem Tanaquillus libri I. Epistola 68. ob furtum literarium Heinsio dicam scribit, quod explicationem loci Horatiani *leporem venator ut alta in nive sectatur* &c. Scaligero inter accepta referre debuerit, quam tamen *nemini ante se in mentem venisse, neque adeo venire potuisse* glorietur. Majus plagium est, quod ei objicit Claudius Salmasius, præfatione ad Simplicium: *Quæ in ipso Simplicio ex scriptis codicibus vir doctissimus emendavit, talia sunt, ut optimam ac impendio laudabilem operam in editione Veneta corrigenda posuisse posset videri, si quid de suo in eam correctionem attulisset. Usus est Nansiano codice ** ab ipso Nansio cum scripto exemplari collato. Quæcunque ad oram sui libri notaverat Nansius, ea in textum recipienda curavit Heinsius, ubique deleta Nansii manu & sua reposita. Mirabitur Lector, si scierit virum fama celebrem alieni laboris gloriam in se totam transmovere esse conatum. Quodque magis mirandum, in eo libro, qui sanctissima & incorruptissima Philosophiæ præcepta traderet. Sic quidam olim sacrilegus, accensa face ex ipso altari, Jovem ad lumen suum compilavit, inquit ille. Ignoscerem illi, si bonas tantum conjecturas Nansii surripuisset, sed quod etiam malas, hoc vero ferri non potest. Ita delusus ille fur fuit, qui cum aureorum plenum sacculum se putasset auferre, aneis calculis refertum*

* Prolegomen. in canones Isagog. & in Epist. p. 303. 305. 325. 494. 515. 513. &c. vide & Casaub. Epist. p. 490, 506. sq. 509. &c. ac quæ novæ Calvisii editioni elogia præmittuntur

** Francisci Nansii, post quem Heinsius Nonnianam Johannis paraphrasin quoque edidit.

domi invenit. * Nescio quorsum oculos conjecerit auctor Bibliographiæ Curiosæ, Germanopoli, ut titulus præ se fert, excusæ, qui dicit Nunnesium ad Phrynichi voces Atticas in codice suo multa egregia annotasse, quæ Daniel Heinsius pro suis postea ediderit, acertime propterea traductus a Claudio Salmasio, præfatione ad Simplicium. **

XXV. SEBASTIANUS CASTALIO, SIVE CASTELLIO. ***

Hunc sub nomine *Martini Bellii* dialogum *Lælium de hæreticis gladio coërcendis* Calvino opposuisse, ex Beza in vita Calvini notavit Placcius pag. 161. & post eum Teisserius parte I. Elog. pag. 237. In Bibliotheca Anti-Trinitariorum, pag. 21. sub *Mini Celsi Senensis* nomine, quod liber *de hæreticis capitali supplicio non afficiendis* præ se fert, non Faustus, uti visum est Petro Scavenio, sed Lælius Socinus latere perhibetur. At Sebastiano Castalioni recte tribuitur versio latina Theologiæ Germanicæ a B. Thomasio Schediasmatis Historici pag. 77. quæ versio sub Johannis Theophili nomine prodiit. Ipse autem liber, vernacula lingua conscriptus, ab aliis Taulero, Schwenkfeldio ab aliis, ab aliis denique Eblendo Historico asseritur. * Quod Tauleri esse

* In Sarravii epistolis ad Gronovium p. 38. hoc epigramma legitur ad Dan. Heinsium de Exercitationibus sacris in N. T. in Obtrectatores: An eo laudetur, vel lædatur amicus tuus, ipse judica: mihi elegans & obliquum videtur.

De plagio suspectus eras, quia fama ferebat
Hæc de Scaligeri promta fuisse penu.
At, mihi si qua fides, mentitur Zoilus; omne
Quicquid id est, nemo non videt esse tuum.

Isaacus Vossius epist. ad Salmasium inter Gudianas p. 131. *Misit ad Parentem Heinsius exercitationes suas in N. T. Vidi & legi partem, quam pulchre exercitator ille a te exercebitur. Vix equidem scio, ubinam possit manus tuas effugere, nisi forsan in furto suo. Jam enim diu ante prædixeras, nihil in isthoc opere fore bonum, quod non sit dictum antea.*

** Magis mirandum est, hunc errorem Bailleto non suboluisse, merito hinc castigato a Menagio p. 173. sqq. Anti-Bailleti.

*** Castellio verum nomen est, sed maluit Castalio dici, quod a Musarum flumine qui Castalus dicitur, derivaretur. Scaligerana I.

* Georg. Frid. Heupelii diss. de Taulero §. 9. & Colbergii Hermetisch Platonisches Christenthum P. I. p. 77. sq. Taulero tribuitur apud Weigelium in γνῶθι σεαυτόν. p. 24. in margine.

non

non possit, ostendit Thomasius l. c. pag. 73. qui negat de auctore Theologiæ Germanicæ certius quicquam affirmare licere, quam quod fuerit, ut habent verba præfationis, ein deutscher Herr, ein Priester, ein Priester und ein Custos in der Deutschen Herren Hause zu Franckfurt. Idem Castalio Bernardini Ochini expositionem Epistolæ ad Romanos, dialogos & alia ex Italico latine vertit, suppressoque nomine suo vulgavit. De Castalione ejusque scriptis * plura legas apud Teissier. elog. de Scavans parte I. pag. 235. seqq. parte II. pag. 402. sq. ubi inter alia & de ejus versione notisque in Scripturam Sacram. Super versione nota sunt scripta, quæ inter Castalionem & Bezam cum non mediocri animorum acerbitate jactata sunt. Videnda etiam præfatio Genevensium Bibliorum A. 1559. & Henrici Stephani ad suum N. T. Richardi Simonis Critica V. T. lib. II. cap. XXXI. pag. 119. ac lib. III. cap. XV. pag. 70. &c. ** In Scaligeranis primis hæc reperio: *S. C. Optime tractasset sacras literas, si a multis Anabaptismi opinionibus liber fuisset, & adjutus ab aliquo.* Ad quæ verba Tanaquillus Faber hanc notulam subjecit: *id est Sebastianus Castalio, de quo in vita Johannis Calvini satis multa. Ille ipse est, qui Canticum Canticorum* *** *flagitiosum esse librum dicebat. Quidam Socinianum, quidam Anabaptistam fuisse asserunt. Nihil ad me, Latine doctum fuisse constat.* Teste Grotio in Epistola XI. pressus impotentia adversariorum, eo redactus est, ut lignando sibi vitam quæreret.

XXVI. TRAJANUS BOCCALINUS.

Marianus Poccalinus ab Italo quodam scriptore appellatur, qui se ejus Præceptorem profitetur. *Relationibus* Trajani Boccalini nomen præfixum apparet. Cajetano illas Relationes tribuit Rhodius & Scavenius, sed Boccalino tribuendas esse docent Erythræus, Deckerus, Laur. Crassus aliique, quibus etiam accedit Placcius ad Rhodium p. 42. quamvis ad alteram sententiam

* Obiit ætat. 48. [illegible]63. 29 Decembr. Basileæ. conf. D. Alberti præf. ad Castalionis colloquia, rec[illegible]691.

** Alii ap. K[illegible]bl. Hofman. T. I. Lex. Universal. p. 393. Adde Sammarthan. p. 55. elog. Neandrum p. 416. Erotem. Borremansium p. 135. sq. Varr. Lect. Alex. Morum in causa Dei p 159.

*** Hoc nomine perstringitur etiam a B. Gerhardo cap. 4. prolegom. ad Canticum, & ab aliis.

* Cum lapide Lydio versæ sunt ex italica in latinam linguam; in Germanicam quoque. vide Shottel, p. 1205. operis de lingua German.

incli-

inclinare videatur in pseudonymis pag. 165. Librum qui *lapis Lydius* inscribitur, Cajetano diserte tribuit Joh. Deckerus. Verum Erythræus pinacothecæ III. imagine LIX. * *Scripserat*, inquit, *librum Boccalinus, cui Lydii lapidis nomen indiderat, ubi conabatur ostendere, Regis tum omnium maximi ac potentissimi* (Hispaniæ) *opes ac vires non esse ita magnas, ut hominum ferret opinio, sed facile deleri posse, si quis alius Rex ad eas infringendas ac labefactandas accederet, & simul rationem, quamobrem id fieri posset, aperiebat. Itaque die quodam, Venetiis, ubi se maxime tutum fore sperabat, a quatuor vel sex militibus, ut ajunt, circumventus, ad pulsandos verberandosque homines validissimis, & adeo ab illis, sacculis plenis arena, contusus commitigatusque est, ut ex ea verberatione supremum vitæ diem obierit,* ** *nec Apollo potuerit, cui summum rerum omnium arbitrium tribuebat, ab eo infortunio incolumem eum præstare, nec perficere, quin styli ad verberandam violandamque Regum maximorum majestatem aperte conversi pœnas daret; ac fortasse eam ab illius capite pestem avertisset, si res acta fuisset in monte Parnasso, ubi ille regnum obtinere dicitur. Sed quia Venetiis, quo Apollinis imperii fines non pertinebant, ea ille affectus contumelia fuerat, ideo nullam ab eo opem auxiliumque potuit accipere.* Deckerus, ut relationes istas Boccalino tribuendas esse confirmet, provocat ad ingeniosissimas ejus notas ad Tacitum. Sed Morhofius pag. 81. Polyhistoris *facile*, inquit, *apparet e commentario Boccalini in Tacitum, Italica lingua scripto, ab ingenio humiliore illum esse profectum.* Erythræus quidem parte prima Pinacothecæ pag. 272. Boccalini in Tacitum commentarios *pro singulari hominis ingenio omni elegantia doctrinaque refertissimos esse non ambigit.* Verum notum est quam proclivis in elogia sit Erythræi oratio. Adamus quoque Ebertus, ut de Ameloto nunc nihil dicam, minoris eos facere videtur, dicens: *Boccalinum in relationibus solitas satis res insolita saltem methodo tractasse. Qualis tum deinde æstimandus, detractis salibus, patuisse ex lectione commentarii in Tacitum.* At idem longe majore jure de *Eberti ex parnasso relationibus* pronunciari posse videtur, qui præterea non pauca etiam fingit, quæ possibilitatem eventus, ut ipse loquitur, curiose [illegible]minantibus, satis inconvenientia apparent. Dictione sæpenumero utitur [illegible] quam non dicam Apollo sed vel quivis Apollinis minister refugeret. Quam [illegible]neus porro sit ad consilia studiosis suppeditanda, vel ex hoc ejus judicio cognoscere licet,

* Ejus libri auctorem quoque facit Boccalinum Vigneul Marville p. 10. sq. Melange.

** Adde & Tollium de infelicitate literatorum p. 38. Deckerus sicarii manu periisse nescio quo auctore scribit.

quod

quod relatione XXVI. pag. 180. legitur: *Maximam Historiæ Ecclesiasticæ partem quis hauriet ex lectione solius Nicephori, Eusebius enim non magni est ponderis.* Cui si quis opponat ea, quæ de Nicephoro habent Varenius rationar. Sec. I. pag. 176. Reiskius Exercitatione VII. de imaginibus Jesu Christi, Basnage Epist. ad Andream Arnholdum pag. 129. sq. Tenzelius diss. de duplici Baptismo Constantini M. §. 15. item quod fabularum consarcinator dicatur à Vossio, levissimus & futilis Græculus ab Huetio in Origenianis &c. quàm contra gravis & antiquus quamque doctus scriptor sit Eusebius, & cui, uti supra meminimus, quicquid boni, quicquid prisci Nicephorus habet, fere unice in acceptis referre debeat: Hæc inquam, si quis cum illa Eberti relatione conferat, Jovem lapidem juret, illam è Parnasso minime profectam esse. Ne verò plagii Ebertus accusaretur, ipse sollicite cavit relatione XXXIX. pag. 270. ubi Tacitum, quem plagii ambitionisque reum habitum finxerat, excusaturus, contendit, *plagia in rebus politicis non esse ignominiosa, sed illa aliena qui sibi vindicare sciret, non minus prudentem esse, quam alterum, qui eadem prius usurpasset. Alienum namque divinare ingenium difficilius esse, quàm proprium ostendere.* Et in præfatione: *si alibi forte, inquit, eadem cuipiam occurrent, non librum mihi cum illo sciat fuisse communem, sed rationem.* Boccalinum quidem aliorum operâ in relationibus suis usum esse aliquot locis innuit Erythræus. Pinacothecæ III. imagine LIX. *Quemadmodum Terentio malevoli objiciebant, ipsum in fabulis faciendis Scipionis Africani, Lælii qui dictus est sapiens, & Furii Pii operâ uti, assidueque cum illis una scribere, ita etiam de Trajano fama distulerat, in his actis referendis homines nobilissimos socios & adjutores habere. Verum id sibi non minus laudi ducebat, quàm Terentius, qui gloriosum sibi putabat, id quod malevoli quasi maledictum vehemens existimabant.* Ejusdem pinacothecæ imagine XXXI. quæ est Johannis Francisci Perandæ: *Finxit in actis Parnassi* (Peranda) [*nam Trajanus Boccalinus in illis componendis eo adjutore præsertim est usus,*] *finxit, inquam, missum fuisse Romam ab Apolline unum, collyrium nescio quod ferentem, quo si oculos Peranda inungeret, amissum lumen recuperaret, ac Perandam primùm nuncio delectatum fuisse, tum illum rogasse, num melius cum rebus humanis ageretur, quàm antea esset, quam ipse adspectum prorsus amitteret, cumque accepisset, nihilo meliore, imo deteriore eas loco inveniri, Tum Perandam dixisse, Quid igitur opus est oculis? nempe ut ea videam, quæ ne adspicerem, oculos effodi mihi juberem? Ergo maximas Apollini gratias ago habeoque, sed collyrium istud nihil moror.* Pinacothecæ I. imagine CXLIX. *Trajanus Boccalinus Romanus novam se invenisse viam*

viam gloriatur, quam Philosophia cupidi sequantur, --- voluptuosam, amœnam, floribus herbisque depictam &c. *Sed revera homo inflatus ac tumidus hac in re plus aliquanto sibi tribuit, quàm veritas & ratio patiatur. Nam aliquanto ante Nicolaus Francus, homo naturâ maledicus (quod illi infeliciter cessit,) & Caporalis Poëta facetus hanc primùm philosophandi viam aperuerunt &c.*

XXVII. SPERO SPERONIUS.

Idem Erythræus Pinacothecæ II. Imagine XVIII. plagii arguit Augustinum Barbosam, sed cum ejus verba à Morhofio p. 83. Polyhistoris referantur, ea huc adscribere supersedeo. Pinacothecæ tertiæ imagine LIII. de Sperone Speronio hæc habet Janus Nicius: *Cum semper ante ipsum apertos haberet Dariæ Rovensa, Rinaldi ex amore se affligantis, Trabisonda, aliosque ejusmodi libros, homo omnium fere suæ ætatis doctissimus, interrogatus, cur id faceret, respondisse fertur, se furem esse literarum & inprimis cupere sua furta esse occulta, idque sibi ex sententiâ eventurum esse putare, si pauperum tuguria persequeretur, unde si quid abstulisset, propter eorum quos expilasset obscuritatem omnibus etiam futurum esset incognitum; longe secus eventurum esse, si furtificas in locupletum & illustrium virorum domos manus vellet afferre, quorum res propter ipsorum nobilitatem & amplitudinem omnium jam patent ad oculos, nam si quid mihi ex illis arrogare vellem, ac proprium facere, quicunque adspicerent, continuo clamarent furem manifestarium, qui ea pro meis venderem, quæ jamdiu in illius vel istius beatissimi hominis supellectile numerarentur.* Præterea de Sperone videatur Teisserius parte II. Elog. des Scavans pag. 79. sqq. ubi & scripta ejus recensentur.

XXVIII. CASPAR SCIOPPIUS.

Quæ de hujus plagio ex ejus vita habet Thomasius, iis addi possunt verba Joseph. Scaligeri in Epistolis pag. 326. *Omnino qualubet esse notus optat, & quidem erit, quandoquidem Ritterhusii hospitis sui nummorum ac librorum fur recta Romam se contulerit, ut non prius ἀποστάτης quàm fur dici posset.* De Scioppio etiam intelligendus locus Epistolæ Casauboni ad Joh. à Woweren, IX. kal. Jan. 1603. * *Cum in hanc urbem secundùm veni ante*

* Non est in editione Epistolar. Græviana, sed in Merici pietate p. 90. qui Scioppium vivis coloribus depingit p. 20. seqq.

annos

annos quatuor, relatum mihi ab amicis familiaribus aliquando tuis, te, quamdiu hic versatus es, solitum de me, de uxore, de liberis jocosos sermones cum nequissimo bipedum, qui Sidonio tuo tantum debet, habere. Librum *Tres Capellæ*, seu admonitionem ad Josephum Justum Burdonem, Scioppio * a nonnullis tribui disco ex Placcio pag. 65. anonym. Sed hoc perspicue refutatur ab ipso Scioppio in pædia humanarum ac divinarum literarum pag. 28. Ibi enim inter elogia sua illud quoque *Ingolstadiensium Jesuitarum in tribus capellis* adducit: *Vir illustris Caspar Scioppius pro sua egregia in DEUM pietate & adversum omnes bonos amore non ferendam ultra ratus est incircumcisi illius Burdo Scaligeri audaciam.* Dixerat autem pag. 26. *Nullius mortalium testimonium de Scioppii talentis plus fidei habere debet, quam Reverendorum Patrum de societate Jesu.* Subjicit deinde rationem, quod Jesuitæ à se passim fuerint lacessiti. Inter Jesuitas autem Martino Delrio vendicandum esse illud scriptum, videtur ex Josephi Scaligeri (ipse enim auctor. *Vide ejus Epist. p. 793. Colomesium in Gallia Or. p. 115. & 117. atque in Opusculis p. 155. B. Thomas. pref. ad Muret. p. 24.*) confutatione fabulæ Burdonum, ubi hæc legas pag. 330. *Foria Scaligeri in magnâ expectatione sunt, ut augeant numerum Vindiciarum. Quibus foriis excipiendis paratæ jam sunt latrinæ suæ & stabulum* Tribus capellis. *Quid magis illum suppostitium partum prodiderit, quam θεραπευτὴς ἀντὶ τοῦ Μοναχοῦ ex delirio Eusebii de Essenis,* ** *quod Josephus primus monuit. Si tot affectata & tam imprudenter & tantâ securitate alienorum judiciorum ab eo auctore in illud opus inculcata hoc non testarentur, tamen tam ridicula affectatio antiquitatis Monachismi id vociferaretur. Sed ille ejusdem summi novitii Theologi fœtus, de quo jam dixi, expectatur, cui titulum fecit:* Peniculus foriarum Scaligeri. *Qui in Hierarchiâ* *** *defendenda tam ridiculum se præstitit, quid faciet in foriis?* Ex eodem loco apparet Delrio quoque tribuendum esse libellum, qui Anno 1609. in 12. Antuerpiæ, ut videtur, sed ut titulus habet, Metelloburgi Mattiacorum apud heredes Matthianos prodiit hâc inscriptione: *Peniculus*

* Scioppio quoque adscribit Andreas Dinnerus in Epistolis Georgii Richteri p. 793. sed ejus esse non putat Casaubonus. Rectius Corona Regia (de quâ Morhof. p 78.) Scioppio tribuitur in mensibus vernaculis Christiani Thomasii parte II. p. 588.

** Hanc sententiam defendit Delrio & jesuitæ communiter, acerrime quidem Serrarius lib. 3. Trihæref. & in Minervali c. 23. sqq. quam præter Scal. Drus. Vallef. prolixe confutat Hankius II. de Rom. Scriptor. p. 72 sqq.

*** Perstringit Martini Delrio Vindicias Areopagitæ. Hunc Martinum cum Marco Antonio confundit Eybenius.

foriarum elenchi Scaligeriani, pro societate Jesu, Maldonato, Delrio. Au-ctore Liberio Sanga Verino Cantabro ad Clarum Bonarscium Belgam, Caspar Barthius suo exemplari præter alia hoc distichon inscripserat:

Peniculum foriis Batavorum stellio fecit
Nil reperire potest dignius ore suo.

XXIX. RENATUS VERDÆUS.

Sub hoc nomine *mysteria patrum Jesuitarum* gallice edita sunt, quæ post Anglicam versionem auctor ipse latine reddita A. 1631. atque iterum cum Auctario Anno 1633. emisit. Denique ab alio in germanicam quoque linguam libellus iste ex priore latina editione conversus est. Quod non ferendum amplius ratus Laurentius Forerus Jesuita ei partem mantissæ suæ objecit, cui brevi intervallo post, sub eodem Renati Verdæi nomine, statera mantissæ Laurentii reposita fuit. Mysteriorum illorum auctorem amicum suum intimum vocat *Andreas Rivetus* capite XII. Jesuitæ vapulantis. Sed ipsum Rivetum mysteriorum ac stateræ auctorem fuisse non modo anagrammatismus indicat, sed & certissime confirmat, quod utrumque scriptum in Operum Riveti Tomo III. sub finem hodie legitur.

XXX. a. SILVESTER PETRA SANCTA. Jesuita.

Hujus notas in Petri Molinæi Epistolam ad Balzacum castigans Rivetus, plagii eum accusat his verbis cap. V. Jesuitæ Vapulantis T. III pag. 505. *Citas Lutheri Tomum VII. nec tractatum indicas, nedum caput aut paginam, ubi dixerit, se primum fuisse cui DEUS ista revelaverit. Nempe quia tu apud Lutherum hæc non legisti, sed ab aliis objecta desumsisti. Eodem enim modo citantur in libello Lussonensis olim Episcopi nunc eminentissimi Cardinalis de Richelieu, à quo video non pauca te mutuatum fuisse, quemadmodum ille, aut potius sacerdos Anglus qui tum ei fuit à manu, ex laciniis Anglopapistarum.* conf. p. 508. 511. &c. Capite XXVIII. p. 579. *Quod non ignorare se dicit, illud ignorasse se ostendit, nec unquam legisse Cuspiniani verba, sed ex lacunis Sterani hausisse, quæ descripsit.* Scilicet hoc solenne Pontificiis est, ut undiquaque furentur, quæ adversariis objiciant, ne mancipia paucæ lectionis esse

esse videantur. Sic non ita pridem desperatissimum Apostatam *Christianum Franzium* stultissimi plagii convicit maxime Rever. Dn. D. Valentinus Alberti im gründlichen Gutachten über Frantzens unbetrüglichen Weg des Lebens p. 95. sqq. Neque vero hoc loco prætermittendum aliud plagii proprie sic dicti genus, quod in ejusdem libri c. IV. Jesuitis Rivetus objicit, quod sæpenumero liberos invitis parentibus eripere laborent, vel eripiant quoque, facturi ex iis filios Gehennæ duplo pejores, quàm ipsi existunt. Ac de hoc serio conquestum fuisse Petrum Ærodium pontificium hominem in libello de patriâ potestate ad Filium Pseudo Jesuitam.

XXX. b. JACOBUS AUGUSTUS THUANUS.*

Vir summus Bibliothecæ Regiæ Magister & Parlamenti Parisiensis præses, ut omnes præclarissimi Historici partes compleret, non modo elegantia scribendi & pro varietate rerum judicio usus est, sed & veritati inprimis studuit, ut ab hâc, omnia, quæcunque in annales suos referret, unicé comprobarentur. Quemadmodum itaque in Gallicis rebus, iis præcipue, quibus ipse interfuit accurate summaque fide describendis operam collocavit suam, ita, ut exterorum historiam non dissimili diligentia aut fide consignasse videretur, domesticos cujuscunque gentis historicos consuluit, eosque secutus est, verbis etiam ipsorum non raro retentis, unde stilum alicubi diversum in Thuani historia deprehendi observavit auctor Bibliothecæ Politicæ contractæ, quæ Bibliographiæ curiosæ, quam supra allegavimus, subjicitur; In Genevensi porro editione, ne, per quos profecisset auctor ingenuus, dissimulasse posset videri, singulis libris indiculum auctorum præmisit, quibus in unaquaque Historiæ parte concinnanda usus fuerat. Quæ hoc loco à me adducenda fuerunt, ne aliquis de plagio interpretaretur, vel Conringii ** verba de urbibus Germaniæ §. 15. *Chytræum sequitur in plerisque rerum Germanicarum narrationibus, verbis ejus non nisi leviter mutatis*, vel si quæ similia apud alios offenderit. Quam ægre autem noctuini Papistarum oculi

* Ejus laus ap. Scal. p. 69. Epist. & prolegom. ad Euseb. Pithœi Opera Paris. 1652. in 4. edita p. 755. Gerh. Jo. Voss. præf. de Histor. latin. ubi quæ post obitum Thuani edita sunt, non parem fidem mereri notat &c. Grotium Epist. Casaub. Epist. &c. Vitam suam ipse Thuanus locupletissime descripsit.

** Locum allegat Eybenius p. 778.

veritatis radios ferre possint, * testimonio est, quod Thuanum non modo mutare aliquot Historiæ loca coëgerint, uti ex ejus Epistola ad Petrum Fabrum Aruernum testatur Colomesius pag. 148. Galliæ Orientalis, sed & non pauca in iisdem Historiarum libris expurgari jusserit Index Hispanicus pag. 678. seqq. ** Alii politicis eum ideo accensuerunt, quos Zelotæ pro hæreticis atque atheis diffamare solebant, quorum ipse Thuanus meminit libro XLIV. LVI. & XCV. Vide & de iis Mercur. Gallo Belg. ad A. 1689. pag. 120. 122. Tholosanum de Rep. pag. 171. Voëtium T. 1. Selectarum pag. 117. 123. 189. Coring. de Civili prudentiâ cap. 2. Becmanu. Polit. sub initium. Hornbeck. Miscell. 5. p. 13. Hoffmann. T. 2. Lex. Universal. &c. Insignem locum ex Ebermanni Irenico profert B. Dannhauerus T. 1. Theologiæ Casuisticæ pag. 509. *Ex libris Historiarum nemo Thuanum jure Catholicum dixerit. Legimus & nos eum olim à capite ad calcem, sed in negotio religionis haud paulo periculosiorem invenimus, quam ipsum Calvinistam Sleidanum*, *** *atque utinam non cum perniciosissimo plurimorum experimento*

* Filio quoque Thuano Historiæ paternæ veritas nocuit. Vide Patin. Epist. 25. Varillas respons. ad Burnetti judic. p. 77.

** Amstel. 1663. 12. prodiit Thuanus restitutus, ubi exhibentur loca Thuani in plerisque editt. desiderata.

*** Sleidamum quoque laudaverat Thuanus lib. 12. lib. 16. & ad fin. libri 17. adde Teissier. elog. des Scavans parte I. p. 114. sqq. & parte 2. p. 397. Dn. D Alberti gutachten über Remond. p. 54. sqq. (Florimundus enim Ræmundus L. I. Hist. Hæres. c. 4. multum queritur de Sleidani perfidia eique potissimum suum opus, nudam scilicet si Dis placet veritatem oppositurum profitetur.) Joh. Daniel Ernst. Gemühts Ergötzlichkeiten p. 91. sqq. Illustr. Seckendorf. prolegom. de Lutheranismo contra Maimburg. conf. Sleidani apologiam Commentariorum repetitæ editioni præfixam. Frid. Hortlederum præf. Operis Germanici de bello Smalcaldico. Inter *ἀνέκδοτα* Freinshemiana, Spizelius p. 363. templi honoris, refert prælectiones in Laur. Surii commentarios, in quibus ostensâ illius fraude ac impostura, Sleidano veri Historici nomen encomiumque asseritur. *Statum in Germaniâ mutatum magna fide retulisse* dicit Ruarus p. 98. Epist. Videndus quoque Zeilerus parte 2. Histor. celebr. p. 141. A. Jacobo Sturmio adjutum se fatetur Sleidanus in præfat. quod repetit Teissier. parte I. pag 75. seqq. Le Vayer T. XIII. pag. 440. *Charles-quint se faisant lire l'histoire de Sleidan que les Protestants d'Allemagne nomment leur Tite Live, s'ecrioit souvent, a ce que dit Surius, mentitur Nebulo. Mais on rejette avec raison ce temoignage & on lui oppose celui de l'Auteur de l'Apotheose de Ruart Tapper Chancelier de l'Université de Louvain, lequel dit, que Charles Quint traitoit Sleidan d'Historien fidel & exact.* Adde Wagenseilium Pera IV. b. p. 605. sqq. Autographa Rudolphina T. II. p. 21. sqq. Fuse & erudite de Sleidano & ejus Scriptis Sagittarius Introduct. p. 105. sqq.

idem

idem adhuc cerneretur. • *Memini ante annos* 26. *Justum Meyerum JCtum Argentinæ Zelosum Lutheranum de Thuano cum aliis ibidem opinari, quod in confessione Augustana obierit. Unde quid mirum, quod eum Catholici explodant? noster certe videri non potest, cum tot in eum incurrant, quæ ipsum, ut loquitur Forerus in Symb. Luther. p.* 703. *hæresi à vertice usque ad talos delibutum pessimaque fidei historicum fuisse palam faciant, ut sigillatim annotarit in opusculo de ejus historia Joh. Baptista Gall. JCtus Ingolstadii Anno* 1641. *impresso, ex quibus omnibus odium internecinum Thuani in Romanam Catholicam religionem maximis radiorum stricturis emicat. Dummodo enim aliquis hostis Papæ Cardinalium & Cleri fuerit, licet cætera hæreticissimus & sceleratissimus, jam dignus Thuano visus fuit, qui super sidera laudibus extolleretur.* Conringius adversus Ebermannum scripsit, sed jam non est ad manus. E Grammondi autem tertio Historiarum libro, ubi ad A. 1617. Thuani elogium legitur, illa huc verba apponam, quæ de ejus religione agunt: *Cæterum privilegia Ecclesiæ Gallicanæ & Regum auctoritatem dum acrius vindicat vir politicus, Romæ suspectatur. Iniqua suspicio, quam mendacii manifestam facit, nedum vita quam exegit in fide Catholicâ & Romanâ magno virtutis Christianæ exemplo, sed & ipsius testamentum, quo palam profiteretur fidem Orthodoxam.* Hæc Grammondus Historicus ad odium usque veritati addictus & sacri Regis Consistorii Senator, quæ longissime distant ab iis, quæ Jesuita Ebermannus eructavit.

XXXI. JACOBUS PHILIPPUS TOMASINUS.

Jam supra hujus meminimus, cum de Funccio ageremus. Sed quæ ibi de elogiis Tomasini ex Colomesio affirmavimus, de pluribus ejus scriptis dicere jubet Caspar Hoffmannus Epistola ad Reinesium XI. Cal. Octob. Anno 1640. *Joh. Rhodius genere Danus ante XVI. annos Altdorffum transiens amicitiam contraxit mecum, quam etiamnum fovet. Vixit interea semper Patavii variis deditus studiis & ὡς Φήμη Φημίζει auctor scriptorum illorum quæ hactenus sub nomine Ph. Jac. Tomasini prodière. Inter hæc habeo elogia clarorum virorum, de Donariis, vitam Livii & Petrarchæ, quos facile ex Italia procuravit tibi Fleischmannus tuus. Tomasinus ille Patavinus est, Canonicus Regularis D. Georgii in alga & cœnobiarcha D. Mariæ in Vantio, hodie Episcopus Æmonæ, qui istis scriptis cardinalatum dicitur ambire, promisisse etiam*

Rhodio

Rhodio Canonicatum in summo templo Patavii à Domo. Idem in alia ad Reinensium Epistolâ VII. Id. Julii 1643. *Joh. Philippi Tomasini scripta vidistine? Sunt Johannis Rhodii. Hic est ille, dicunt, qui libros edit sub nomine Tomasini.*

XXXII. JACOBUS OISELIUS seu OUZELIUS.

Quæ ad Minucii Felicis Octavium pag. 26. *de naso iræ sede* commentatur, manifeste descripsit ex capite I. Lectionum Theocriticarum Isaaci Casauboni, cujus ibi nullam mentionem facit. Si id agerem, possem adddere egregium locum Casaubono non notatum ex venustissimi Heliodori Æthiopicis pag. 124. edit Bourdelotii: *ἡ ῥὶς ἐνεπαγγελία θυμοῦ, καὶ οἱ μυκτῆρες ἐλευθέρως τὸν ἀέρα εἰσπνέοντες.* Possem etiam alia in hanc sententiam, sed memini alienissima ab instituto meo esse. Ouzelio autem recentiorum scrinia compilare solenne esse animadverti, adeoque miratus sum, quod nihilominus Fulvio Ursino de plagio dicam dixerit præfatione ad Minucium. *Balduini Juniique nominibus dissimulatis, Ursinus, annis plus triginta post, ex Petri Ciacconii schedis novam Arnobii moliens editionem, sibi hanc judicandi provinciam arripuit, quasi ipse princeps simul Minucii ac ejus fœtus index foret. Quod malo more ac inanis gloriæ affectatione ab eo factum.* * Optime scilicet Christophorus Aulæus avorum nostrorum memoria cecinit:

Quæ vitare jubes alios, ne feceris ipse,
Turpe est doctorem cum sua culpa notat.

Cui sententiæ gemina collegit doctissimus diffusæque lectionis vir Christianus Daumius ad Catonem p. 151.

XXXIII. EUGIPPIUS.

Monasterii Lucullanensis Abbas, abbatis Severini & Gelasii Papæ discipulus, ad quem Fulgentii & Dionysii exigui Epistolæ exaratæ extant, quique Severini illius vitam conscripsit Isidoro memoratam, editam inter opera Marcelli Velseri p. 635. Dedicationem Eugippii ad Paschasium Diaconum vulgavit Henricus Canisius T. VI. Antiquar. Lectionum. Ex ipso Eugippio

* Conf. Thomas. §. 583. plag.

colligi

colligi potest, vitam Severini ab eo scriptam esse circa Annum Christi 510. Paucis annis post consulatum gessit Marcus Aurelius Cassiodorus, qui divinarum Lectionum capite XXIII. * *Convenit etiam*, inquit, *ut presbyteri Eugipii opera necessario legere debeatis, quem nos quoque vidimus virum non usque adeo secularibus literis eruditum, sed scripturarum divinarum lectione plenissimum. Hic ad parentem nostram Probam virginem sacram ex operibus S. Augustini valde beatissimis*** *quaestiones, ac sententias, ac diversas res deflorans in uno corpore necessariâ nimis dispensatione collegit, & in CCCXXXVIII. capitulis collocavit.* Unde Lambecius libro II. Bibliothecæ Vindobonensis capite I. contendit eundem esse Eugippium Severini vitæ scriptorem cum illo, cujus excerpta ex Augustino collecta inque duas partes digesta habemus, ut frustra Africanum quendam Eugippium sibi finxerit Joh. Heroldus, qui vitam Eugippii Africani Tomo II. ejus excerptorum Basileæ Anno 1542. à se editorum addidit, quem deinde secuti sunt Bellarminus, Rosweidus, Miræus, Velserus, Labbeus, Olearius & ipse quoque accuratissimus Cave, Velserus insuper castigandum Trithemium existimavit, quasi *duos Eugippios* temere inter se confudisset. Scilicet existimarunt, Augustinum, qui Afer fuit, non ab alio quam Africano abbate deflorari potuisse. Contra in eundem modum Cl. Reinesius pag. 438. Var. Lect. confundit *Simeonem S. Mamantis* in Xerocerco præpositum cum *Simeone Metaphraste.* Cl. Placcius in Pseudonymis p. 143. Raynaudum secutus, diversos facit *Ambrosium Ansbertum* Monachum & *Authpertum* Abbatem S. Vincentii, errorisque hoc nomine arguit Olearium, quasi duos illos male confuderit. Sed cum nullus fuerit Ambrosius Ansbertus Monachus, verum Autpertus Monachus factus postea sit Abbas, rectius à Guilelmo Cave in Chartophylace Raynaudus erroris accusatur. Quemadmodum vicissim Placcius p. 199. recte deseruit Raynaudum, qui *Johannem de Gessen* à *Johanne Gersone* perperam distinxerat, de quo Gersone multa Launojus parte II. Regii Navarræ Gymnasii p. 480. sqq. Ut hoc quoque obiter moneam, Cl. Cave pag. 346. Chartophylacis, cum Trithemio de S. E. Hottingero p. 15. annalect. & aliis Nicolaum de Clemangis Archidiaconum Bajocensem facit, at Launojus p. 570. l. c. *Quibus*, inquit, *monumentis fulti, nec ipsi confirmant, nec, opinor, confirmare possunt. Cœnobii S. Victoris &*

* T. I. Opp. Cassiodori edit. Rotomagis 1679. fol. Johannes Garetius de Eugippio allegat Chiflet. ad Ferandum p 332. Baron. ad. A. 504. T. 6. Annal. Conf. Bibl. Lat. med. & inf. ætatis.

** Alii, *altissimas*. Ita *valde summus, valde optimus*, ap. Plin. Medicum vide Barth. II. 14. Adversf.

Regiæ Navarræ codices MSS. Archidiaconum minime objiciunt, sed Cantorem, etiam illi, qui post auctoris obitum descripti sunt. Idem Cave p. 378. Gaufridi Busardi commentarium in VII. Psalmos pœnitentiales editum esse dicit à Launojo p. 627. cum ibi non commentarius ille, sed pia tantum oratio de vita sua, quam commentario Bousardus præmiserat, reperiatur. Forte non pessime fecisse videbor bonis hominibus, si levissimas etiam maculas in facie alioqui elegantissimâ detergere alloboravi.

XXXIV. PETRUS HISPANUS.

Bartholomæus Keckermannus in præcognitis Logicis pag. 60.* *Synopsis illa Pselli in libros quinque digesta multa habet, quibus Logicæ Studiosi non parum juvari possint ob singularem styli etiam græci perspicuitatem. Iisdem verbis Logicam exorditur quibus Petrus Hispanus - - In cætero methodus Hispani per omnia est eadem, ita ut de verbo ad verbum deque capite ad caput Hispanus suam summulam ex hoc Psello suppilarit, & quæ jam Hispani dicuntur, ea Pselli dici debeant. ---- Cum in Psellum incidisset clam, forte putavit vel à nemine lectum, vel lectum non iri, quæ spes Petrum fefellit. Ideoque ei jam nihil, sed Psello vero auctori debetur, quicquid in ea tam celebri olim summulâ Hispani fuit laudis, quæ profecto non est exigua.* &c. conf. pag. 67. & 158.

XXXV. PAULUS MANUTIUS. & XXXVI. LAUR. VILLAVICENTIUS.

Ex eodem Keckermanno adscribam illustrem de furto literario locum, qui legitur pag. 157. sqq. dictæ editionis, nam in editione A. 1613. nescio, ob quam causam est omissus. *Non tantum iis bonis insidias strui, quæ fortunæ appellare solemus, sed his quoque, quæ animi sunt & mentis propria, vel saltem gloria, quam ex ingenii & animi bonis quærere solemus, documento esse possunt varia ab omni seculo exempla, quæ tamen non scio, an ullo seculo fuerint frequentiora & plura quàm nostro - - notavimus exempla non pauca, quæ odiosa cum sint, præstiterit sepelire. Habuimus ante exemplum evidens in Petro Hispano - - Sed illud est memorabile, quod in Erasmi adagiis tentatum fuit non*

* Edit. Anno 1598. Hanov. in 8.

ita

ita pridem, namque hoc incomparabile opus cum Erasmo inviderent Itali, alibi recuderunt sub alieno nomine. Atque hoc Pontificiis imprimis solens hodie atque consuetissimum est, ut ex multis exemplis probari potest, è quibus unicum tantum hôc loco referam, quod etiam summus ille immensæ lectionis vir Joh. Reinholdus Anglus adducit de Laurentio Villa Vicentio, qui eruditissimum opus Andreæ Hyperii de ratione studii Theologici totum suppilavit, & sub suo nomine mutatis tantum atque omissis illis, quæ Pontificios tangebant, plagiarie edidit. Hæc verba ante oculos habuisse videtur Johannes Heidfeld, cum in Sphinge Theologico Philosophica scriberet cap. XXV. *Itali cum memorabile opus Adagiorum uti & Apophthegmatum Erasmo nostro inviderent, alibi sub alieno nomine recuderunt. Eruditissimum opus Cl. Andreæ Hyperii de ratione studiorum Theologic. Pontificii totum suppilarunt, scelerate mutatis mutandis sibi attribuerunt. Valde hoc ipsis consuetum & solens est, Sic vos non vobis Vellera fertis oves.* De adagiis quod affirmat Keckermannus, nec dum quicquam reperire potui * præter ea, quæ habet Erasmus in præfat. quod sibi quidam litem super iis moverint, quæ tamen alio pertinent, uti illa quoque, quæ de Rhodigino refert Morhofius p. 252. Polihyst. Qui etiam p. 250. notavit, Pontificios Apophthegmata Erasmi eraso ejus nomine per invidiam tribuisse Paulo Manutio. Præter editionem Coloniensem A. 1666. quam memorat Morhofius, est mihi Veneta Apophthegmatum Erasmi editio Anni 1590. 12. quæ hunc titulum præ se fert: *Apophthegmatum ex optimis utriusque linguæ scriptoribus libri VIII. Pauli Manutii studio atque industria, doctissimorum Theologorum consilio atque ope ab omnibus mendis vindicati, quæ pium & veritatis Catholicæ studiosum lectorem poterant offendere.* In præfatione Aldus Pauli filius, *Hujusmodi*, inquit, *sunt Apophthegmata, quæ nunc expurgata, deletis Pontifice Max. approbante, quæ piorum mentes aliquo modo offendere poterant, edimus.* Venetam hanc editionem expressit Coloniensis. De Villavicentio Hispano Colomesius p. 10. Galliæ Orientalis, *Hic* inquit, *ex Andreæ Gerardi, à patria Hyperii, Opere de ratione studii Theologici suum compilavit, ut notat eruditissimus Anglus Joh. Rainholdus lib. I. cap. 4. tractat. de Romana Ecclesiæ Idololatria. Sexcenta*, subjungit Colomesius, *hujus generis furta notavi, aliquando, si DEUS adsit, edenda.* Sed his XXIV. annis qui ab ejus libri editione intercesserunt, non tantum furta illa observata, sed & alii libri complures quos in eo opere passim liberaliter promittit, nusquam comparuere.

* Imo vide Pandectas Brandenburgicas T. I. p. 36. Manutii editio lucem adspexit Florentiæ, 1575. fol.

XXXVII. PETRUS RAMUS.

Hunc quoque Keckermannus Tract. II. capite quinto præcognitorum Logicorum prolixe plagii in Vallam, Rud. Agricolam, sed Vivem inprimis commissi arguit. Nos ea tantum verba huc adscribemus, quæ in editione Anno 1613. sunt prætermissa.* *Ita nimirum Petrus Ramus Ludovicum Vivem expressit per singulos Organi libros, (solos Sophisticos elenchos excipio, quos Vives probat, improbat Ramus) Interim eum nusquam citat, nusquam eum, quod legerim, mentionis honore dignatur, cujus non tantum sensum, sed & verba nonnunquam secutus est. An hoc illud ingenuum est profiteri per quem profeceris? si doctoris, si magistri tui nomen supprimas, interim ejus retineas summas quasque hypotheses, quas ego hic, Lector candide, non omnes apposui, ut vitarem prolixitatem, sed nihil aliud optem, quàm porro Vivem à te cum Rameis dogmatibus conferri in Grammaticis, Rhetoricis, Physicis, exclamabis, sat credo, atque indignaberis, atque incipies mecum scholas Rami, Ludovici scholas vocare, res plerumque & in genere eædem sunt, stylum addidit declamatorium & Catilinarium, ad quem trahebatur per ingenii sui granditatem. Quod si Ramus ingenue hæc fateretur, & Vivi accepta referret, condonaremus equidem id ei facile, at quia hoc non facit, quia etiam in Epistolis suis passim magno fastu atque ambitione sibi hæc tribuit atque arrogat, omnes omnium mundi partium Philosophos appellitans, nemo vitio dabit, si conemur ostendere suum cuique auctori tribuendum.* De cætero Keckermannus in præcedenti capite Rami doctrinam omnibus ingenii nervis intentis oppugnaverat, quæ quam acres Ramo adhuc superstite adversarios experta fuerit, vide apud Launojum de varia Aristotelis fortuna cap. XIII. & XIV. Neque ejus antagonistæ quieverunt, donec anno superioris seculi 72. infelix Aristotelis hostis in laniena Parisiensi misere interimeretur.

XXXVIII. JOHANNES BERNARTIUS.

In libris duobus de utilitate legendæ Historiæ, quos Lipsio inscripsit, uti dictionem Lipsii ad ineptias usque affectat, ut inter simias Lipsianas Dru-

* At in editione A. 1598. leguntur p. 166. sq.

sium,

fium, Petrum Gruterum, Josephum Laurentium, Priolum &c. vel primo loco stare possit, ita non tantum flosculos Lipsii, sed & veterum Auctorum dicta, quæ Lipsius scriptis suis inspergere solet, passim sublegisse videtur. De ejus notis in Statium Barthius VI. 4. Adversariorum, *Demas*, inquit, *scripta Lexicographorum, demas quæ ex Lipsio & aliis talibus, præcipue vero Natali Comite fabulas & ejus generis aliis exscripsit, plane parum relinques ipsius operæ debitum.* Nihilominus in suo ad Statium commentario non semel Bernartii operam laudat Barthius, quanquam imparem Statio congressum fuisse repetat p. 2359. Adversar. Josephus quoque Scaliger. p. 717. Epistolarum: *Strenuam certe operam in Poëtam illum bonus & eruditus ille Bernartius navavit, ita, ut ejus diligentia & tuum* (Woverio scripsit) *& meum minuerit laborem.*

XXXIX. NICOLAUS FULLERUS Anglus.

A Johanne Drusio * plagii postulatus ita se defendit p. 776. sqq. Miscellan. S. ** ut injuria ei à Drusio illata esse videatur. Linguarum orientalium callentissimum & de speciminibus per doctissimos Miscellaneorum libros celeberrimum vocat Reinesius tractat. de linguâ Punicâ. Vitam suam ipse recenset dedicatione Miscellaneorum ad Henricum Wallopum.

XL. HENRICUS KITSCHIUS Lipsiensis.

B. Rappoltus de plagio differens ad locum Horatii, quo Celsus tanquam cornicula furtivis coloribus superbiens traducitur, ex Henelii otio Uratislaviensi refert, Kitschium quatuor *Passeratii discursus politicos* pro suis edidisse. Illius Kitschii Symbolologiam Heroicam Hexaglotton *⁎* aliquando versavimus, in cujus postfatione, uti ridicule appellat, prelo paratam se habere ait Anthologiam Guevarrianam ex Horrologio Principum per M. Joh. Wankelium ex Hispan. latine verso. Ad calcem appendicis edere se minatur

* Ad difficiliora loca Exodi c. 46.

** Edit Argentorat. 1650. 8.

⁎ Prodiit Lips. 1607. 8.

juvenilia Academica, Cæsareologiam à Cæsare ad Rudolphum II. Philologiam Budæi notis perpetuis illustratam. Lud. Guicciardini Horas recreationum ex Italico latine versas. Διέξοδον aphoristicam de disciplina & ejus differentiis. Ori Apollinis Hieroglyphica emendata cum marginalibus & indice. Lexiphanem seu antiquarium obsoletorum vocabulorum. Cosmographiæ compendium ex Italico latine factum. Miscellaneorum Tomos II. Histor. Polit. Ethic. & Oeconom. Dicta Chronologica in singulos annos. Symbola Heroica Principum Anhaltinorum. Phthonologiam, seu speculum invidiæ. Dicteriologiam, seu elenchum scite & false ab Imperatoribus, Regibus & aliis illustribus viris dictorum. Discursum de Bibliotheca instituenda, eaque singulis annis amplificandâ secundum vitæ genera Theolog. Polit. & Oeconomicum. Horum nihil vidimus, neque admodum videre desideramus, voluimus tamen vel titulos hic apponere, ut inde hominis vani in promittendo liberalitas constaret, qua plurimos ætate nostra divites esse videas, qui infinita polliciti, antequam mater conceperit, Lucinam ad auxilium implorant.

XLI. JOHANNES BENEDICTUS.

De hujus *Bibliis* ita Arnoldus Bootius, indice Auctorum animadversionibus suis sacris * præmisso: *In annotandis locis, ubi ab Ebraico dissentit latina, sæpe mancus est, & jejunus, ac plerumque potioribus & capitibus penitus omissis exigua quædam & minoris momenti attigisse contentus. In iis autem, quæ adnotat, permulta à Pagnino desumta sunt, atque ex ipsius interpretatione ad verbum, aut parva cum mutatione, transcripta, ita tamen ut non pauca quoque sint, in quibus à Pagnino penitus descifcit, sed in quibus nullum operæ pretium deprehendi.* Paulo lepidius est, quod de Renati Benedicti Doctoris Parisiensis versione Bibliorum Gallica narrat Rich. Simon libro II. Criticæ Historiæ V. T. sub finem: *Cum vidisset is homo, novam Logicæ Aristotelicæ versionem valde probatam fuisse, etsi prorsus linguæ Græcæ ejus auctor imperitus esset, pariter Gallicam versionem juxta Hebræum & Græcum, etsi neutrius linguæ peritum se libens ipse confiteatur, producere aggreditur. Quo rem facilius perficeret, Genevensem accipit versionem quibusdam vocibus immutatam & Synonymis suffectis. Infeliciter vero accidit, ut cum folia jam impressa cum suis ipsius emendationibus Typographis traderet, non exacte admo-*

* Prodiere Londini 1644. 4o.

dum

dum ista emendationes excusa fuerint. Quocirca Theologi Parisienses inventâ in iis Cœna voce & quibusdam aliis similibus Genevæ prognatis palam hanc versionem condemnarunt, utut nomine unius è collegis ipsorum insignitam. At ultro crimen illud auctor confessus est.

XLII. RAIMUNDUS LULLIUS. *

Res prorsus risu digna, ait de hôc Cardanus, omnem velle tradere doctrinam, nullam nosse. Quod non amplius mirum est, si Petro Montuo credamus, Lullium omnem artem suam ex Arabe Abezebron manifesto plagio cepisse, uti Gabriel Naudæus testimonio suo comprobare videtur. Sed Cl. Morhofius lib. II. c. 5. Polyhistoris, utriusque Montui & Naudæi loca adducens, ut eis fidem habeat, negat adduci se posse. *Nam Naudaus*, ** inquit, *in Lullium eo in loco præter rationem iniquior est, ac alia manifesto falsa de illo refert. Quid vero Petrum Montuum ut hac scriberet, impulerit, ignoro. Nam hujus sententia rationes nullas adductas video, neque unius Viri fide recipi illa possunt, qui forte Arabica non legit vel intellexit, vel plane talia confinxit, cum & ipse Lullium totamque illam artem contemtui habeat.*

XLIII. HUGO GROTIUS.

Longe minorem fidem meretur, quod reperio in Jacobi Sponii itinerario, *** qui id mysterii a Vatzio acceperat, Grotium in libro de veritate Religionis Christianæ maximi roboris argumenta ex Arabicis scriptoribus sublegisse, inprimis vero ex opere cujusdam viri, quem latini hæreticum, Græci sanctum habeant, qui adversus Muhammedanos & Judæos Christianam religionem propugnavit. Majore ingenio atque eruditione fuit Grotius, quam cui opus fuerit ad Arabum lacunas secedere, ut inde quicquam furaretur, quod cum alia ejus monumenta tum notæ aureo isti libello postea subjectæ manifestum faciunt, cum quibus non modo locis formisque diversis pluries latine publicam lucem adspexit, sed *ut de Germanicis duobus & Gallica versione non loquar, editus est in Anglia Anglice. Vertit eum græce Pastor legati*

* De Lullio singulari programmate egit Excellentiss. L. Joh. Schmidius Eloquentiæ in Acad. Lipsiensi Professor. adde Conring. de Medicina Hermetica p. 380. Cardani locus est 15. Subtil. p. 737.

** Naudæus p. 293. sqq. Apologiæ pro Magis.

*** Libro 2. p. 54. edit Germ.

Angli-

Anglicani. Pontificii autem nunc Perfice vertunt, ut Mahummedistas, si DEUS adspiret, faciant Christianos, uti paucis post primam editionem annis in literis ad Episcopium ipse Grotius testatus est,* qui Episcopius in Epistola quadam ad Grotium ** nonnulla in ejus libro de Ver. Relig. pöemate expresso animadvertit. Quemadmodum vero Sponius, ubi ex ejusdem Vatzii relatione dixerat, Gaffarellum Curiositates suas inauditas ex duobus Arabicis libris de Talismanorum principiis & compositione totas descripsisse, mox addit, cum Gaffarellus vir doctus fuerit, *** eam se suspicionem vix esse admissurum: Ita nos, quod ad Grotium attinet, assensum eo magis retrahere possumus.

XLIV. M. ANTONIUS MURETUS.

Non majore jure Muretus à Lambino furti literarii accusatus fuerat, à quo crimine purgat se libri I. Epistola 77. & lib. II. Epistola 5. Quæ Mureti Epistolæ cum in omnium manibus sint, loca ex iis describere supersedeo. Cl. Morhofius p. 71. Polyhistoris dicit Campanellam, referente Ernstio, Muretum libri *de tribus impostoribus* * auctorem habuisse. Ernstii locus est

* Vide Epist. Arminianor. p. 748. sqq.

** Ibid. p. 630.

*** De Gaffarello Colomesius in Gallia Or.

* Rumor tituli, alios, ut fit, peperit, v. g. *Jo. Evelyn*, equitis Historiam de tribus hujus Seculi famosis impostoribus Patre Ottomanno, Mahomed Bei s. Jo. Mich. Cigala & Sabarai Sevi, angl. v. Acta Erud. 1690. p. 605. & hinc Germanice sub tit. Relatio fidei actionum ac vitæ Franc. Jos. Burrhi, mit der Erzehlung von den tribus hujus Seculi famosis impostoribus &c. Lips. 1670. 8. *Vincentii Panurgi* epistolam de tribus impostoribus (Gassendo, Neureo & Bernierio) ad Cl. Virum *Joh. Bapt. Morinum*, Paris 1654 qui Morinus ipse auctor epistolæ creditur Menagio in Anti-Bailletto T. I. p. 540. *Christiani Kortholti* librum de tribus impostoribus magnis Herberto de Cherbury, Hobbesio & Spinosa, Kil. 1680. & cum præf. Filii Cl. recusum Kil. 1701 4. cujus libri titulus sugillatur a Bailletto T. I. p. 540. Tres impostores Dav. Georgium, Spinosam & Hobbesium Beckero præludentes sistit *Leydeckerus* Sect. XI. p. 176. sqq. Diss. contra Balth. Beckerum. Egi & ipse Bibl. lat. Append. II. edit. primæ de tribus insignibus impostoribus literariis; Curtio Inghiramo, Alfonso Cicarello & Annio Viterbiensi.

lib.

lib. II. Variar. Obſervationum capite 36. Sed cum Vöetiô Maxime Rever. D. Joh. Fridrich Mayer in betrübten und getröſteten Kind GOttes p. 18. Poggium Florentinum à Campanella pro nefandi illius libri auctore habitum fuiſſe teſtatur. Quicquid ſit de Campanella, injuriam fieri Mureto hac incuſatione non dubito, qui facile etiam patiar mihi perſvaderi, nullum unquam de tribus impoſtoribus librum extitiſſe, * præter diſputationem *Simonis de Tornaco*, quam de humilitate Doctrinæ Chriſtianæ Pariſiis habuiſſe fertur, in qua ſceleſtus ille nequam tertiâ die poſt Epilepſia punitus tres magnos impoſteres induxit. Vide Gregor. Michaël. not. 75. ad Gaffarelli curioſitates inauditas. Ad hunc Simonem reſpexit auctor æque impius deteſtandi libri Cracoviæ A. 1558. impreſſi, qui *Simonis religio* inſcribitur. Merſennus p. 1829. in Geneſin dicit, libri de tribus impoſtoribus excerpta haberi apud Cardanum lib. XI. ſubtil. *quod tamen nondum potui videre*, ait Voëtius T. I. ſelect. p. 199. Nihilominus à Campanellâ lectum illum librum fuiſſe Voëtius exiſtimat, qui p. 224. refert, Almarianum quendam Nachtegailium ob blaſphemias de tribus impoſtoribus Hagæ effutitas ab Ordinibus Hollandiæ in exilium pulſum fuiſſe. Eadem blaſphemia Friderico II. Imperatori a quibusdam tribuitur, cujus & Vöetius meminit p. 216. quod tamen mendaciſſime ei affictum contendit Petrus de Vineis. Apud Morhofium p. 316. mentio Epiſtolæ Salvii legati Svecici celeberrimi ad Medicum Judæum de Caſtro, qua eum rogat, ut librum de tribus impoſtoribus quovis pretio ſibi comparet.

* Ita & *Grotius* Appendice de Anti-Chriſto T. III. p. 502. b. *Bayle* in Lexico, voc. Aretin, Remond, Wechelus. *Rich. Simon* lettres choiſies p. 142. *Mr. de Monoye* pecul. Diſſ. in Hiſt. Operum Erud. 1694. Febr. p. 278. ſqq. *Menagiana* T. IV. p. 35. 374-418. *Struvius* diſſ. de doctis impoſtoribus, edit. primæ. Contra quem, exſtare ſcriptum diſputat *Tenzelius* in Bibl. curioſa T. I. p. 487-497. unde & *Struvius* in poſteriore editione mutata ſententia exſtare agnoſcit. conf. & affirmantes *Auctores Actor. Erud.* 1709. p. 36. ſqq. *Krauſium* umſtändlichen Bücher-Hiſtorie II. p. 281. ſqq. & 386. ſqq. *Oudinum* T. III. de Script. Eccleſ. p. 68. ſq *Kortholtum* filium præf. ad lib. Parentis de trib. Impoſt. B. *Jo. Frid. Mayerum* in præf. ad Comitia Taboritica. Hamb. 1688. *Placcium* in Theatro Anonymorum p. 184. ſqq. *Corn. Diet. Kochium* in Annal. Acad. Helmſt. Semeſtri. II. vide U. N 1730. p. 229. Adde *la Croze* Entretiens, de Bruni ſcripto, p. 326. ſqq. & de Didaco Gomes p. 330. ſqq. it. *Calmet* Dictionaire v. Impoſteurs. *Mem. de Litterature* T. I. p. 274. 376. ſqq & 386. ſqq. De MS. B. Mayeri conſ. *Nova lit. Lipſ.* 1716. p. 62.

XLV. MATTHIAS BERNEGGERUS. *

Huic non insolens fuisse videtur aliorum compilare scrinia, & se ornare aliorum plumis. Quæ Muretus habet lib. VIII. Variar. Lect. capite XXI. de mulieribus eruditis, quod libidinosæ plerumque esse soleant, diligenter transscripsit in quæstionem XCVIII. ad Tacitum, nulla Mureti facta mentione. Plura hujus generis notare possemus, si necessarium esse arbitraremur. Morhofius p. 348. Polyhistoris miratur, quod pleraque illa, quæ in Præcognitis Logicis Keckermannus adversus artem Lullii dixerat vir doctus, αὐτολεξεὶ descripserit.

XLVI. LEO ALLATIUS. **

Ab eodem Morhofio plagii arguì videtur Allatius libro de Livii Patavinitate p. 86. *Ne quid dicam de barbarismis, quos in Virgilio ineptus veterum & recentiorum auctorum censor Claudius Verderius deprehendere sibi visus est, è quo hac ut multa alia depromsit Leo Allatius in libro de erroribus magnorum virorum in dicendo.* Quod planius edisserit in Polyhistore p. 179. *Nescio tamen, qui factum sit, ut Leo Allatius disceptatione sua de erroribus magnorum virorum in dicendo Romæ A. 1635. edita non exiguas ex hujus Verderii censione lacinias in hunc suum libellum transtulerit, laudato interdum, sed dissimulanter, auctore, interdum præterito.* *,*

XLVII. ULYSSES ALDROVANDUS.

Hunc quoque Morhofius p. 224. Polyhist. eodem nomine accusare videtur, quod scilicet plura in libris suis, quibus piscium, avium &c. natu-

* De eo Witte in Philos. p. 486. Spizel. Templ. Honoris &c.

** Ejus scriptorum Catalogus & seorsim prodit & habetur in Apibus Urbanis p. 176. & sub finem operis de Synodo Photiana. Unde augeri poterit Elenchus scriptorum Allatii ap. Witten in Biogr.

, Justelli notas in Canonem Ecclesiæ universæ aliquoties idem Allatius exscribit in libro de narthece veteris Ecclesiæ.

ram

ram amplissime descripsit, ex Gesneroceperit. Ex Pierio quædam eum hausisse nomine ejus non allegato, non dubitat Thomasius exercitatione de Phœnice §. 258. & 278. qui §. 34. quoque errorem ex Volaterrano non citato traxisse Aldrovandum animadvertit. Μεγαίστορα, maximum inter Philosophos & Medicos Seculi superioris communi consensu summatem vocat Reinesius. * Nihilominus Græcarum literarum ignorantiam in eo Ezech. Spanhemius notavit, observante Kœnigio.

XLVIII. HIERONYMUS VAIRLENIUS.

B. Dorscheus in Mysaria Missæ p. 250. Vairlenium accusat, quod interpretationem Epistolarum Ignatii, cujus se auctorem jactet, sublegerit ex Joh. Jacobi Grynæi Orthodoxographis, quæ prodierunt Basileæ A. 1569. Vairleniana autem Ignatii editio, quam ante oculos Dorscheus habuit, præ se fert annum 1572. Sed Vir judicio florens singularique vitæ sanctimonia, eruditionis minime vulgaris ac modestiæ laude conspicuus L. Thomas Ittigius privatim nos docuit, injuriam fieri Vairlenio, cum ejus versionem retinuerit Grynæus, siquidem Ignatius cum Vairleniana interpretatione A. 1566. Antwerpiæ ap. Plantinum editus tribus annis secundam Orthodoxographorum editionem antevertit. In primâ autem Orthodoxographorum editione, quam Joh. Heroldus Basil. A. 1555. procuravit uti & in Micropresbytico ibid. A. 1550. Jacobi Fabri Stapulensis versio conspicitur. Vicissim Joh. Hornbeckius p. 73. Miscellaneorum non citra injuriam arguit Dorscheum, quod de Φάτνῃ Bethlehemitica, num intra an extra urbem fuerit, agens, Casaubonum suppresso ejus nomine exscripserit. Falsum enim hoc esse nemo, opinor, nisi malevolus, diffitebitur, qui Dorschei septenarium Admirandorum Christi p. 136. seqq. ** cum Casauboni Exercitat. II. sectione I. contulerit. Non dicam nunc, quod in Oratione, nisi quis verba etiam transscribat, propter mutuatum unum vel alterum argumentum plagii reus haberi non possit, sed ne quidem inspectum à Dorscheo, cum illa scriberet, Causaubonum fuisse contendam. Nam præter pauca Patrum loca, quæ apud utrumque leguntur, nihil fere cum Casaubono commune habet Dorscheus, nisi forte Lucæ verba,

* P. 65. defensionis Var. Lect.

** Edit Argentorat. 1687. in. 12.

ſuper quibus controverſia erat, ex Caſaubono transſcripſit, quod aſſerere ridiculum eſt. Sed & plura ap. Dorſcheum Patrum loca, & diverſimode adducuntur, & quomodo Juſtinum ac Euſebium Caſaubonus legere potuit, Dorſcheus non potuit? Sed plures quoque in contrariam partem objectiones affert Dorſcheus, & aliter diſſolvit, atque ea, in quibus cardo reſponſionum Caſauboni verſatur, ne attingit quidem, unde ſequi videtur, Exercitationes Caſauboni tum temporis non fuiſſe ante oculos Dorſcheo, nedum quod eas compilarit. Non majore jure B. Gerhardo, quem doctiſſimi diligentiſſimique elogio Rivetus celebrat,* idem Hornbeckius, non improbante Guil. Saldeno p. 156. de libris, dicam dicit, quod Cocum gnaviter ſemper deſcribat. Quod enim Labbe, qui Gerhardum plagii in ſcriptores Bellarmini Eccleſiaſticos commiſſi accuſaverat, repoſuit vir doctiſſimus Joh. Andreas Boſius, repetitum Thomaſio §. 441. plagiar. jam ſufficit ad Hornbeckii quoque incuſationem retundendam. Saldeno autem, etiamſi à plagii culpa non alienus eſſet Gerhardus, Juvenalis ** illud occinere queas:

Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus.

Gerhardi porro ſcripta quam frequentes furum manus experiantur, vide apud Reiſerum Epiſtola ad Spizelium, in templo honoris p. 404.

XLIX. MARTINUS DELRIO.

Ejus adagialia ſacra V. T. in duas partes diſtincta *** jam tertia vice prodierunt Lugduni 1618. 4. Quo in labore præeuntes habuit in ſummum Johannem Druſium, & doctiſſimum Joachimum Zehnerum Paſtorem ac Superintendentem Schleuſingenſem. His quanquam non raro utatur, uti, quod ad Zehnerum attinet, ex B. Geieri ad Proverbior. XII. v. 11. commentario animadvertit Maxime Rever. Ulmenſium antiſtes Elias Veielius, tamen eorum nomina ſtudioſe ſupprimit ſolenni Jeſuitarum more, quibus, ut ait Grotius Epiſtola 265. ad Salmaſium, hæreticos niſi contumeliæ cauſa nominare piaculum eſt. Druſium quidem Delrio innuit his verbis pag. 11. prologi: *Ex Novatoribus Calvinianis unus quem viderim ſacra adagia ſelegit,*

* Rivet. T. 3. 524. Opp.

** Horatio per memoriæ lapſum tribuit Morhof. p. 304.

*** Librarii forte errore Tomos III. numerat Wittii Biographia ad annum 1608. 19. quem locum indicamus, quoniam Martini Delrio nomen, uti alia plura, in indice eſt omiſſum.

parca

parca manu & sterili segete, nec ubique inoffenso pede hoc stadium decurrit. Praivit mihi hanc viam, & exemplo suo excitavit, quadam etiam ex Rabbinis & humanioris literatura scriptoribus eidem accepta fero. Zehneri vero mentionem bonus ille Martinus plane intermisit.

L. ANDREAS SCHOTTUS.

Quemadmodum idem Dn. Veielius sect. VI. Differt. de Variis Oeconomiæ S. generibus ex B. Dorscheo observat, Schottus in adagiis N. T. omnia Zehneri * summo ejus silentio compilavit. Hic est ille Zehnerus, cujus similitudines etiam Biblicæ extant recensitæ Morhofio p. 255. Polyhist. Idem non mediocri diligentia vitam Pythagoræ & fragmenta collegit Lipsiæ 1603. 8. Epiphanio quoque tributum libellum de vitis Prophetarum post Torini, hominis, uti Petavio videtur, non satis græce periti, operam emendatum eruditeque illustratum in lucem emisit Schleusingæ A. 1612. 4. Super quo utiliter collocato studio quamvis acerbe perstringatur a Petavio,** *ventoso & magni supercilii scriptore*, (ita eum in Bibliotheca MS. vocat B. Scherzerus) vix tamen adduci nos patimur, ut credamus, Jesuitam adeo politum nobis illum Epiphanio suppositum fœtum dare potuisse, nisi fax ei Superintendentis, quem tantopere exagitat, prælaxisset.

LI. PAULUS COLOMESIUS.

Parum abest, quin credam, virum hunc doctissimum, & cui non parùm alioqui res literaria debet, in κειμηλίοις literariis capite XXV. ubi de amne Sabbatico agir, MSti Johannis Mandeville Itinerarii indicium & locum Geographi MS. debere elegantissimo Gaulminio, notis ad Pselli περὶ ἐνεργείας δαιμόνων p. 67. editionis nuperæ Kiloniensis, cujus nomen tamen supprimit. Neque verum est, Geographum illum MS. contraria narrare Josepho, si doctissimam Casauboni emendationem Exercitat. XV. contra Baron. sect. 20. admittamus. Eam confirmat Menasse ben Israel quæstione XXXVI. in Exodum, quem non erat, ut propterea mendacii argueret D. Strauchius p. 154. breviarii Chronologici. Illius fluvii Sambationis, quem Cunæus de Rep. Hebræorum & Osiander p. 271. de Sabbatho pro fabula habet, mentio etiam

* Addo ego, Drusii.

** Præfat. ad T. 2. Epiphanii & p. 219. Animadversionum.

apud Petachiam in itinerario p. 181. & 194. edit. Cl. Wagenseilii. De eodem flumine Fullerus lib. I. Miscellancor. Sacror. capite IX. Becmannus Histor. orbis Terrar. p. 75. item Epistola Holstenii & Nihusiii quas *συμμίκτοις* suis inseruit Leo Allatius. Sed ut ad Colmesium redeamus, in iisdem *κειμηλίοις* quæ habet capite VII. de Jamblichi Syri Babylonicis, repetiit ex Galliæ suæ Orientalis pag. 164. qua tamen in parte tueri se potest illo Isocratis * *καὶ γὰρ ἂν ἄτοπος εἴην εἰ τοὺς ἄλλους ὁρῶν τοῖς ἐμοῖς χρωμένους, αὐτὸς μόνος ἀπεχοίμην τῶν γ' ὑπ' ἐμοῦ πρότερον εἰρημένων.* Quam enim non raro magni etiam viri Colomesium tacito ejus nomine sequantur, exemplis probatum reddere perquam odiosum foret. At emendationem Prisciani Medici, quæ in illo *κειμηλίων* capite speciose profertur, pridem ante Colomesium viderat Reinesius p. 514. variarum Lectionum. Non male feret vir eruditissimus hanc nostram de ejus furto literario suspicionem, ** qui non modo varia effutivit in illo suo *Recueil de Particularitez*, quæ etiamsi vera essent, nullum alium in finem, quam ad traducendos viros optime meritos vulgata esse possent videri, sed & de Politiani plagio egit capite XXXI. Petri Alcyonii librum de exilio majori ex parte è M. Tullii libris de gloria transscriptum notavit capite XV. *** & capite VI. Salmasium in Exercitat. Plinianis Savaronis quædam ad Sidonium exscripsisse, dignum animadversione sua arbitratus est. Cujus aliud etiam plagium attigit p. 138. Vossio * quoque notatum ad Melam observante Almeloveenio, & ipso Colomesio p. 218. Galliæ Or.

* P. 822 edit. Wolfii in 8.

** Adde Morhof. p. 171. & 186. Polyhist.

*** Nic. Antonius de jure exulum lib. I. *De exilio duos libros edidit Petrus Alcyonius Italus Venetiis excusos ap. Aldum A. 1522. quibus editis eruditionis & eloquentiæ famam in vertendis aliquot Aristotelis libris olim vulneratam adeo sustentavit, ut ex libro Ciceronis de Gloria, quem nefaria malignitate abolevisset, multorum judicio confecti viderentur, uti Jovius refert in Elogiis.* Graviter in Alcyonium invehitur Gyraldus, p. 45. sq. de Poetis sui temporis.

* Verba Vossii hæc sunt p. 213. *Ultimus qui manum admovit, est Salmasius, qui omnia Dosiadæ poëmatia una cum Inscriptione Herodis Attici cum prolixa expositione in lucem dedit. Sed profecto in omnibus istis explicationibus nihil est, quod alicujus sit momenti, quod non hauseris ex Scholiis Holoboli Rhetoris, quem totum descripsit, nulla tamen ullibi facta ejus mentione.* & p. 216. *Sane quæcunque iste vir ad aram Dosiadæ annotavit, talia sunt, ut confutatione non egeant. Ne in cæteris quidem Dosiadæ poëmatis explicandis multo fuit felicior. Quamvis enim Holoboli Rhetoris Scholia ubique ad verbum descripserit, ejus tamen mentem non assecutus est ubique.* Salmasium quoque respiciunt verba Nic. Heinsii in epistola inedita ad Isaacum Vossium scripta Floren-

LII. CLAU-

LII. CLAUDIUS SALMASIUS.

Eundem Salmaſium Jeſuita Petavius plagii in Biſciolam commiſſi reum facit, libro II. Variar. diſſertationum ad auctar. operis de doctrina temporum capite X. his verbis: *Galeni locum ut & alia fere omnia de canicula in farraginem Solinianam avertit Salmaſius ex Biſciola noſtri lib. 12. Tomi 2. ſubſeciva-rum cap. 2. neque auctorem, à quo iſta didicerat, vel litera nominavit, qui ejus eſt mos.* Quo de conqueritur Salmaſius Epiſtola ad Grotium: *Me totas aliquando paginas in ſinum meum avertiſſe inſimulat ex Biſciola quodam, qui nec de nomine mihi notus. Et hunc de grege illo* (Jeſuitarum) *eſſe neceſſe eſt, quem honorifice ſemper appellat, & noſtrum.* Cui Grotius reſpondens, *De Biſciola autem*, ſcribit, *ridiculum, quaſi ille aliquid legerit, quod tu non legeris, qui etiam legiſti, quorum Biſciola & Biſciola congreges nomina ignorant.* Idem Petavius capite IV. Miſcell. Exercitationum, quæ Juliani Apoſtatæ operibus ſubjiciuntur p. 363. *Ex Cluverii*, inquit, *Sicilia omnia, quæ de fonte ac lacu Agrigentino diſputat, in Solinianam exercitationem tranſtulit Salmaſius, ut ſolet ſuppreſſo nomine, unde iſta corraſerat.* Noviſſime Harduinus in laborioſa & ſplendida Plinii editione, quam in uſum Delphini adornavit, vult, *Salmaſium in Exercitationum Plinianarum vaſto opere multa aliena ab inſtituto attuliſſe, difficilia loca praterve̲ctum eſſe, quicquid demum boni & probabilis quod ad Plinium quidem attineat, in iſtis lucubrationibus contineatur, id fere totum ex alienis hortis eſſe ſubreptum, quicquid de ſuo primum excogitatum protulerit, obelo configendum eſſe.* * Quod judicium uti ex Jeſuitico ſuperbo ac ingrato animo profectum eſt, ita merito iniquius eſt viſum doctiſſimis Actorum collectoribus A. 85. p. 430. Blondelli argumentis uſum Salmaſium pro ſuis, contra utrumque diſſerens Hammondus paſſim innuere videtur. Johannes Milto p. 31. defenſionis pro populo Anglicano adverſus Salmaſium; *Reges Hebræorum judicari poſſe, atque etiam ad verbera damnari*

tiæ A. 1652. 17. Octob. *Certe negligi a te non debet præclarum ejus furtum, quo Scholiaſten Palatinum ovi Simmiæ miſerrime Cyclopeo more devoravit totum, inque ſuccum & ſaguinem convertit.* Sed profecto injuriam fieri Salmaſio dicet, qui Græcorum ineditorum Scholiorum mentionem in explicatione illorum poëmatiorum a Salmaſio toties factam animadverterit.

* Potius Harduinus Salmaſium ſæpe nomine ſuppreſſo compilavit. Vide T. V. Bibl. Univ. ſub init. alioquin etiam plagiarius Andr. Morelli & Ez. Spanhemii in re nummaria. Vide Monatliche Unterredung a. 95. p. 386. ſq. & 392. Vide quomodo ſe Salmaſius a plagio defendit contra Cercöetium p. 215.

fuſe

fuse docet Schickardus ex libris Rabbinicis, cui tu hæc omnia debes, & tamen obstrepere non erubescis. Huc referenda verba Morhofii p. 305. Polyhistoris: *Salmasius in defensione causæ Anglicanæ multa ex Wilhelmi Shickardi fontibus hausit, quod & Boeclero in primo Musei sui specimine notatum est.* Illam defensionem diligenter legisse videtur vir doctiss. Joh. Wandalinus libris de jure Regio, quibus Episcopatum meruisse fertur. Miltonem vero à plerisque fideliter compilatum deprehendimus, qui hoc & superiore anno projectitiis chartis Jacobi II. & Regis Britanniæ causam oppugnarunt. Præterea de Salmasio videndus Colomesius in Gallia Or. p. 189. sqq. qui meminit vitæ Salmasii quam edere voluerit Philippus de la Mare Senator Divionensis. Quæ Hanckius I. Romanor. Scriptor. p. 289. & ex eo Witte 1. Philos. p. 111. item Freherus in Theatro p. 1122. de Salmasio habent, ex ejus vita ab Antonio Clementio Epistolis ipsius præmissa desumta fere sunt. Idem Clementius spem facit Commentariorum Salmasianorum in N. T. quibus non tantum Criticum agere, sed & contra Pontificios multa ex antiquitate urgere voluit. Sed ne cum auctore ut alia multa interciderint merito veretur Joh. Andreas Bosius Exercitatione ad 2. Timoth. II. 22. cap. 1.

LIII. JOSEPHUS SCALIGER.

Summus iste literarum heros, *cujus scripta aurea tanquam ancylia cœlo delapsa cum horrore & religione quadam omnes eruditi tractare solent*,* inter alias calumnias, quibus ejus hostes genus famam ac nomen Scaligeranum lacessere conati sunt, minime effugere potuit, quo minus furibus etiam literariis ab iisdem annumeraretur. Quo nomine apud Rob. Titium, apud Scioppium non uno in loco, item in peniculo foriarum, cujus supra meminimus, & in pluribus hujus farinæ scriptis aliis maximum virorum dehonestari videas. In Epistola ad Stadium Scaliger laudi sibi ducit, quod extemporales suæ ad Hippocratem περὶ κεφαλῆς τρωμάτων notæ adeo non contemnendæ visæ sint, ut non veritus sit quidam arrogans juventutis fascinator ac πλάνος palam dicere, Scaligerum illa sibi furatum esse *Sed quia videbat*, ait porro Scaliger, *difficilius ea mihi extorqueri, quam Herculi clavam posse, ad ultimum remedium suum hoc est ad calumnias confugit.* Inter innumera ac infinita merita, quibus rem literariam eruditorum ille Princeps locupletavit, sane eminet Periodi Julianæ inventio, adeo ut & juratus ejus hostis Jesuita

* Sciopp. de Criticis p. 10.

Peta-

Petavius libro IX. Doctrinæ temporum capite 1. nihil fere in ejus Chronologicis libris agnoscat, *quod momentum aliquod ad rem ullam habeat, quodque reprehensionem effugiat, præter particulam istam, quâ Juliana Periodi methodum explicavit.* Sed hanc quoque a Græcis mutuatum esse Scaligerum Petavius Partis II. Rationarii temporum lib. I. cap. IV. asserit, quod itidem ex inimico animo protulisse Jesuitam palam est. Quomodo enim accommodationem ad annos cyclosque Julianos, in qua potissimum periodus Juliana consistit, & per quam à Constantinopolitana periodo distinguitur, à Græcis Scaliger potuit mutuari?

LIV. DIONYSIUS PETAVIUS.

Quibus vero verbis Petavius plagii crimen à se amoliatur, cum à Maturino Simonio Ecclesiæ Aurelianensis Decano *in dedicatione ad disputationes de pœnitentia ritu in veteri Ecclesia* argueretur, quod quæ in Albaspinæi schedis legisset ea ipso nusquam laudato publicare antevertcrit, legi potest in dedicatione elenchi dispunctionum ad eundem Albaspinæum scripta, qui Elenchus & seorsim prodiit Parisiis A. 1624. & in novissima Epiphanii editione Petavianis ad Epiphanium animadversionibus subjicitur. Dedicatio illa decimum quoque locum in libro primo Epistolarum Petavii occupat, monente Maxime Rever. Dn. D. Veielio. *

LV. SORANUS.

Animus nunc est, de Medicis quibusdam scriptoribus priscis potissimum verba facere. Ac primùm quidem de Sorano, sub cujus nomine Isagogen edidit Torinus, ex græco, ut ipse vult, conversam, quamvis id negent Marsilius Cagnatus IV. 2. Variar. Observationum & Vossius de Historicis Gr. atque in latinæ linguæ Originibus p. 209. & 233. it. Libro de Philosophia p 98. Neque diffitendum est, Marsilii argumenta id evincere quod debent, ut nihil fere excipi posse videatur, nisi loca illa à nescio quo interpolata fuisse dicamus, quod ultimum mendaciorum refugium esse solet, & imperitorum κρητφύγετον vocat Montacut. I. Orig. p. 338. Pro concesso itaque habeamus, illam Isagogen non Sorani Ephesii, quem græce scripsisse constat, sed latini cujusdam auctoris esse, & latine scriptam. Methodicæ porro fuisse sectæ

* Vide Dn. Veielium de variis Oeconomiæ S. generibus p. 82.

addictum non difficulter colligitur,* uti Empiricum non fuisse patet ex fine capitis IV. Sed illud quoque certum est, eum ad Mæcenatis ætatem (quem appellat sub finem capitis V.) minime pertinere, non magis quàm commentarius in Aphorismos, quem sub Oribasii nomine Andernacus vulgavit, ad tempora Ptolemæi Evergetis. Ante Marcelli Empirici librum legitur Epistola, ut titulus præ se fert, Hippocratis ad Mæcenatem, in qua etiam fit mentio Cæsaris Augusti & Terentii Velpisti, quem Evelpistum vocandum esse ex Scribonio Largo Designatiano novimus. Ista etiam Epistola neque Hippocratis, neque ad Mæcenatem scripta esse potest, uti paulo post Epistola quædam tribuitur Celso, quam Scribonii esse constat. Sed & supra apud eundem Marcellum verba: *Largius Designatianus filiis suis salutem dicit*, delenda sunt, Marcellus enim postea loquitur. Verùm ut ad Sorano adscriptam Isagogen redeamus, notandum est, sub initium ejus non pauca legi, quæ iisdem verbis reperias in commentario ad Aphorismos, quem Oribasio ab Andernaco tributum esse diximus, ut necesse sit unum ab altero sua descripsisse. At Oribasius inter Hippocratis interpretes præter *Pelopem*, *Lycum*, *Rufum*, *Domnum*, (an Damonem?) *Galenum*, *Attalionem*, Sorani etiam meminit, & eodem fere versu dicit, *se commentarios scripsisse manente Ptolemæo Evergete*, quasi vero Ptolemæi æqualis Galeni meminisse potuerit. Quivis videt, hæc omnia male inter se cohærere, neque certi quid quenquam inde de auctore quod dicat efferre posse, nisi aliis adminiculis adjuvetur. In Sorani vero Isagoge, quam exigui momenti esse Vossius ait, variæ ineptiæ continentur; inprimis, quod ad temporum dominium attinet, cujus generis canoras nugas in Tralliano, Myrepso, Marcello, Scribonio &c. superesse norunt eruditi. Aliquot nos in eo loca sanavimus, quæ neque tanti est, neque huic loco conveniens adscribere. Interim si de auctore aliquid dicendum esset, Cœlium Aurelianum ** lubens nominarem, vocem Mæcenatis insertam credens ab aliquo, qui majorem ei scripto vetustatis auctoritatem conciliare voluisset. Unde id quoque sequeretur, plurima in Isagoge ista ad Soranum referenda esse, à quô alias sua magnam partem deprompsisse Cœlium constat. Quamobrem Hieronymus Mercurialis dubitat, utrum Cœlii Aureliani opera ipsius sint, an Sorani Metaphrasis. Vide ejus Varias

* Meminit ejus Tertullianus lib. de anima, & Soranum Methodicæ Medicinæ instructissimum vocat, qui libris IV. animæ corporalem substantiam vindicaverit, & immortalitate insuper fraudaverit.

** De hoc Cœlio vide Reines. III. 17. & 18. Var. Lect. qui contra Barthii sententiam Sec. quinto vixisse putat.

p. 6.

p. 6. 26. &. 92. Verum nihil statuo. Priapeis Scioppii & Satiræ Sotadicæ, quâ veneris quidam pullus Aloysiæ Sigeæ Meursiique nomen diffamavit, inter alias Epistola Sorani ad Antonium Mæcenatis æqualem subjicitur, quâ ipsi petenti remedium contra effrenatam Cleopatræ suæ libidinem describit. At longe juniorem esse illius Epistolæ Fabricatorem pridem docti animadverterunt, præcipue cum auctor ille Juvenalem, qui sub Claudio Nerone scripsit, legisse videatur. Extat etiam vita Hippocratis sub Sorani nomine, quam ex *βίοις ἰατρῶν* Sorani Ephesii junioris unicam superesse docti ajunt. * In illa mentio fit Sorani Coi qui *ἐρευνήσας τὰ ἐν κῷ γραμματοφυλακεῖα* &c. Hi ambo diversi fuerunt à Sorano Ephesio ** Menandri & Phæbes filio, quem Suidas sub Trajano & Adriano Romæ Medicinam fecisse testatur, cujus fragmenta quædam superesse ex Conringio didici. Maxime vero diversus ab his omnibus Q. Valerius Soranus, quem M. Tullius in Bruto celebrat, quemque ob meritum profanæ vocis neci datum esse scribit Solinus. De hujus Epoptidon libris Turnebus ad Plinii præfationem p. 34. Quod vero Harduinus apud Plinium pro Sornatio Sorani nomen reponendum esse existimat, de eo amplius cogitandum. Interim miror Meibomium, cum veterum Medicorum testimonia de jure jurando Hippocratis colligeret, prætermisisse locum in Isagoge Sorano adscripta cap. III. *Memor etiam sit juramenti Hippocratis, ut ab omni culpâ se abstineat maximè à venereo & corruptibili actu.* In quo etiam loco vestigium dictionis Cœlii Aureliani apparet, quem adjectivis in *bilis* pro præsentis temporis participiis frequenter usum ostendit Reinesius p. 649. & 671. Variarum.

LVI. PLINIUS VALERIANUS EMPIRICUS.

Hunc, tertium à Plinio Majore & epistolarum panegyricique scriptore Plinium, Comensem patria fuisse, Harduino teste vetustis aliquot inscriptionibus docetur, *** quarum unam ex Grutero affert Reinesius p. 388. Var. Lect. Comensem quoque vocat Fumanellus libro de morbis in urinæ viis, quemadmodum idem observavit. Marcello Empirico priorem, cæteroqui

* Soranus Medicus citatur etiam in Etymologico M.

** Hujus mentio ap. Galenum aliquoties.

*** Qui ex Recentioribus ejus testimoniis usi sunt, allegantur à Reinesio p. 182. Var. Lect. & in defensione p. 22.

majoris Plinii in non paucis exſcriptorem, vocat Barthius lib. I. cap. 14. Adverſar. qui plura de eo dicturus fuit in opere de ſcriptoribus dubiis. Ac Marcellus quidem in præfatione ad ſuos filios, *Nec ſolum*, inquit, *veteres medicinæ artis auctores, latino duntaxat ſermone perſcriptos (cui rei operam uterque Plinius & Apulejus & Celſus & Apollinaris, & Deſignatianus aliique nonnulli etiam proximo tempore inluſtres honoribus viri cives ac majores noſtri Siburius, Eutropius atque Auſonius commodarunt) lectione ſcrutatus ſum* &c. ubi notandum, quod inter veteres utrumque Plinium nominet, ut, ſi Valerianum noſtrum ſub altero innuere voluit, neceſſe ſit eum non paucis annis Marcelli ætatem præceſſiſſe. Sed inter alias Epiſtolas apud Marcellum, Plinii quoque ſecundi una legitur, quæ præfixa eſt libris V. *εὐπορίςων* (ita enim recte inſcribi Barthius & alii volunt) Plinii Valeriani, niſi quod aliquam multis in locis diverſa lectio apparet. Romani ævi ſcriptorem contendit Barthius lib. V. cap. 5. & lib. VII. cap. 8. ſed Conſtantinianeo ævo proximum fuiſſe mavult Reineſius p. 180. Var. Lect. cui ſententiæ repugnat, quod veteribus eum annumeret Marcellus Empiricus. Ethnicum fuiſſe aliquot locis affirmat Barthius, cui p. 181. contradicens Reineſius ex duobus argumentis Chriſtianum eum facere laborat, primum quod libri III. cap. 16. ſideratos poſt exhibita medicamenta ad ſe non reverſos dimittere jubeat, *quod ira DEI percuſſi eſſe videantur.* Deinde, quod ejusdem libri capite 7. *Apoſtolici rotundi* faciat mentionem. Verum p. 388. Var. Lect. gentilem fuiſſe Valerianum non abnuit, & Pliniorum Cæciliorum quacunque ratione agnatum fuiſſe arbitratur. Tum pag. 137. defenſionis, oſtendit, pro *apoſtolicum rotundum* legi debere *piſtologium.* Præterea in integris quinque libris Valeriani neque vola neque veſtigium *χριςιανισμȣ̃* extat. Non tantum Stylo ſed & opere Medicus fuiſſe videtur Barthio lib. V. cap. XXV. quod ex præfatione Plinii quodammodo confirmatur. Atque hæc ſunt, quæ de Auctore ipſo in medium proferre potui, nam quæ Voſſius lib. III. de Idololatria c. 48. habet, ex Barthio collecta apparent. Illius itaque Plinii Valeriani libros V. de Re Medica poſt Romanam editionem Anno 1509. quâ ſola uſus eſt Barthius, cum Sorani Iſagoge & aliis quibusdam vett. Medicor. apoſpaſmatiis edidit Albanus Torinus Vitodurenſis Baſileæ A. 1528. fol. Quam editionem ſi inſpicere etiam licuiſſet Barthio, bene multis ille emendationibus ac conjecturis ſuperſedere potuiſſet. Fide enim vetuſtiſſimi Codicis Torinus Plinium innumeris mendarum millibus liberaſſe ſe ait. Idem in præfatione, *Clamitant*, inquit, *aliquot, genium hujus operis totum diffidere à Plinii ſtylo ac indole. Ego vero inquam, ut bonam hujus opuſculi partem Plinii non eſſe res ipſa clami-*

clamitat, ita quadam hunc olere parentem vel cœco apparere. Sed puto rhapsodum quendam è Naturali historia congessisse, & in ordinem redegisse. Deinde quod Plinio cum cæteris scriptoribus commune est, lucubrationibus ipsius multa suppositiτia prorsus indigna Plinio esse inspersa quis non videat? Videtur Torinus cum aliis quibusdam dubitasse, utrum unquam Plinius Medicus ab Historiæ scriptore diversus extiterit, quod tamen à Marcello & inscriptionibus edocti pro certo supponimus. Multa in illis libris exscriptoribus imputanda esse ait Reinesius, qui suorum seculorum stribligines ornatissimæ & castigatæ satis Latinitatis scriptori adfricuerint. * Idem p. 389. cinnum vocat. & p. 403. interpolatores ex Arabum medicina & linguis popularibus plurima huic auctori ejectis interdum melioribus infarsisse putat. Librarium vero illorum librorum Hispanum fuisse conjicit Barthius lib. XI. cap. 10. Adversar. negante Reinesio p. 180. & 197. Var. Lect. qui Germanum Grammatistam fuisse suspicatur, quod & Barthio in mentem venerat lib. VI. cap. 17. Hieronymus Mercurialis libro II. Var. Lect. cap. I. ex Plinii majoris opere totos Plinii junioris de re Medica libros conflatos esse ait, & in arte Gymnastica futilem & barbarum scriptorem indignatur Plinii nomine superbire, adversus quem causam Plinii egit Reinesius lib. II. c. 8. Var. Lect. & Barthius p. 283. Adversariorum, quorum uterque tamen transscriptorem eum Plinii majoris fuisse non negat, nisi quod Barthius ex parte excusare eum conetur, siquidem profiteatur, se parabilem medicinam constipare non ex solis suis rebus. Sed hoc tantum dicit in præfatione Plinius, se undique valetudinis auxilia construere, & velut in breviarium colligere. Cum autem non paucos alios etiam à Plinio indicatos Auctores alleget, Plinii autem nusquam mentionem faciat vel verbulo, quomodo à plagii crimine immunis dici possit, non video. Subtexam hoc loco indicem Scriptorum vel eorum, quorum medicamenta in Valeriani libris memorantur,† quales indices DEO juvante in omnes antiquos Medicos, sed & alios quosdam Græcos & latinos auctores aliquando exhibiturus sum, quem laborem meum bonarum literarum studiosis forte non ingratum futurum esse existimo.

* Adde Reinesii defensionem Variar. Lect. p. 43. ubi Basileensem editionem Anni 1528; inspexisse videtur, quam nondum viderat cum Varias Lectiones scriberet. vide eas p. 180. ubi pro 1528. per errorem est 1530. Idem p. 181. simulac. exemplar Plinii nactus fuerit, totum commentario se illustraturum recepit.

† Hic index, ut alia de Plinio, multo contractius in Bibl. lat. Vol. II. p. 631. vide & infra, num. LX. sub. fin.

Antiochi Regis Theriaca lib. III. c. 57. & IV. 38. adde Plinii Majoris H. N. XX. 23.

Asclepiades IV. 26. non Prusiensis sed Φαρμακίων sub Nerone florens. De Asclepiadis Reinef. Inscript. p. 608. &, ubi eadem leguntur, Epist. ad Hofmannum p. 395.

Athanasii antidotum pro hepaticis. II. 17. Barthius hunc Athanasium pro scriptore habet X. 25. Adversar. At Reinesius p. 200. Var. Lect. ostendit varia antidota Athanasia & Ambrosia vocata esse ab antiquis Medicis, ob singularem suam virtutem & efficaciam.

Augusti Cæsaris commentarii. I. 18. conf. Harduinus ad Plinii Hist.

Cato. IV. 29.

Chrysippus IV. 18. & 21. liber de brassicâ, omnium morborum remedia ex eâ continens IV. 29. περὶ λαχάνων allegatur Scholiastæ Nicandri p. 59. b. edit. Aldi.

Claudiani emplastrum. III. 45. Hic Galeno amicus dicitur lib. I. de composit. medicam. Ex quo loco Medicinæ amantem fuisse colligitur, quamvis Reinesio non difficulter largiamur, quod medicinam eum factitasse inde concludi non possit.

Constantini sapa seu succus. I. 2. Neque hunc libenter inter Medicos retulerim. Nic. Myrepsus sectione I. de antidotis c. 198. meminit antidoti, quô usus fuerit Constantinus Rex. Per quem nihil impedit intelligere Constantinum Imperatorem, cum & Imperatores in Græcis scriptoribus passim veniant nomine βασιλέων, uti notavit Boxhornius & alii.

Corneliana catapotia IV. 29. Palàm est Cornelium Celsum intelligi, quod & Barthius innuit p. 185. & 506. Adversar.

Damon Medicus. III. 19. Damion Plinio Majori XX. 9. & XXIV. 19.

Democritus IV. 34. Physicus.

Diocles IV. 17. & 34. Carystius.

Dionysius IV. 34. Inter plurimos Dionysios, de quibus Jonsius & Meursius ad Helladii Chrestomathiam, ille, opinor, à Valeriano intelligitur, cujus ῥιζοτομικὰ citat Schol. Nicandri ad Theriaca p. 52.

Dioscorides IV. 5. 6. 26. 39. 40. 42. 45. 51. 58. Verisimillimum est non Valerianum modo, sed & seniorem Plinium Dioscoridis libris usum fuisse, quod præter B. Thomasio §. 683. de plag. allegatos tuentur Salmasius & Lambecius lib. 2. de Bibl. Vindob. p. 558. Inclinat Mercurialis in Variis, & Reinesius.

Fabii

Fabii Cleméntis unctio. III. 14. Torinus *Favii* edidit. Sed legendum Flavii ex Galeno VII. 10. de compos. medicament. & Actuario lib. 6. de methodo medendi cap. 8. qui eandem unctionem refert, unde patet etiam apud Plinium Valerianum pro *olei savinensis* legendum esse *Sabinensis.* Ita in antiquiss. MS. * herbario Apuleji passim *vivere* pro *bibere.* Elmenhorst. ad Apulej. p. 341. sq. *Vivius* pro *Vibius.* Reines. ad Hosin. p. 259. Vicissim *bibamus* pro *vivamus* ap. Lipsium lib. I. c. 19. Saturnal. In Reinesii Inscriptionibus *Bixit* pro *Vixit* p. 910. 933. &c. Atque ap. Gruterum p. 540. &c. *Flabius* pro *Flavius* Meurs. ad Palladii Lausiacam p. 204. In codice Justinianeo *Jubentius* Celsus pro *Juventius*, Menag. c. 27. amœnitatt. juris. Et mille talia in Plautinis Parei Lectionibus. Cæterum Reinesius p. 142. defensionis Variar. Lect. contra Bachmannum, Flavium hunc putat esse patruelem Domitiani, de quo Sueton. in ejus vita c. 15. nec invenisse illam unctionem, sed tantum usurpasse.

Galenus IV. 2. (ubi legendum: ut prudentissimo Galeno videtur.) 5. 6. 7. 22. (hic recte à Torino emendatum est, *Pergamensis* pro *Polotensis*, quod, quid sit, nescire se Barthius fatebatur) 26. 29. 39. 41. 43. 49. Galenum nusquam citat Cœlius Aurelianus & Theodorus Priscianus. Causam vide ap. Reines. Variis p. 654.

Glaucias IV. 6. unus inter vetustissimos Empiricos Heraclide Tarentino antiquior, uti apparet ex Celsi præfatione. Vide iterum Harduinum ad Plin. Major.

Hierax Cappadoro intimo suo retulit. IV. 2. Hieracis collyrium refert Celsus VI, 6. p. 144. edit. Patavinæ A. 1563. 80.

Hippocrates IV. 7. 17. 20.

Mithridatis Theriaca. III. 54. IV. 3.

Niger Sextius IV. 5. de hoc Lambec. lib. II. Bibl. Vindob. p. 546.

Olym-

* *Habitus* pro *avitus* in MSS. Justini exemplaribus, *habere*, pro *avere*, ap. Martialem XI. 107. *habeas* pro *aveas* apud Ael. Lampridium Spartianum. Vasconum illa Dialectus, notante Salmasio de Hellenistica p. 62. *Varisius* pro Βαρισίους ap. auctorem operis imperfecti. Alia ap. Drusium I. 29. Miscell. *Debito* pro *devito* ap Tertullianum de fuga in persecut. In Julii Oratoris excerptis Geograph. *vicornis* pro *bicornis.* Vicissim *parbus* pro *parvus*, & sinus *Aravicus* pro *Arabicus.* Βιταξ persicum nomen dignitatis apud Hesychium, Ammiano lib 23. *vitax. Bologessia* urbis nomen apud Stephanum, quæ eidem Ammiano *Vologessia*, Plinio *Vologesocerta.* In veteri inscriptione *devetum nature* pro *debitum*, *incomparavili* pro *incomparabili.* vid Fabrettum p. 253.

Olympias Thebana. IV. 5. meminit etiam Plinius Major XX. 21. At à Polluce ejus Epiſtolam allegari, quod vult Harduinus, neque Wolfg. Seberus in Auctorum indice obſervavit (quanquam non neſcio eum alias quoque non accuratiſſimum eſſe) neque ego pervidere potui. * Verba Pollucis hæc ſunt: *Ἔςαι ἔν τινι βιβλίῳ, ὅτι ἐν Ὀλυμπιάδος ἀπογραφῇ τὴν κατ' ὄνομα* &c.

Praxagoras IV. 17. Medicus Cous antiquiſſimus ipſius Hippocratis diſcipulus ut docet Tzeza. Vide Meibom. ad Hippocratis *ὅρκον* p. 7. Caſtellanum vitis Medicor. p. 42. Citat & Scholiaſtes vetus ad Iliada, quem Didymum eſſe exiſtimant p. 367. Reliqua Harduinus occupavit.

Pythagoras IV. 28. Philoſophus alius IV. 47. exercitator. ** Conſule omnino Reineſium in Variis p. 201. ſq.

Sagares pancratiaſtes unus de nobiliſſimis. Emplaſtrum quo uſus ille fuit, recenſetur III. 47. Pancratiaſtes eſt athleta. Sextus Empiricus lib. I. Pyrrhon. Hypotheſ. c. 14. Henrico Stephano interprete: ***Cum lex ſit, non licere pulſare hominem liberum & nobilem bonis parentibus prognatum, pancratiaſtæ alii alios pulſant propter vitæ ſuæ inſtitutum.*** Uſus itaque illo emplaſtro Sagaris adverſus omnia, quæ in hujusmodi certamine ſolent inferri. Quanquam vero non repugnent Medicum eſſe & athletam, ut Marcellus Grammaticus ac pugil *ap. Sueton. c. 22. illuſtr. Gramm.* Hippomachus Muſicus & athleta *ap. Ælian. II. 6. & IV. 8. Variæ Hiſtoriæ.* Nihilominus Sagarim ex Medicorum numero à Reineſio recte ejectum eſſe arbitramur. De hoc forte Sagari intelligi queat illud Martialis VIII. Epigr. 58. ſi ita legamus:

> *Cum tibi tam craſſi ſint Artemidore lacerti,*
> *Poſſum te Sagarim jure vocare meum.* ***

Scio in diverſa abire Interpretes & Reineſium Epiſt. ad Hofmannum p. 145. & 383.

Theodori xeron ſive pulvis III. 22. Hic ſeptimus decimus eſt inter viginti Theodoros, quos memorat Laertius Diogenes p. 157. edit. Stephani. Ejus quoque mentio apud Plinium Majorem, unde noſter hauſit.

Valerii Paulini medicamentum III. 14. ejus Galenum etiam meminiſſe obſervat Reineſius.

* Vide tamen Joach. Kuhnii ſpecimen notarum ad Pollucis Onomaſticon p. 112. ſq.

** Pythagoram Philoſophum primum pugilem fuiſſe, ait Gale, Court of Gentils P. II. p. 127 conf. Menag. ad Laertium 357. 375. ſ. 377.

*** Sagaris gladius Perſicus Druſ. Qu. Ebr. I. 47.

Vin-

Vindicianus I. 54. 55. 57. emendante Barthio p. 80. Adversar. quod approbat Reinesius p. 42. defensionis. De eo Bartholinus de Medicis Poëtis p. 122. & Reinesius p. 644. Variarum. Circa annum Christi 360. in vivis fuisse videtur Meibomio. Adde quæ de Vindiciano habet Conringius p. 59. introductionis in Medicinam. Insignem ejus locum emendat Meursius lib. II. Miscellan. Laconicorum capite 16.

LVII. PAULUS ÆGINETA.*

Aetii exscriptor dicitur à Reinesio p. 35. Var. Lect. Ita alibi quoque videas transscriptoris veterum nomine venire hunc Paulum. Cornarius notis ad lib. I. Æginetæ c. 58. *Sequitur autem Paulus non minus frequenter Aetii quam Galeni verba* &c. Nihilomius à plagii crimine alienus est, quandoquidem ipse ait: οὔτε γὰρ τὰ ἐμὰ παρεθέμην ἐν αὐτῇ ἐπιτομῇ γεννήματα, πλὴν ὀλίγων δή τινων ὅσα περ ἐν τοῖς τῆς τέχνης ἔργοις εἶδόν τε καὶ ἐπείρασα. Πλείοσι δὲ τῶν ἐνδόξων ἐντετυχηκὼς καὶ μᾶλλον Ὀριβασίῳ καὶ αὐτῷ πᾶσαν ἀπανθίσαντι βίβλον, ἐν ᾧ πᾶσαν τὴν ὑγιεινὴν διήλθομεν ὑποτύπωσιν. Τῶν γὰρ μετὰ Γάληνον καὶ ἔτι νεωτέρων ἐγένετο. Τὰ κάλλιστα τούτων ἐπιλεξάμην, μηδὲν ὡς οἷόν τε νοσημάτων παραδραμών. Ἡ γὰρ ἑβδομηκοντάβιβλος αὐτοῦ τοῦ Ὀριβασίου πᾶσαν ἐν ἑαυτῇ περιέχει τῆς τέχνης ὑπόθεσιν. Ad quem locum Cornarius, *ingenua*, inquit, *est confessio, non sua, sed veterum placita se collegisse ac proferre profitentis. Honestum est magnos duces sequi, honestum est aliena scripta usurpare, sed turpissimum est, illa pro suis edere, neque per quem profeceris, fateri. Si autem Paulus Ægineta non sine magna laude collectionem ex prioribus Medicis fecit, & Græce scriptis eadem lingua transscribendis iisdemque verbis usurpandis nomen invenit, & hoc studium prior etiam Galenus tum alibi tum vel maxime in libris* κατὰ τόπους *itemque* κατὰ γένη *inscriptis cum gloria exercuit* &c. Idem de Oribasio dicendum est, qui Juliani Imperatoris jussu, quæcunque medici præstantissimi ante eum scripserant, in unum volumen redegit, quamobrem exscriptor veterum recte dici, plagiariis vero citra injuriam adnumerari non potest. Quod

* Ejus libros septem græce edidit Rembertus Dodonæus & Hieron. Gemusæus, latine vertit Torinus, Andernacus, Copus & Cornarius, qui dedolationes seu notas adjecit. Sub Theodosio II. vixisse creditur; patria ejus Ægina insula. Maximam partem orbis perlustrasse se ipse testatur. Christianus fuisse videtur Barthio.

vero ad ἑβδομηκοντάβιβλον Oribasii attinet, cujus in adducto loco Paulus mentionem facit, diximus in dissertatione nostra de numero septuagenario thesi 17. apud Suidam perperam LXXII. libros numerari, cum nec ipse Oribasius procemio Synopseos ad filium, neque Photius codice CCXVII. Bibliothecæ plures quam LXX. agnoscant.

LVIII. APULEJUS MADAURENSIS.

Quamquam in Apologia ipse se medicinæ nec imperitum nec instudiosum appellet,* malunt tamen Eruditorum non pauci librum de herbis alii cuidam Apulejo Celso tribuere, de quo Scribonius Largus capite 43. compositione 171. *Antidotus Apuleji Celsi praeceptoris, quam quotannis componebat & genere quodam publice mittebat Centuripas unde ortus erat, quia in Sicilia plurimi fiunt rabiosi canes.* Idem capite 22. compositione 93. *Hoc medicamentum Apuleji Celsi fuit, praeceptoris Valentis,*** *& nostri, & nunquam ulli viro ejus compositionem dedit, quod magnam opinionem ex eo traxerat.* Marcellus Empiricus Scribonii transscriptor, qui inter Medicos Apuleji quoque in præfatione meminit, idem medicamentum referens capite 16. *hoc* inquit, *Apuleji Celsi fuit & praeceptoris nostri Valentis nec unquam ulli vivus ejus compositionem dedit, quia magnitudinem opinionis ex ea traxerat.* Ex Scribonio hausit Reinesius quæ de hoc Apulejo habet Epistolis ad Hofmannum p. 146 qui addit: *Hujus sunt quæ circumferuntur botanica, vel hic est in quem referuntur, hoc enim fidentius assererem, non illud.* Illius libri de herbis non pauca illustrat Barthius lib. 37. cap. 23. Adversar. Vide & libri 38. cap. 1. ubi non tantum libellum de betonica quem Antonio Musæ antea aliqui tribuerant, partem herbarii Apulejani esse docet, sed & nescio cui Sexto Platonico tributos libellos duos de remediis animalium & avium ad eundem auctorem referri debere arbitratur. Pleraque in herbario, quod ad nomina præcipue herbarum attinet, eodem fere ordine apud Dioscoridem leguntur. Longe autem antiquior fuit Apulejus Celsus, Scribonii, quippe qui Tiberii tempora attigit, præceptor,

* P. 276. edit. Lugd. Bat. A. 1623. 12.

** De hoc Valente Medico, aliisque hujus nominis Reinef. p. 559. & 692. Var. Lect. & p. 35. defensionis. De Vettio Valente Antiocheno Scaliger Epist. 114. & Seldenus de Dis Syris syntagm. 1. cap. 1.

cum

cum Dioscorides Plinii fere æqualis fuisse putetur. At Antoninorum demum ætate (non Trajani ut voluit Petavius) vixisse Apulejum Madaurensem ostendunt Pithœus, Vossius ac Borichius, cujus, opinor, medicinalia allegat Priscianus libro VI. librum de arboribus Servius ad 2. Georgicor. cujus testimonio etiam aliquoties utitur collector Geoponicon & semel Palladius libro I. de re Rustica tit 35. *de remediis horti vel agri.* Hunc ego Apulejum Platonicum malim esse auctorem herbarii, quam illum Celsum, quem sub Augusto vixisse necesse est. Neque dictio usque adeo repugnat, cui aliquid scabritiei ab exscriptoribus accessisse non absurdum est, ut existimemus. Johnsoni sententia, qui Kœnigio citante sexcentis retro annis & græce scriptum libellum illum affirmat, præferenda esset, si aliquibus rationibus niteretur. Forte aliquis ex majore Apuleji opere de herbis nomina earum & virtutes breviter contraxit, uti Sexto Platonico duos adscriptos libros de remediis animalium & avium, siquidem unus horum juxta Barthium auctor est, ex Apuleji majore opere collectos arbitrari possimus, qui de particulis omnium animalium, de situ earum deque causa & remediis conscripturum se esse in apologia sua promisit, in qua etiam mentio servi Themisonis,* quem aluit Apulejus, Medici quidem sed diversi omnino ab Archiatro Themisone, cujus meminit Juvenalis Satira X. Asclepiadis discipulo, sed à quo tamen paulum deflexit, uti videtur ex Celso proœm. & lib. 3. Plin. 29. 1. unde & diversas Asclepiadis & Themisonis sectas memorat Seneca Epist. 95. Adde Coel. Rhodigin. XI. 16. Lipsium l. 18. elect. Colvium ad Apulejum p. 248. Scipionem Gentil. ad Apologiam no. 372. Jonsium p. 83. Harduinum ad Plinium, qui & scripta ejus quædam recenset. Alius ab his duobus Themison Martiali æqualis, qui ejus meminit XII. 20. Alius vir Thebanus, de quo ap. Suidam in voce βάτος. Alius forte quem ἐν παλληνίδι allegat Athenæus p. 235. &c. Sed ut ad Apuleji herbarium revertamur, in præfatione de Medicis ait, *eos reditus facere, dum tempus curationum extrahunt, puto quia sæviores ipsis morbis existunt.* Quæ iisdem fere verbis leguntur, in præfatione Plinii Valeriani. Quod autem Job. Bodæus à Stapel allegante Almeloveenio Apulejum librum suum de salutaribus remediis ex Plinio majore totum compilasse dixit, respexit opinor ad illud

* Medici servi mentio ap. Laertium in Diogene. add. Menag. p. 229. amœnitat. juris De Archiatris idem p. 222. Meibomius Exercitatione ad Cassiodori IV. 19. Variarum. Mercurial IV. I. Var. Lect. Hofmann. Var. Lect. V. 26. 27. 28. Casaub. ad Strabonem. Marsilius Cagnatus II. 15. Var. Observat. Reines p. 509. Var. Lect. &c. Themison Archiater dicitur Scholiastæ Juvenalis.

 herba-

herbarium, in quo post varia herbarum synonyma virtutes quoque earum breviter recensentur. Sed injuriam illo judicio suo auctori herbarii Bodæum fecisse non est dubium, quanquam aliqua fortassis gemina apud Plinium reperiantur. Apulejum Madaurensem Asclepii Hermetis interpretem esse passim negant eruditi, nihilominus cum ex eo non pauca producat Augustinus, non ita nuperus scriptor habendus est uti Colvius, Wowerius, aliique volunt, & *licet non Madaurensis, fortasse alter Apulejus tamen*, ait Barthius ad Gallum confessorem p. 48. qui tamen nullum novit Apulejum alterum. De Milesio sermone seu Metamorphoseon libris qui sine controversia Apuleji Platonici sunt, Elmenhorstius sub initio notarum: *Ex Luciano noster bonam partem transscripsit, cujus Lucium stylo & verbis Apulejanis translatum huic nostro Lucio comitem dare institueram, sed me deterruit postea abominanda & despuenda libri obscœnitas*, &c. Ita Lucianus ex Lucio Patrensi Lucium suum concinnaverat teste Photio cod. CXXIX. Super libro de Mundo graviorem plagii dicam Apulejo scribit Arnholdus Bootius p. 166. factatum Animadversionum: *De istis speculis loquitur auctor libri de mundo falso adscripti Aristoteli, quem locum valde indiligenter atque imperite vertit Apulejus aque ac totum librum, cui se fœdo ac miserabili plagio non interpretem sed auctorem inscripsit, atque multis etiam doctissimis viris in re manifestissima imposuit.* Sed ipse Apulejus, *nos*, inquir, *Aristotelem prudentissimum & doctissimum Philosophorum & Theophrastum auctorem secuti quantum possumus cogitatione contingere dicemus de omni hac cœlesti ratione* &c. Ex quo loco Aristotelem libri de Mundo auctorem esse inter alia probat Olaus Wormius, invito licet doctissimo Heinsio.* Atque ut illam quoque controversiam hic attingamus, librum istum Theophrasto tribuit Cœlius Rhodiginus, Nicolao Peripatetico Petrus Victorius & Simon Portius ap. B. Thomasium cap. XI. Phys. quæst. 15. item Loënsis VI. 12. Epiphyllidos. Posidonio Stoico adscribit Thomas Aldobrandinus. Aristotelis esse negant cum Heinsio uterque Scaliger, Vossius de scientiis Mathematicis p. 272. Casaubonus, Muretus II. 8. Var. Lect. Salmasius, Dürrius, Giphanius &c. Sed ut Aristoteli vindicandum esse crederet, Vulcanii argumentis adductum se fatetur Sam. Rachelius introduct. in Philosophiam Moralem p. 27. quibus adde Fortunium Licetum in Allegoria peripatetica & Petrum

* Alius liber de Mundo, qui inter Philonis Judæi opera editus est Colon. Allobrogum 1613. & Parif. 1640. itidem auctoris nomen Budæo aliisque doctis mentiri videtur. Qui ea ni fallor ratione nituntur, quod neque Eusebius neque Hieronymus aut Nicephorus aut Suidas illius libri inter Philonis Judæi scripta meminerunt.

Petitum

Petitum libro II. Miſcellaneorum capite 19. Pro qua ſententia inprimis facit Juſtini Martyris auctoritas, qui ἐξ Ἀριστοτέλους πρὸς Ἀλέξανδρον λόγῳ verba quæ in libro de Mundo habentur, allegat, quicquid etiam in contrarium excipiat Heinſius; tum Philoponi locus quem Petitus & Elmenhorſtius p. 69. ad Apulejum adducit, quo Ἀριστοτέλης ἐν τῷ περὶ κόσμου λόγῳ diſerte memoratur. Juvat hac occaſione monere, peplum, qui ſine auctoris nomine primum græce à Plantino & Stephano, poſtea Ariſtotelis Stagiritæ nomine addito, à Guil. Cantero cum notis ac verſione Antwerpiæ A. 1571. 8. editus ac poſtea variis Philoſophi Operum editionibus adjectus fuit, non Ariſtoteli Philoſopho Stagiritæ, ſed alii cuidam Ariſtoteli, quorum triginta fuiſſe Jonſius obſervat, tribuendum eſſe. Id diſco ex Grammatico Joh. Tzetza, qui Ariſtotelem pepli ſcriptorem à Philoſopho probe diſtinguit Scholiis ad Heſiodum: Ἀριστοτέλης ὁ φιλόσοφος, μᾶλλον δὲ εἶμαι ὁ τοὺς πέπλους συντάξας, ἐν τῇ Ὀρχομενίων πολιτείᾳ &c. Stagiritæ tribuendum eſſe peplum negat etiam Franciſcus Patricius T. I. diſcuſſionum peripateticarum pag. 18. & 49.

LIX. GARIOPONTUS. †

Ejus paſſionarius Lugduni A. 1516. 1526. tum Baſileæ A. 1531. 1536. prodiit, quem ex Galeni, Æginetæ, Tralliani & Theodori Priſciani libris compoſitum eſſe jam ante annos CCCC. viderat Simon Januenſis, qui Synonymorum librum compilavit. Ex Plinio quoque aliqua deſcripſiſſe Barthius obſervat, ex Theodoro autem Priſciano integra capita XIII. comportavit notante Reineſio. * Galeno ita uſus eſt Gariopontus, ut Galeni etiam nomine ejus paſſionarius à quibusdam allegaretur, quod & duobus libellis dynamidiarum ſive experimentorum Garioponti factum eſſe animadvertit Reineſius p. 528. Var. Lect. ubi illos libros vero auctori reſtituit.

LX. MARCELLUS EMPIRICUS.

Theodoſii ſenioris Archiater, patria Burdegalenſis, Auſonii pöetæ conterraneus. Ejus liber Medicamentorum ad filios ſuos ſcriptus paſſim reperi-

† Quæ de Garioponto dixerat Fabricius in priore editione Plagiariorum, totidem verbis translata ſunt in Bibl. lat. med. & inf. ætatis. Unde hic tantum quæ ad plagii crimen ſpectant exhibemus.

* Lib. III. c. 12 Var. Lect. vide & p. 510. 514. 643. 690. &c. defenſion. p. 76. 145. &c. Barth. in Adverſ.

tur. Editus quoque est inter Medicæ artis Principes ab Henrico Stephano, & ab Aldo inter latinos Medicos. Tantum autem abest, ut Claudii Neronisque temporibus æqualis fuerit, ut quidam putarunt, teste Conringio, ut etiam longe eo antiquior sit Marcellus Sidites, quem sub Marco Antonino libros XLII. medicos carmine heroico concinnasse Suidas testatur. Hujus Siditæ ni fallor *εὐϑετον πρὸς τὰ πυρίκαυτα* refert Ægineta libri IV. capite XI. Hieronymus quoque ejus meminit notante Vossio de Poëtis Græcis p. 75. Verba ejus hæc sunt libro 2. contra Jovinianum: *Legat qui vult Aristotelem & Theophrastum prosa, Marcellum Siditem & nostrum Flavium* * *hexametris versibus disserentes, Plinium quoque Secundum, & Dioscoridem.* Prætermisit autem Siditem inter Poëtas Medicos Cl. Bartholinus, qui Marcellum quoque Empiricum recensere poterat, quoniam is librum suum de Medicamentis pöemate Medico, quamvis non adeo prolixo, claudit. Hofmannus T. I. Lexici Universalis Marcellum Siditem de piscibus tractatum edidisse ait, in eamque sententiam allegat Cassiodorum, verum ubi hoc dicat Cassiodorus, non addit. Equidem libro III. Variarum Epistola ultima Marcellum quendam apud latinos de subterraneis fluentis & de ipso quoque ore fontium solicite egisse Cassiodorus testatur. Idem alium quendam Marcellum Carthaginiensem VII. libros de categoricis & hypotheticis Syllogismis scripsisse ait libro de Dialectica. Atqui hi nihil ad Marcellum Siditem. Quicquid interea sit de aliis Marcellis, Empiricum hoc loco in illis Medicis recensere debuimus, quos doctissimi viri plagii arguerunt. Brounii testimonium allegavit Ameloveenius, quibus Mercurialem lib. II. Var. Lect. cap. 27. Barthii in Adversariis aliquot loca, & plures alios addere possemus, nisi absolvere mallemus Marcellum, propter ejus verba quæ superius, cum de Plinio Valeriano ageremus, à nobis adducta sunt. Interim hic obiter adhuc indicamus tres Plinii Valeriani editiones, quas supra, quod tum ignotæ nobis essent, prætermisimus: Primam reperi in Catalogo Bibliothecæ Franequeranæ p. 62. ubi inter Medicos ap. Aldum Venetiis A. 1547. fol. editos Plinius quoque recensetur. Posteriores duas Nicolai Heinsii catalogus parte I. p. 157. suggessit. Una est Argentoratensis A. 1533. fol. cum Physica Hildegardis, Theodori diæta, Æsculapio de morborum causis &c. Altera Basileensis A. 1549. fol.

* Flavinianum legit Mengering. informator. conscientiæ p. 734. atque ita Erasmus quoque legisse videtur, qui in notis ad Hieron. *Suum* inquit, *Flavianum appellat opinor, ob patriam communem.* Vossio autem visum est ab Hieronymo Flavium ideo suum vocari, quod latine scripsisset, Hieronymique æqualis fuisset, unde Flavium quoque inter latinos poëtas retulit p. 58.

cum

cum Myrepso Sorano, Apulejo &c. Mercklini quoque Lindenius renovatus p. 137. Plinii Medici librum de febribus extare docet p. 184. operis Veneti de febribus.

LXI. KURANIDES.

Non auctoris hoc nomen est, uti adversus Barthium aliosque ostendit Reinesius libro I. capite 2. Var. Lect. Sed liber, qui varias Medicinales collectiones complecteretur, Arabico *κυρανίδων* nomine venit, quasi dicas *συναγωγάς*. * Græcum MS. habuit Gaulminius, ** qui in variis Bibliothecis reperiri eum ait notis ad Psellum *περὶ δαιμόνων ἐνεργείας* p. 94. Ex ejusdem Gaulmini ad Theodorum Prodromum animadversionibus Græcum titulum producit Morhofius p. 99. Polyhist. Ait autem Græcus ille, non auctorem se esse sed interpretem, atque ex Persico Kuranidas convertisse. Malunt quidam eruditi ex Arabico vel Ægyptiaco, tam vero antiquum esse interpretem, ut & Olympiodorum ætate anteverterit. Latinum ex Græco fecit Gerhardus Carmonensis, idem à quo Avicennam *ἀκέμψως* versum dicit Josephus Scaliger in Epistolis. Male Cremonensem eum vocant, vel aliam ei patriam affingunt viri docti, uti ex Plempii ad Avisenam prolegomenis monuit Colomesius p. 150. Opusc. Latinum MS. oculis usurpavimus in Bibliotheca Paulina, concedente Cl. Dn. Fellero, cui tum hoc nomine, tum infinitis aliis singulares gratias debemus. Ex illo MS. prodiit editio Lipsiensis A. 1637. cum notis, cui titulus: *Kirani Kiranides & ad eas Rhyakini Koronides.* Aliam memorat Morhofius editam Francofurti A. 1681. *** Priorem passim in Variis suis perstrinxit Reinesius, libri præcipue III. capite 15. Quod cum male haberet Kuranidon editorem, is Reinesio vicissim aliquot in Scriptis graviter insultavit, quod tam ægre tulit Reinesius, ut ipse *Epistola XIII.* ad *Vorstium* tantum inde literarum tædium cepisse se dicat, ut de iis nullam fere feriam cogitationem de cætero suscipere possit. Opposuit deinde Kuranidon editori defensionem Variarum Lectionum Rostochii A. 1653. publicatam, ubi iterum editionem Kuranidon Lipsiensem perstringit p. 150. sqq. Quæ

* In Monatl. Unterred. 95. p. 23. sq. & p. 30. ex Zoroastris opere fragmenta esse.

** Habuit etiam du Fresne ad condendum glossarium suum mediæ Græcitatis, it. Salmasius ***. 3. b. proleg. ad Solin. & ante Salmas. Scaliger ad græca Eusebii p. 409.

*** Hanc Francofurtensem editionem cum a Græco, tum a latina Lipsiensi differre ex Morhofio apparet.

autem

autem de iisdem in variis ſuis dixerat, tuetur p. 66. ſqq. E Plinii penu Kuranides ſtructas eſſe aſſerit p. 164. Ibidem, *non tuebor*, inquit, *Kuranidon nugamenta ἃ καὶ γελοῖον ἐστιν ἐλέγξαι, non portentoſa mendacia, non inſcitiam barbaram, non vanitates magicas & manifeſtam impietatem ejus.* Quo referendus locus in Variis, ubi plenum nugarum, etiam impiarum ex parte, nulliusque uſus librum appellat. Chriſtianum tamen agnoſcit, & cui interpres latinus multa ex ſeculi ſui ineptiis alleverit. A Kuranidon editore inter alia furti quoque literarii accuſatus fuerat Reineſius, quod à ſe avertit p. 113. ſqq. defenſionis, & viciſſim, adverſarium ſuum ejusdem criminis reum facit, p. 93. 99. & 118. Atque hæc de Medicis dicta ſunto, quibus Deſiderium Jacotium, Davidem Abercrombium futis Academici auctorem, aliosque plagii accuſatos addere poſſemus, niſi ad alios tranſire animus eſſet.

LXII. ARATUS SOLENSIS.

Hipparcho Bithyno obſervante Aratus τῇ Εὐδόξου συντάξει κατακολουθήσας τὰ Φαινόμενα γέγραφεν, ἀλλ' οὐ κατιδίαν παρατηρήσας, ἢ μαθηματικὴν κρίσιν ἐπαγγελόμενος ἐν τοῖς οὐρανίοις προσφέρεσθαι περὶ διαμαρτανόντων τῶν ἐν αὐτοῖς. Hoc eſt: *Eudoxi commentarium ſecutus phanomena ſcripſit, ſed nec obſervatione propria fultus, nec Mathematicum judicium circa res cœleſtes volens interponere, ſuper illis qui in iisdem aberrarunt.* Ita, ni fallor, legendus & interpretandus iſte locus, cui alienam in verſione ſua ſententiam affingit Petavius p. 172. Uranolog. Quinam fuerit ille Eudoxi commentarius, paulo poſt Hipparchus docet his verbis: Ἀναφέρεται δὲ εἰς τὸν Εὔδοξον δύο βιβλία περὶ τῶν Φαινομένων, σύμφωνα κατὰ πάντα σχεδὸν ἀλλήλοις πλὴν ὀλίγων σφόδρα. Τὸ μὲν οὖν ἐν αὐτῶν ἐπιγράφεται ἔνοπτρον, τὸ δὲ ἕτερον Φαινόμενα. Πρὸς τὰ Φαινόμενα δὲ Ἄρατος τὴν ποίησιν συντέταχεν. Quod in ſequentibus prolixe oſtendit Hipparchus. At in vita Arati non ex Phænomenis ſed ex ἐνόπτρῳ Eudoxi Aratus poëma ſuum concinnaſſe dicitur pag. 269. Παρὰ τῷ βασιλεῖ (Macedoniæ, Antigono Gonata) γενόμενος καὶ εὐδοκιμήσας ἔν τε τῇ ἄλλῃ πολυμαθείᾳ καὶ ποιητικῇ προετράπη ὑπ' αὐτοῦ τὰ Φαινόμενα γράψαι, τοῦ βασιλέως Εὐδόξου ἐπιγραφόμενον βιβλίον κάτοπτρον δόντος αὐτῷ καὶ ἀξιώσαντος τὰ ἐν αὐτῷ κατὰ λογάδην λεχθέντα περὶ τῶν Φαινομένων μέτρῳ ἐκτείνειν. Quibus verbis à plagio in Eudoxum Aratus quidem abſolvitur, ſed aliud in Heſiodum eidem

eidem Callimachus objecit, * qui Aratum Hesiodi ζηλωτὴν fuisse innuit hoc in eum scripto epigrammate:

> Ἡσιόδου τὸ δ' ἄεισμα καὶ ὁ τρόπος οὐ τοῦ ἀοιδῶν
> Ἔσχατον ἀλλ' ὀκνέω μὴ τὸ μελιχρότατον
> Τῶν ἐπέων ὁ Σολεὺς ἀπεμάξατο. χαίρετε λεπταὶ
> Ῥήσιες Ἀρήτου σύγγονοι ἀγρυπνίης.

Quod epigramma ex Casauboni maxime Lectionibus Theocriticis emendatum hoc loco apponere volui, cum ante paucos adhuc annos id valde corruptum Excellentissimus quoque Dn. Joh. Andreas Schmidius in suam de Arato Exercitationem receperit. Ne quis autem miretur in voce Ἀρήτου seu Ἀράτου, pro qua ἀῤῥήτου legit Petavius, primam quæ alias a Poëtis corripitur, hic produci, sciat secundam quoque corripi in isto antiqui Poëtæ:

Aut Arati numeros aut picta Manethonis astra:

Nisi & ibi prima in *Arati* producta, & ab aliquo sciolo, qui id concoquere non poterat, vocula *aut* temere præposita fuit. Ovidius certe secundam producendam putabat, cum libro primo amorum vaticinaretur;

Cum sole & luna semper Aratus erit.

Ut vero Aratum Hesiodi Callimachus, ita Nicandrum Colophonium ** Antimachi ζηλωτὴν fuisse ejus Scholiastes Græcus observat, διόπερ, inquit, καὶ πολλοῖς αὐτοῦ κέχρηται, διὸ καὶ ἐν ἐνίοις δωρίζει. Quem Nicandrum cum Arato hic conjunximus, quoniam idem post Ciceronem lib. I. de Oratore fecisse videmus Josephum Scaligerum Epistola XIX. ad Vertunianum. *Oppono, inquit, illi Nicandrum, qui de iis rebus scripsit, quorum ipse prorsus ignarus erat. Oppono Aratum, qui* ἀναστρολόγητος luculentissimo poëmate τὰ Φαινόμενα *descripsit.* Non tamen fuit plagiarius Nicander, uti nec Aratus, quanquam ille quoque uti Solensis poëta ex alio scriptore, quisquis etiam ille fuerit, materiam librorum suorum accepit. Alias enim homo ab agro remotissimus, uti Cicero eum appellat, de rebus rusticis præclare scribere non potuisset.

* Hesiodi ἀστρικὴ βίβλος memoratur Theoni ad Aratum. Quaedam ex ea producit Tzetzes. Chil. XII. hist. 399. Sed Athenæus Hesiodo suppositum fuisse indicat, cui citatur ὁ τὴν εἰς ἡσίοδον ἀναφερομένην ποιήσας ἀστρονομίαν. Locus est libro 13. Dipnosophist. Hesiodi tamen Astronomiam Plinius quoque nominat.

** Floruit Nicander sub ultimo Pergami Rege Attalo. De eo ejusque scriptis plura DEO volente dicemus ad Suidam.

Eundem Nicandrum ὀφιακὰ sua sub ficto Conchlacis nomine edidisse ex Galeni VII. de simplic. medicam. notat Lambecius libro II. de Bibliotheca Vindobonensi p. 541.

LXIII. APOLLONIUS PERGÆUS.

Duodecim viros inprimis subtilitate præstasse Cardanus animadvertit, * Archimedem, Aristotelem, Euclidem, Johannem Scotum, Johannem Svisset, cognomento calculatorem, Apollonium Pergæum, Architam Tarentinum, Mahometum Algebræ repertorem & Alchindum Arabes, Hebrum Hispanum, Galenum & Vitruvium. Hos vero tres omne humanum ingenium excessisse, divinitati cuipiam propiores, Ptolemæum Alexandrinum, Hippocratem Coum & Plotinum. Inter duodecim illos subtilitate præstantes sextum locum assignatum videmus Apollonio Pergæo, qui id etiam ab antiquitate meruit, ut ob insignem artis peritiam, Huetio notante, magnus Geometra diceretur. Inclaruit libris VIII. Conicorum, quorum IV. priores græce adhuc extant à Snellio & aliis interpretati, quintus, sextus, & septimus diversimode ex diversis MSS. Arabicis latine redditus est ab Abrahamo Ecchellensi & Christiano Ravio. Octavus etiamnum desideratur. Verum omnis illa laus Apollonii peribit, nisi falsum est quod Eutocius initio commentarii in Archimedem περὶ τῆς τοῦ κύκλου μετρήσεως ex Heraclio in vita Archimedis refert, *Archimedem primum omnium consignasse Conica, Apollonium vero cum ea sciret necdum edita esse ab auctore, involasse in illa, proque suis edidisse.* Dn. Joh. Andreas Schmidius dissertatione de Archimede: *Equidem fatendum*, inquit, *haud penitus spernendam esse hanc sententiam, quippe quæ clara Archimedis dictioni firmissimo quasi talo innixa sufficienter comprobari videtur. Memorat enim ille scriptum de Conicis elementis, libros Conicos &c. - - Præterea acutam hanc planis secandi conos scientiam ipsum non latuisse fuse probare annititur Guido Ubaldus in 2. ἰσορροπικῶν Archimedis. Sed salvo aliorum judicio & Apollonio & Archimedi gloriam scriptorum de Conicis sartam tectam volumus, atque illius quidem ad nos pervenisse labores, hujus vero periisse sine absurditate putare possumus.* Hæc ille.

LXIV. ÆSCHINES ATHENIENSIS.

Socratis amicus, cujus vitam describit Diogenes Laërtius, libro II. de vitis Philosophorum: Διεβάλλετο ὑπὸ Μενεδήμου Ἐρετριέως ὡς τοὺς πλείστους

* Lib. 16. de subtil. p. 802. sqq.

δια-

διαλόγους ὄντας Σωκράτους ὑποβάλλοιτο λαμβάνων παρὰ Ξανθίππης. Hæc Laertius, apud quem ex intervallo hæc quoque leguntur: Τούτου τοὺς διαλόγους καὶ Ἀρίστιππος ὑπώπτευεν. Ἐν γοῦν μεγάροις ἀναγινώσκοντες αὐτοῦ φασὶ σκῶψαι εἰπόντα πόθεν σοι λῃστὰ ταῦτα; Utraque reperias etiam in libello Hesychii Illustris de Philosophis, qui ex Laertio, uti pridem docti animadverterunt, maximam partem est compilatus. Prima verba mirifice vertit Ambrosius Abbas Camaldulensis; *is scilicet non erat, qui hunc scriptorem exprimeret*, uti Barthius ait in Adversariis, vel uti Philelphus Ambrosii * æqualis in Epistolis judicat, *qui Græca orationis significationem proprietatem & elegantiam tenere se debebat arbitrari.*

LXV. Auctor ETYMOLOGICI MAGNI.

Diximus de eo in Schediasmate de Lexicis Græcis. † §. 12. Senem doctissimum Ægidium Menagium capite 76. anti Bailletti de eodem egisse novimus ex Actis Eruditorum A. 89. p. 498. Sed ille liber ad manus nostras nondum pervenit, uti nec Bailletti judicia, de quibus nihil, nisi quantum ex Morhofio & Ephemeridibus discere potuimus, scire nos profitemur. Ex iisdem actis p. 496. Menagium à Bailletto plagii poëtici postulatum esse notavimus, qui id excusavit, & alibi de furtis poëtarum dissertationem se condidisse professus est. Cæterum Eustathium Etymologici Magni compilatorem vocat Joh. Daniel Major de nummis græce inscriptis p. 54. Uti vicissim Apostolium Eustathii descriptorem dicit Pantinus. Eundem Apostolium Palæphati descriptorem nominat Cornelius Tollius ad Palæphatum p. 140. ex quo tamen plagiarium eum nondum agnoscimus.

LXVI. JOHANNES SCAPULA.

Vide Schediasma de Lexicis Græcis §. 18. ††

* De hoc Ambrosio Cave p. 359. Chartophyl.

† Vide nunc Bibl. Gr. Vol. X. p. 17. sqq.

†† Confer nunc Bibl. Gr. Vol. X. p. 82. sq. & 86.

LXVII. PETRUS GALATINUS.

Hunc in arcanis Catholicæ veritatis plagiarium esse constat, sed cum alii Raymundum Martini, alii Porchettum ab eo compilatum velint, illud statuendum est denique, juxta Joh. Morini sententiam Porchetti vitulo arasse Galatinum, addidisse tamen aliqua dubiæ incertæque fidei, quorum non pauca apud illum scriptorem allegata non minus ac scripta Hermetis Trismegisti, suppositititia putat Casaubonus Epistola 295. De quo Galatini plagio præter B. Thomasium videri potest Maxime Rever. Dn. D. Joh. Benedicti Carpzovii Introductio in Theologiam Judaicam p. 90. 103. 113. 117. &c.* Galatino Cl. Wagenseilius, in Sota p. 203. Dominicum Garciam in propugnaculis Religionis Christianæ contra perfidiam Judæorum, & p. 1105. Antonium Margaritam in libello vernaculo de fide Judaica ad latus ponit. Qui etiam p. 200. docet, Judæis nihil esse sanctius, quam auctorum nomina, per quos profecerunt, non dissimulare, ** & p. 216. R. Jacobum Abendanam contra Judæorum morem R. Bechai suppresso ejus nomine exscripsisse. *,*

LXVIII. ALBERTUS MAGNUS.

Petrus Petitus sive Parvus libro de Sibylla p. 64. *Sed & Algazel magni inter Arabes philosophos nominis auctor, in libro Averrois* * *qui inscribitur, Destructio destructionum Philosophiæ, de iis quos natura vaticinio affines finxit, eodem plane modo atque Albertus differit, vel potius huic Albertus consentanea dixit, quem ab Algazele, qua modo attuli, accepisse, ex utriusque loci comparatione intelligi potest, ubi etiam eadem proponitur ingeniorum distinctio.* Hic Albertus tantam voluminum omni genere doctrinæ refertorum scripsit multitudinem, quibus omnes artes vocat ad arcem sapientiæ ancillaturas, *ut Theophrastum superasse crediderim*, (verba sunt Yvonis Pinsarti **) *vixque*

* Idem p. 21. observat, Archangelum Burgonovensem in Comment. in Cabbalistarum dogmata Reuchlinum exscribere.

** Sed vide Neandrum Erotem Ebr. p. 557.

, Adde R. Schephtel, quem Rittangelio sæpius usum ejus nomen vel dissimulasse, aut falso nomine allegato autorem per quem profecerat siluisse notat, Abr. Hinckelmannus p. 34. Detectionis Fundamentorum Böhmismi.

* Averroem ex Themistio multa hausisse notat Vossius p. 81. de Log. natura.

** Ap. D. Carpzov. p. 112. introduct. in Theol. Jud.

valeant

valeant prela Lugdunensia in hoc impensissime à multis annis insudantia, (Lugduni XXI. Tomis Alberti M. Opera prodierunt) *magno multorum terrori, qui ab eo mutuati sunt, quicquid boni habent, hanc pretiosarum incompertarumque curiositatum abyssum exhaurire.*

LXIX. FRANCISCUS VATABLUS.

Arnholdus Bootius Indice sacris suis animadversionibus præmisso: *Versionem Tigurinorum junctim Robertus Stephanus, A.* 1545. *cum versione vulgata per columnas edidit in* 80. *appositis passim ad locos quosque difficiliores scholiis locupletiss. ac doctissimis. Quæ scholia cum ipsius solius opus essent, in solidum omnem tamen eorum honorem vir modestissimus in præfatione transscripsit Francisco Vatablo, ac si ex ejus prælectionibus sublectum esset, quicquid boni in iis continebatur.* * Idem Bootius, paucis interjectis: *Quod in titulo scholia Vatablo rursus attribuuntur, nihil est, tantum enim abest ut Vatablus secundis aut tertiis hisce scholiis manum adhibuerit, ut ne prima quidem ab eo profecta sint, eaque sibi attribui indigne admodum tulerit, publiceque nihil illa ad se pertinere professus sit, cum multa Religionem reformatam sapientia in iis sparsa sint, à qua ipse fuit alienissimus.* Sed vide Colomesii Galliam p. 8. sqq. ex qua notas illas ex Vatabli prælectionibus excerptas esse apparet. Richardus Simon libro III. Criticæ V. T. Historiæ p. 70. de Vatabli notis loquens: *Rabbinos vulgo, inprimis D. Kimchi sequitur. Ejus notas perpetuas vocare possis, nihil enim occurrit, quod non perspicue admodum & breviter explanet, imo ut omnibus utilis sit, iis quandoque hæret, quæ non videntur ulla difficultate laborare. Certe merito ejusmodi notæ à Rob. Stephano editæ pluris fiunt, sive vere Vatabli sint, sive plurium, ut vero similius, quorum nomina supprimit, inter quæ Calvinus est, cujus quædam in hisce notis extant.* Versionem quoque Bibliorum Vatablo tributam non Vatabli sed Rud. Gualteri esse, Teissierius parte I. Elog. des Scavans p. 4. & Kœnig in Bibliotheca ex Placcio retulerunt. Nisi potius Tigurina Leonis Judæ versio est, uti videtur ex Cornelio à Lapide ap. Colomes. p. 11. Galliæ Or. & Teissierio ex Melchioris Adami vitis parte II p. 391.

* Vide Alex. Mori causam Dei p. 158. & Kortholtum p. 265. de variis Biblior. editionibus.

LXX. BALTHASAR CORDERIUS.

Hunc inter eos, qui aliena transscribendi sibique vindicandi sumserunt licentiam, præcellere putat Maxime Rever. Dn. D. Veielius de variis œconomiæ S. generibus p. 82. *Hic enim*, inquit, *commentarium suum in Jobum cæteroquin non adspernandum ipsissimis verbis Joh. Calvini sed mentione viri nuquam facta exornandum sibi censuit. Verum Corderius excusari potest, eo quod forte nefas esse judicarit, si quispiam ex Societate profiteretur, se ex scriptis Calvini, capitis tam exosi, profecisse.* Ita Salmeronem ex fontibus Johannis Feri areolas suas irrigasse observat B. Gerhardus libro I. confess. Cathol. general. pag. 23. adeo quidem, ut pagellas integras in commentarios suos ex eo transtulerit. Henrici Stephani præfationem super expositione Psalmorum à Marlorato compilatam notat Reinesius p. 38. Epist. ad Vorst. * Et longe plura ejusmodi exempla se nobis offerrent, si commentatores inter se contendere vellemus, qui Sanctorum Patrum exemplum secuti videntur, dum unus alterum exprimit. Pridem enim est, cum Origenem in Hieronymo, Ambrosio, Basilium, Chrysostomum in Theophylacto & Oecumenio, Hieronymum in Rhabano, in Gregorio Augustinum, in aliis alios legi, eruditi homines animadverterunt. Non minor exscriptorum seges inter Postillarum

* *Maldonatus in Evangelia, quando aliquid habet boni, furatur a Calvino, & ut agnòscas maledicit ei, ut Eusebius ex Africano conatur furta sua legere.* Scaligerana II. p. 113. *Mersennum* in Comment. ad aliquot Geneseos Capita ex Mercero multa transscripta sua fecisse notat Rivetus Exerc. XII. in Genesin T. I. Opp. p. 50. *Claud. Guillandus* D. Theol. edidit commentar. in S. Matthæum & in Evangel. S. Johannis. At totus Commentarius ex Wolfg. Musculi in Matthæum est edolatus, vix decima aut vigesima quaque linea discrepante. Musculi impressus est Basil. 1544. Guillandi 1562. vid. Rich Holdsworth prælect. Theolog. p. 314. idem de Scholasticorum plagiis agit p. 313. sq. Tiraquellus ad Alex. ab Alex. V. 13. scribit: totum id fere caput ut alia multa ex hoc autore *Casparus* (*Peucerus*) in suos commentarios de præcipuis divinationum generibus inseruit, quo loco de auguriis & aruspicina tractat, nec hunc tamen nominat nec alios a quibus hæc acceperat. *Christophorus Marcellus* libros 3. rituum Ecclesiast. edidit A. 1516. dicavitque Leoni X. qui sunt Augustini Patricii Piccolominei. M. U. 90. p. 347. sq. sed vide etiam. p. 350. sq. Commentaria *Pontificiorum* inprimis *Jesuitarum* in libros Scripturæ post Bucerum, Mercerum, Bullingerum, Lavaterum, Bezam, Calvinum, Martyrem &c. edita satis ostendunt, bene dicta maximam partem ex nostris desumta, quorum tamen nunquam aut rarissime meminerunt nisi cum eos perstringunt. Voët. 3. select. p. 686. Plura plagia notata Crenio X. animadvers. p. 162. sqq.

scripto-

ſcriptores offenditur, quorum aliqua exempla adnorarunt auctores der Poſtillen-Poſt & des Poſtillen-Reuters, nobis non repetenda.

LXXI. ATHENAGORAS.

Sub hujus nomine, præter Apologiam & libellum de reſurrectione, quæ genuina ejus ſcripta ſunt, * (niſi quod male nonnulli Athenogoni ea tribuere maluerunt) fabula quædam Romanenſis ſed tantum Gallice decem libris à Fumæo ex Græca lingua converſa extat, quæ de vero & perfecto amore inſcribitur. De ea Gisbertus Cuperus in Harpocrate p. 119. *Eum tamen auctorem vix credere auſim genuinum eſſe, licet illud ſentiant illuſtres & præſtantes viri, quia integra loca ex Plutarcho, Livio, Herodoto, Curtio aliisque auctoribus ad verbum fere deſcripta ſunt. Quod ſi fraus omnis abeſt, plurimi ille Athenagoras faciendus eſt certe, quia tot antiquitatibus aliisque præclaris rebus abundat.* Meminit ejus quoque Rol. Mareſius libri I. Epiſtola 26. Omnium autem pleniſſime de ea egit Petrus Daniel Huetius elegantiſſimo libello de origine fabular. Romanenſium, qui p. 42. ſqq. editionis latinæ Lipſienſis illam Athenagoræ prorſus abjudicat ** & p. 57. Philandrum Vitruvii commentatorem fraudis hujus architectum eſſe ſuſpicatur. *Ego*, inquit Colomeſius, *ampliandum cenſeo.* Præter hunc Athenagoram cui liber de vero amore tribuitur, quemque eundem eſſe putamus cum Epiſcopo Byzantino, cujus mentio fit in Philippi Cyprii Chronico Eccleſiæ Græcæ p. 4. alii quoque Athenagoræ apud veteres memorantur, ut Athenagoras Argivus apud Sextum Empiricum libro I. Pyrrhon. Hypotheſ. p. 27. Athenagoras rei Ruſticæ ſcriptor ap. Varronem & Columellam. Athenagoras chirurgus ap. Martialem VIII. 41. IX. 97. &c. alius in hiſtoria Apollonii Tyrii teſte Barthio p. 2602. Adverſar. alius hujus nominis ap. Curtium IV. 5. 16. Hiſtoriarum. &c.

LXXII. FRANCISCUS COMBEFIS Dominicanus.

Optime de bonis literis, Eccleſiaſtica inprimis hiſtoria meritus editione auctatii novi & noviſſ. Bibliothecæ Patrum, Baſilii, Maximi, Andreæ Cre-

* Sculteius parte I. medullæ patrum p. 57. dicit Athenagoram ſcripſiſſe libros 12. περὶ τῶν εἰς ἑαυτόν, qui lateant in Bibl. Geſneri, quod mirum videtur Hornbeckio in Miſcellaneis. Sed libri illi 12. ſunt Marci Antonini, ad quem apologiam ſuam ſcripſit Athenagoras, error vero eſt Sculteti.

** *Adjudicat* perperam legitur in paralipomenis Colomeſii ad Cave p. 3. edit. Lipſienſis.

tenſis,

tensis, Amphilochii, Historiæ Byzantinæ scriptorum post Theophanem, Conciliorum Maximorum, Theodori Ancyrani adversus Nestorium, manipuli originum rerumque Constantinopolitanarum, qui cum Allatio de Simeonum scriptis prodiit, &c. * Nihilominus valde infensum sibi expertus est Petrum Lambecium, qui eum passim perstringit atque castigat in suis de Bibliotheca Vindobonensi commentariis. Ejus aliquot loca, quibus plagii Franciscum postulat, hic apponemus: Libro VIII. p. 120. *Magnus ille Orbilius Franciscus Combefisius, qui promiscue in quoscunque viros doctos, ex quorum scriptis plagiarie compilandis putidam gloriolam sibi quæsivit, loco gratiarum actionis insana maledicentia debacchatur.* p. 335. *Franc. Combefisius in plagiario suo ex meis potissimum laboribus corraso originum rerumque Constantinopolitanarum manipulo.* Eundem manipulum plagiarium iterum vocat p. 462. & 463. ipsum Combefisium *arrogantissimum aliorum laborum obtrectatorem, seu potius, ut ipse thrasonice loqui amat, exsufflatorem.* Quemadmodum olim Brutus, qui id cum vulgo commune habere se dicit, quod cupiebat, vehementer cupiebat, ita Lambecius, cui semel infestus est, ei valde male cupit, uti in Aventino, Lazio & aliis quibusdam animadvertimus, in quos vel levissima data occasione sæpenumero atrociter & sine causa invehitur. Aventino, quod admodum ridiculum est, ipsum quoque nomen invidet.

LXXIII. JANUS GRUTERUS.

Egregiam operam navavit literarum studiosis, dum quinquaginta circiter auctorum hinc inde dispersas ac cum tineis partim blattisque pugnantes in omne auctorum genus observationes uno sex tomis distincto corpore complexus est, quod lampada sive facem artium liberalium inscripsit. ** Cui lampadi utinam oleum suffunderent alii viri docti, eumque scripta philologica colligendo laborem imitarentur. Equidem Joh. Philippus Pareus septimum Tomum adjecit, in quo præter analecta sua Plautina, Joh. Brantii, Georgii Reiteri, & Caroli Langii castigationes in Plautum exhibuit, verum in illis analectis nihil fere nisi scommata & maledicta in Gruterum conjecta legas, ut non ad continuandum Gruteri laborem, sed ad nomen ejus diffamandum tomus ille adjectus videatur. Qua in parte, quamvis à Grutero

* Quædam recenset Beughem. Bibliograph. curios. p. 106.

** Dolendum est, quod præfationes plerumque omiserit. Prodiit illa Lampas Francofurti A. 1602. & sequentibus in 8. Auctores in ea contenti enumerantur in catalogo Bibliothecæ Tobiæ Andreæ, k. 3. 6.

lacessitus,

laceſſitus, illaudatum tamen facinus commiſit Pareus, quod operi elegantiſſimo eique alieno bilem ſuam adfricuerit. In illis vero analectis præter alia Gruterus plagii in Plautina editione & in ſuſpicionibus commiſſi ſæpisſime compellatur, imo tanquam plagiariorum anteſignanus traducitur. Cum vero uti reliquas inculpationes, ita hanc quoque ex malevolo animo Plautinoque odio profectam eſſe appareat, fidem ei ſimpliciter habere non poſſumus. Non magis quam ubi affirmavit Pareus, Taubmannum in Plauti editione ſibi ſuffuratum eſſe emendatorum ſupra trecenta locorum millia. Quod his verbis perſtringit Chriſtophorus Pflugius, ſive, qui ſub eo latet, Gruterus in præfatione ad Taubmannianam Plauti editionem à ſe interpolatam Anno 1620. *Si trecenta locorum millia & amplius ei ſunt involata, emendavit utique & alia plura, à quibus noſter ille abſtinuit manum. Atqui omnes Plauti fabulæ continent ſolummodo ducenta vocabulorum millia, certe longiſſime abſunt à trecentis millibus, unde neceſſario ſequitur, adhibita tortura Pareana cruciamenta ſingulis etiam ejus Comici ſyllabis, &c.* Quæ cum legerem, in mentem venit vulgatæ narrationis de neſcio quo patre familias, qui apud vicinum ſuum conqueſtus eſt, felem jam nunc carnis fruſtum ſeptem pondo devoraſſe. Cumque vicinus, homo ſcilicet feſtivus, gravitatem felis expenderet, ipſa vix quatuor pondo eſſe repetta eſt, unde in manifeſto mendacio patrem illum familias deprehendit. Excuſavit tamen ſe Pareus, in præfatione analectis præmiſſa p. 38. dicens hyperbolice locutum ſe eſſe, in hoc autem omnem Hyperbolen Senecæ judicio intendi, ut ad verum mendacio veniat. De Grutero præterea videndus Balthaſ. Venatoris panegyricus, qui & ſeorſim prodiit, & legitur in Wittii Philoſophis & Bateſii vitis cum elencho ſcriptorum Gruteri, & cum Friderici Hermanni Flayderi de vita, morte & operibus Gruteri, hujus poſthumis in Tacitum & Livium notis à B. Franckenſteinio ſubjunctus eſt. Extant etiam Erneſti Stidæ Erfurtenſis manes Gruteri, Erfurt. 1618. 12. Ut Freherum in Theatro, Lotichium in parte tertia Bibliothecæ Poëticæ & tot alios prætereamus.

LXXIV. JOH. PHILIPPUS PAREUS.

Quemadmodum hic Grutero & Taubmanno, ita viciſſim ei non tantum Gruterus plagii dicam dixit, ſed fere notorium eſt inter eruditos, in plagiariorum numero non ſupremum locum Pareo deberi. Doctus quidam vir

in Collegio MS. de legendis excerpendis & imitandis auctoribus, ejus lexicon Plautinum electa & analecta Plautina recensens, nugatorem & ineptissimum compilatorem appellat. Idem alio loco notat, eum lexicon suum Lucretianum ex Giphanii indice plagiario more compilasse. Idem alibi Pareum quæ ad Quintilianum dixerit, fere omnia ex Cresollii vacationibus autumnalibus & theatro Rhetorum depromsisse animadvertit. Ita, inquit, solenne suum obtinet, omnis enim illi clamat pagina, fur es.

LXXV. JOHANNES VORSTIUS.

In libro de latinitate merito suspecta capite XVI. refert, Gerhardum Titium suos dissertationum sacrarum tres libros compilationem appellasse. Quod cum illi à se inhumanitati tributum fuisset, respondisse Titium, vocabulum compilationis nihil indecori involvere, unde eum Vorstius inhumanitatis quidem eo in loco absolvit, cæterum minus latine eo vocabulo usum esse contendit. At Johannes Georgius Grævius in elegantissima sua Justini editione queritur, Johannem Vorstium non paucas Justini emendationes ex notis suis nomine Grævii plerumque suppresso compilasse, unde dignus nobis visus fuit, qui in hunc catalogum referretur. Obiter autem notetur, Cl. Grævium, quando cum Gronovio in præfatione Justini vulgatam lectionem sollicitat, & in verbis: *prorsus rem magni & animi & corporis aggressus*, pro *corporis*, *operis* legere jubet, qua in parte Vorstius quoque cum eo facit, non tam certis firmisque argumentis niti, quam ipse quidem præ se ferre videtur, nam & vulgatam lectionem mirifice confirmat, quod ex intervallo Justinus ex magno quasi Trogi corpore *breve veluti florum corpusculum* fecisse se testatur. Et latinæ linguæ genio non adversari, si corpus pro libri *σωματοποιΐα* ponatur, multis auctorum exemplis confirmari possit. Ex quibus hæc pauca nunc succurrunt: * Columella lib. X. *Agressi sumus tenuem & pene viduatam*

* Cic. lib. V. epist. fam. 12. *A principio enim conjurationis usque ad reditum nostrum videtur mihi modicum quoddam corpus confici posse.* Ovidius

Bis quinos feci legerent quo carmine versus,
Aeneidos totum corpus ut esse putent.

Solinus: *Ne forte rudis & imperfecta materia velut spectatum a me liber in manus tuas deferretur, corpusculum sententia mea digestum ut nosceres misi.* Male in plerisque editis: *opusculum.* Vide Salmas. ••• 4. proleg. ad Solin. & in Exercitationibus ipsis

corpore

corpore materiam, quæ tam exilis est, ut in consummatione quidem totius operis annumerari velut particula possit. Diomedes libro III. *Metra etiam, quæ Horatii corpus continet, quod Carminum inscribitur &c.* Frontinus de aquæductibus Romanorum: *Quapropter ea, quæ ad universam rem pertinentia contrahere potui, more jam per multa mihi officia servato, in ordinem & velut in corpus deducta in hunc commentarium contuli* &c. Phœbadius: *Quanquam in omni professionis suæ corpore sic ipsum Dominum nostrum non negant.* Cassiodorus cap. 5. divinar. Lectionum. *Quæ depicta subtiliter lineamentis propriis in pandecte latino corporis grandioris competenter aptavi.* Ita *corpus juris* &c. Verum non sentio hæc & leviuscula, & ab hoc loco alienissima esse. Quamobrem institutum nostrum prosequamur.

LXXVI. SAMUEL BUTSKIUS.

Samuel Butschky hat ein Buch die hochdeutsche Cantzeley genant, Anno 1659. zu Zeitz gedruckt, herausgegeben, darinnen in 3. Theilen allerhand Brieffe nach dem jetzigen Cantzeley Stylo, wie er vermeinet, enthalten. Hat auch eine Anführung zur hochdeutschen Rechtschreibung vorne beygefüget, die er jedoch aus der vor diesen edirten Sprach-Kunst ohne Ordnung fast hin und wieder zusammen gelesen, auch eins und anders aus andern so abstimmet herbeygefüget, jedoch ohne allegirung einiges auctoris. Hæc ex Teutonici Varronis * Schottelii opere de lingua Germanica retentis auctoris verbis adducere voluimus, qui hunc Plinii locum subjicit, ex quo Butschkium plagii à Schottelio argui apparet: *Est benignum ut arbitror, & plenum ingenui pudoris, fateri, per quos profeceris. Obnoxii profecto animi & infelicis ingenii est, deprehendi in furto malle, quam mutuum reddere, cum præsertim sors fiat ex usura.*

sub init. & ad Hist. Aug. Seneca ex emendat. Salmasii p. 406. de modo usurar. *Brevis mihi visus est, cum esset nec mei nec tui corporis, sed qui primo adspectu aut Titi Livii aut Epicuri posset videri.* Longinus Homeri Iliadem vocat σωματῖον p. 66. edit. Tollii. Adde Hesych. in ἰλιάς. Sic & Corpus Canonum dicitur. &c.

* Hoc elogio eum mactat Christophorus Arnholdus ad Catonis Diras. Opus de lingua Germanica aureolum appellat Zeilerus in Epistolis, prodiit Brunswig. A. 1663. 4. locus est libro 5. p. 1204.

LXXVII. WILHELM IGNATIUS SCHUTZE.

Cancellarius Fuldensis, quem in libro Ehren-Preiß des hochlöblichen Frauenzimmers, Cornelio Agrippæ licet semel tantum citato plurimum debere, notat B. Thomasius Exercitat. de fœminarum eruditione §. 22. Idem dicas licet de Adriano * Beverland, qui in dissertatione de peccato originis, qua eandem sententiam, quam ante eum Agrippa T. II. Operum p. 551. sqq. propugnaverat, defendit, semel tantum ejus meminit p. 44. Quamvis enim variis nequitiis undiquaque conquisitis Agrippæ argumenta amplificaverit quasi atque auxerit, quin tamen primum ab eo in stultam illam opinionem adductus ejusque argumentis, sed per verba nupta atque Priapeia circumscriptis usus fuerit, non adeo obscurum esse potest. Neque ex suo penu depromsit, quæ in Sacram Scripturam dixit homo vanissimus, sed ab aliis sublegit, ne, si quid ipse, quod sacris literis objicere posset, habuisset, id suppressurus fuisse videretur. Unde nec Ryssenius ad ea prolixe respondit, sed lectorem ad eos, qui scriptores, quos Beverland exscripserat, refutaverunt, ablegavit.

LXXVIII. JOH. JACOBUS HOFMANNUS.

De eo Baudrand præfat. ad Lexici sui Geographici secundam editionem, Paris. 1682. fol. *Non sine magna indignatione vidimus, Joh. Jacobum Hoffmannum & alios quosdam audacter suppressis verorum auctorum nominibus aliena opera interpolata & depravata magis quam aucta sibi vindicasse.* Neque diffitendum est, Hoffmannum integrum fere Baudrandi Lexicon in Tomum primum universalis sui operis transtulisse, sæpissime tamen Baudrandi nomen allegat, quod semper facere tædiosum sine dubio fuit. Unde virum diligentissimum plagii crimine absolvere malumus, præcipue cum ipse fateatur, nunquam se sine teste loqui, hoc est, nihil se in medium afferre, quod ex domesticis, illius artis vel disciplinæ, cujus aliquid explicat, scriptoribus non depromserit. Utilissimum autem laborem esse, quem in universali lexico concinnando insumsit Hofmannus, nulla asseveratione indiget, & in primo

* Andreas bis dicitur in B. Schetzeri Systemate Theolog. p. 142. librarii forte errore.

Tomo

Tomo plena fere G[illegible]raphiæ veterisque Mythologiæ cognitio continetur. Tomus secundus, a[illegible]uitates plurimas, officia, dignitates &c. exhibet. Genealogiæ quoqu[illegible]um familiarum insertæ sunt, passim inspersis quibusdam de doctoru[illegible]orum ætate, vita, scriptis &c. Quod in tam grandi opere aliquando lapsus fuerit vir doctissimus, & fieri potuit facillime & mirari nemo debet, cum tantus labor multorum nedum unius hominis humeris impar esse videatur.

LXXIX. MICHAEL ANTONIUS BAUDRAND.

Hic vicissim & majore forte jure à Gvilelmo Samsonio furti literarii postulatus fuit. Verba ejus hæc sunt in dedicatione disquisit. Geographic. Paris. 1683. 12. *Jussit & ipsamet amica veritas eruditis notum faceremus, hunc novum scriptorem, parentis charissimi Nicolai suppresso nomine, ex quibusdam non illaudatis operibus ea sibi vindicasse, alia vero mendis refertissima illi falso attribuisse.* Eandem querelam acerbius in præfatione repetit Samsonius, & ni fallor singulare de plagio Baudrandiano schedion extat eodem procul dubio auctore.

LXXX. DAMASTES.

Agathemeris libro primo Geographiæ: *Δαμάςης ὁ κίτιεὺς τὰ ἐκ τῶν ἑκαταίου μεταγράψας περίπλουν ἔγραψεν.* De hoc Damaste plura Harduinus ad Plinium & Tunnelius in notis ad Agathemerin p. 76. quo notante Timosthenem quoque Artemidorus, Artemidorum Agathemeris exscribit. Eratosthenis plagium (de quo Thomasius §. 417.) idem Tunnelius tangit p. 79. & 97. Addam hic Strabonis locum è libro XVII. Geographiæ, * *Tradunt Eratosthenem dicere æstivos imbres causam esse, idque ab Aristotele sumsisse, Aristotelem vero à Thrasyalco Thasio, qui unus fuit ex antiquis Physicis. Thrasyalcum autem ab alio, atque illum ab Homero, qui Nilum διιπετέα dixit. Sed omittamus hæc, cum à multis sint pertractata, è quibus satis sit duos afferre qui ætate nostra librum de Nilo composuerunt, Eudorum & Aristonem Peripateticos. Nam excepto duntaxat ordine, cætera omnia & stylo & tractatu eadem fere ab utrisque posita sunt. Unde cum libros conferre vellemus, ac de exem-*

* De augmento Nili Strabo ibi agit.

pluribus hæsitarem, alterum cum altero contulimus. U[illegible] autem ab utro surripuerit, apud Ammonem inveniri posset. Eudorus Ar[illegible]nem in culpa esse dicebat, & profecto ipsum dicendi genus potius erat A[illegible]. De hoc sive Aristonis sive Eudori furto confer Voss. de Histor. Gr. li[illegible] 4.

LXXXI. JOH. BRUNNERUS.

Bonav. Cornelii Bertrami Grammaticam Ebræam fere exscripsit, notante Maxime Rever. Dn. D. Pfeifero in Methodo Ebræa, ubi ad LXX. Christianos scriptores recenset, qui Grammaticis Hebraicis scribendis operam navarunt, quorum primus fuit Joh. Reuchlinus, uti inter Judæos R. Juda Chiug, Fessanus. Judæorum libros Grammaticos refert Hottingerus p. 42. Bibl. Rabbin. & passim qui præter eum scripta Rabbinica recensuerunt, Buxtorfius, Plantavicius, Bartoloccius, R. Schabtai in Siphte Jeschenim &c.

LXXXII. CASPAR ENS.

Stephani Broderici prælium Mohatzianum fere integrum in res suas Hungaricas transscripsit, uti notatum video in Actis eruditorum A. 88. p. 543.

LXXXIII. WILHELMUS RONDELETUS.

Hunc Thuanus plagii cujusdam arguere videtur, dum opus de piscibus, quod hominis nomen maxime posteritati commendavit, eo minore laude ab eo vulgatum esse affirmat, quod illud potius alienæ industriæ quam suæ debuerit, utpote ex Guilielmi Pelliceri Episcopi Montispessulani commentariis concinnatum. Alias de illo Rondeleto, cujus vitam Joubertus quoque scripsit, vide, quæ collegit Teissierius in elogiis.

LXXXIV. CLAUDIUS FRASSENIUS.

Natalis Alexander Dissertatione anticritica disquisitionibus Biblicis Frassenii opposita dicit, eum è Waltono, Morino, Buxtorfio, Huetio aliisque disqui-

disquisitiones illas, æque ac olim ordinis sui fratrem Galatinum arcana sua è Raimundi Dominicani pugione corrasisse & compilasse. Notavit hoc Guilelmus Saldenus de libris p. 155.

LXXXV. NATALIS ALEXANDER.

Vicissim Alexandrum illius criminis argui video, quod in selectis suis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus, sæpenumero alieno vitulo araverit. § Neque Frassenius tantum compilatoris plagiariique hæreticorum nomine eum diffamavit, sed ab aliis quoque hoc in eo taxari animadverti. Petavii scrinia expilare dicitur Maxime Rever. Dn. D. Michaeli Walthero, in erudita Exercitatione, *Jesus ante Mariam* §. 24. *Petavii plumis se denuo ornavit Natalis Alexander*, ejusdem verba sunt sub finem §. 25. Cæterum Excerpta ex illis selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus aliisque quibusdam Alexandri scriptis in Ephemeridibus & Actis Eruditorum exhibentur. Loca notavit Beughem Bibliograph. curios. p. 10. Dixit etiam aliquid de Alexandro, & inter alia immodestiam ejus perstrinxit Dn. M. Georg. Henricus Goeze in Miscellaneis Historico Criticis cap. 2.

LXXXVI. HONORIUS PHILOPONUS aliique Pseudonymi decem detecti.

Honorii Philoponi Historia novi orbis Lentiæ A. 1621. in fol. excusa auctorem agnoscit Casparem Plautium Abbatem Seidenstætensem in Austria inferiore, uti testatur Joh. Justus Winckelmann in der Americanischen neuen Welt-Beschreibung p. 30. Oldenburg A. 1664. 40.

Comparationis Homeri cum Virgilio gallice editæ, uti plurium ejus commatis scriptorum, auctorem Rapinum esse constat. Sed qui nomine suo suppresso illam comparationem ex Gallico latinam fecit, dicitur esse elegantissimus Janus Broukhusius.

Histoire de S. Lovis, Paris. 1688. 40. Ejus auctorem Dn. Christianus Thomasius in mensibus vernaculis A. 88. parte II. p. 403. Vatillasium videri ait,

qui

qui antea quoque la Minorite de S. Lovis vulgaverit, nisi quod in hac historia majus circa quædam, quam Varillasio, judicium appareat. Sed Acta Eruditorum ejusdem anni p. 454. ex Cl. Basnagii relationibus Roterodamensibus auctorem esse affirmant Dn. de Sacy. Cæterum passim in illis Thomasii mensibus anonymi investigantur, quos tamen, quoniam pridem Cl. Placcio lecti sunt, hic excerpere nihil attinet.

Sub Petri Aurelii nomine grande volumen in III. partes distinctum exstat Paris. 1646. fol. Jesuitis oppositum, quorum familiam ducebat Jacobus Sirmondus. Apologia quoque pro Petro illo Aurelio edita est. Kœnigius in Bibl. ex Maresio dicit, sub Aurelio latere Johannem Vergerium Abbatem Sancyranum. Grotius Epist. ad Joh. Cordesium: *Sed quis tandem ille Petrus Aurelius? si tamen nosci sine suo periculo potest. An Sancyranus, an de S. Germano, an alius?* Nisi verisimilius est, quod Grotius quoque Epist. 329. ad eundem Cordesium magis credere se profitetur, opus illud sub Aurelii nomine editum ex plurium contributa opera constare, alio forte bonarum literarum & eloquentiæ subsidia, alio Ecclesiasticæ notitiam historiæ, alio spinosam illam de Schola Theologiam conferente. Non minimam tamen contulerit iste Vergerius.

Auctor continuationis postillæ Harmonicæ D. Georg. Christian Waltheri, qui initialibus tantum literis nomen suum expressit, est M. Obadias Trew. Prodiit illa Postilla Noribergæ 1659. 8.

M Gottlieb Heyland *personatus scriptor, revera haud alius, quam Henricus Gebhard Cancellarius Ruthenus & Altenburgicus, cujus variis scriptis Geræ editis tractatum de Chiliasmo B. Gerhardus Pater opposuit.* Hæc adscripsi ex Max. Reverendi Dn. D. Valentini Alberti dissertat. XIX. ad Augustanam Confessionem p. 543.

Theophilus Nicolaides est Vœlkelius, si credimus Curcellæo, vel Smalcius, si Wissowatio pluribusque fides est. Smalcii certe patrem prænomine constat dictum fuisse Nicolaum. Hæc Sandius in Epistola ad B. Scherzerum, quæ præfationi secundæ editionis Collegii Anti-Sociniani inserta legitur. Ibidem Sandius auctorem notarum in libellum Smiglecii A R. docet esse Andream Reuchlinum, hoc est Smalcium. De quibus amplius vide in Bibl. anti-Trinitariorum.

Optatus Gallus de cavendo Schismate est Hersenius presbyter Parisinus homo cerebrosus, judicii pauci, vehementissimus concionator, quique in congregatione Oratorii Parisiensis vixerat &c. vide vitam Morini p. 54.

Vitæ

Vitæ Morini, quæ cum variis Epiſtolis à Morino & ad Morinum ſcriptis ſub titulo Eccleſiæ orientalis antiquitatum Londini A. 1682. tum Lipſiæ A. 1683. prodiit, auctor eſſe videtur Rich. Simonius. Ab eodem eſt Synopſis novorum Bibliorum polyglottorum, quæ Ultrajecti A. 1684. 8vo publicam lucem adſpexit. Patet hoc ex libro III. Hiſtoriæ Criticæ V. T. p. 133. ſq. & notavit Cl. Tenzelius diſſertat. de Bibliis Polyglottis §. 19. *

LXXXVII. RICHARDUS SIMONIUS.

Congregationis Oratoriæ, quam Petrus Berullus circa A. 1631. Pariſiis

* *David Leidbreſſerus* de Regum independentia eſt *Deſiderius Heraldus.* Bayle T. II. p. 70. Le Traité de l'action de l'Orateur de Mr. *Michel de Faucheur* plutoſt que de Mr. *Conrart.* Id. T. I. p. 1133. Auctor libri le *Catholique d' eſtat* forte *Jeremias Ferrarius.* Id. T. I. p. 1151. Annales Bavariæ *Jo. Aldſreiteri* ſunt *Johannis Ferrandy* Lotharingi. Id. T. I. p. 1153. *Eugenius Lombardus*, ſub cujus nomine ante aliquot annos regale ſacerdotium prodiit, eſt *Cæleſtinus Sfondrati* Mediolanenſis S. R. Imperii Princeps & Abbas S. Galli, ejus alia quædam in Act. Er. Supplem. III. p. 118. Libellum de conſtructione octo partium, qui nomine *Eraſmi* circumfertur, *Guilelmus Lilius* peperit, *Eraſmus* concinnavit, teſte Lud. Vive p. 295. de diſciplinis. *Euonymus Philiater* eſt *Conr. Geſnerus.* Vide eum de libris a ſe editis p. 25. *Ludiomæus Colvinus* eſt *Ludovicus Molineus.* Ouzel Catal. p. 52. *Honorius Regius*, eſt *Georgius Hornius.* id. p. 53. Strigil *Hippolyti Frontonis Caracottæ* auctorem habet *Petrum Molinæum.* Sarrav. Epiſt. p. 42. Liber italice ſcriptus titulo *Squitinii*, quo libertas Veneta ab ipſis Reip. fundamentis fuit diſcuſſa *Peireſkio* falſo tribuitur teſte Gaſſendo in vita ejus, ad an. 1612. qui idem negat vel Gualdum vel Pignorium communicaſſe operas Peireſkio, potius putat ſcriptum vel *Antonio Albizio* nobili illi Florentino vel quod veriſimilius *Marco Velſero* tribuendum eſſe. *Theophilus Folengius* ſub *Merlini Cocaji* nomine carmina quædam edidit. Colomeſ. Epiſt poſt Clementem edita p. 287. *Jo. Walæus* Antonii Patruus Poëmata edidit ſub nomine *Jo. Galli*, teſte auctore vitæ Ant. Walæi. *Lotharii Sarſii*, contra cujus libram Aſtronomicam ſcripſit Galilæus de cometis, verum nomen eſt *Horatii Graſſi.* Gaſſend. in vita Peireſc. ad an. 1624. Anno 1520. *Melanchthon* ſub nomine *Faventini Didymi* reſpondit *Thomæ Radino* i. e. *Emſero* perſonato. Lutherus T. II. epiſt. p. 7. Mr. Baillet dit a la page 592 de ſon III. Tome qu'on attribue a Mr. de *Sacy* la traduction du livre du Sacerdoce compoſé par St. Jean Chryſoſtome, mais elle eſt de Mr. *le Maitre.* Il dit a la page ſuivante, que la traduction du IV. & du VI. livre de l' Eneide eſt de Mr. *Sacy*; elle eſt de Mr. *Dandilly.* Il dit à la page 546. du meme Tome, que la Traduction de l' Office du St. Sacrement eſt de Mr. de *Sacy*, elle eſt de Mr. *Maitre.* Menage Anti-Baillet. T. I. p. 384. ſq.

in honorem precum Christi instituit, Presbyter doctissimus, inter præcipuos ætatis nostræ scriptores merito numerandus. Hic nomen sibi tum aliis scriptis, tum Critica præcipue Historia* peperit, qua nihil hodie est celebrius, nihil quod magis in omnium ore versetur. Occurrunt tamen in eadem non pauca, quæ verum verbi divini amatorem ac veneratorem, quales omnes Christianos esse decet, jure offendere queant. Unde factum quoque, ut non tantum plurimi obiter Simonium in scriptis suis perstringerent, uti Joh. Henricus Majus in vita Reuchlini p. 532. Saldenus in Otiis Theolog. p. 29. sq. Jacobus Basnage in examine methodi à Clero Gallicano propositæ. Fridericus Spanhemius in selectioribus de religione controversiis, Max. Revend. Dn. D. Pfeifferus in thesibus anti-Atheisticis &c. sed & ex instituto alii in peculiaribus scriptis ejus Criticam V. T. aggrederentur. Saldeno auctor præfationis (ipse procul dubio Simonius) ad septimam Criticæ editionem aliquid reposuit, cui respondit Saldenus præfatione ad tractatum de libris, in quo ipso Simonium non semel perstringit. In eadem septimæ editionis præfatione Basnagio quoque aliquid regeritur, qui epistolicam illi dissertationem opposuit, quæ cum Epistola Chrysostomi ad Cæsarium excusa est. In illis, qui ex instituto adversus Simonium calamum strinxerunt, primum commemorandus venit Ezechiel Spanhemius, qui satis prolixa Epistola amico, nescio cui, Historiæ Criticæ vix editæ, quam quod suppressa esset ipse consulere non poterat, argumentum ita recensuit, ut non pauca simul in ea censeret. Ei Theologus quidam Parisiensis ipse scilicet Simonius anno nondum integro interjecto respondit. Tum Carolus Maria de Veil Metensis, Regius primum in Academia Andegavensi Theol. Doctor, postea Fulhamensis Ecclesiæ in Anglia presbyter, editis præterea in Prophetas minores, Canticum Canticorum, Matthæum & Acta commentariis non ignotus, Sacræ Scripturæ auctoritatem in Epistola ad Robertum Boyle adversus Simonium defendit, cui cum Simonius sub nomine R. de l'Isle presbyteri Ecclesiæ Gallicanæ aliquid regerere conatus fuisset, longiorem illi Veilius Epistolam reposuit, cujus excerpta habes in Actis Erud. 96. p. 104. Petrus quoque Ambrunus Theologus, uti præ se fert, reformatus, peculiari scripto ostendere laboravit, Simonii Criticam non minus Papistis quam protestantibus adversari, ideoque Parisiis suppressam fuisse, fingi quoque interdum quædam à Simonio &c. Hunc omnibus Simonii antagonistis præferre non dubitat editionis quam diximus septimæ pro-

* Gallice scripta est à Simonio. Latinæ, quam Simonius adhuc premit, vix Epitome esse dicitur. latine reddidit Alexander de Verse, & alius quidam Anglus.

curator.

curator. At non defuerunt, qui uti præfationis illius auctorem, ita Ambrunum etiam ipsum Simonium esse asseverarent. * Neque reticendus nobis Max. Reverendus Dn. D. Joh. Benedictus Carpzovius, quem primo loco nominare debebamus, cum enim post B. Scherzeri obitum à professione Ebrææ linguæ ad Theologicam transiret, orationis suæ inauguralis argumentum Criticæ Simonianæ discussionem esse voluit, qua cardo ejus & præcipuum quod in traditionibus asserendis versatur fundamentum everteretur. Habita illa oratio & edita est Lipsiæ A. 1684. Prodierunt & quorundam Batavorum Theologorum judicia de Critica V. T. Simoniana, quorum χρηματισμὸς habes in Actis Erud. 86. p. 432. Quæ Prior Bollevillanus hoc est Simonius regessit, vide ibid. p. 439. Neque vero Theologi illi defensionem judiciorum suorum suscipere refugerunt, quæ in iisdem actis recensetur 87. p. 363. Opposita huic defensioni est Prioris Bollevillani, quem Simonium esse diximus, Epistola de inspiratione librorum Sacrorum cum responso ad defensionem, cujus præcipua referuntur ibidem p. 367. Cum in Critica sua Isaacum quoque Vossium Simon perstrinxisset, ipse Variis Observationibus suis responsionem ab objecta nuperæ Criticæ Sacræ subjecit, quæ posterioribus etiam Criticæ editionibus subnexa legitur. Notum autem est, controversiam inprimis motam fuisse Vossio super sententia de LXX. interpretum auctoritate & Hexaplis Origenis. * Prodierunt postea Simonii disquisitiones Criticæ de variis Bibliorum editionibus, cum castigationibus Theologi cujusdam Parisiensis, ejusdem videlicet Simonii, ad Is. Vossium de Sibyllinis oraculis & illius responsionem ad objectiones nuperæ Criticæ S. Excerpta leguntur in Actis Er. 85. p. 2. Isaaci Vossii ad iteratas Simonii objectiones responsio Criticæ cum aliis subjicitur. Huic responsioni opposita fuerunt Rich. Simonii opuscula Critica adversus Vossium cum Hieronymi le Camus (Simonii ficta) judicio de nupera Vossii responsione. Nucleum habes in Actis Erud. 86. p. 106. Nondum tacendum sibi Vossius putavit, sed appendici ad Melam subtexuit responsionem ad tertias Simonii objectiones. Vide eadem Acta 87. p. 222. quæ p. 223. Pauli quoque Colomesii Gallicam ad Justellum Epistolam recensent eidem appendici subjectam, qua non pauca ad Simonii Criticam facientia ἀξιομνημόνευτα notantur, in his errores quoque nonnulli, ut cum Suniam & Fretellam Simonius pro mulieribus habuit, quod pridem in Riveto reprehenderat Reinesius p. 375. Var. Lect. Hæc omnia acta sunt, antequam de Critica Novi instrumenti Historia cujus spem in Critica V. T. toties fecerat Simonius, quic-

* Theologi Batavi in judicio super Critica Simonii.

quam publice legeretur. Ejus liber primus editus est sub hujus anni auspicium, Gallice, Roterodami in 4to, recensitus in Actis Erud. 89. p. 114. 166. In eo Socinianis favere est visus, quod classicum illud 1. Joh. V. 7. dictum, *Tres sunt, qui testimonium perhibent in cœlis &c.* sola Ecclesiæ traditione, quam frustra ipsis opponas, niti affirmet. * Quin & illud meruit, ut ab auctore der monatlichen Unterredungen, (qui dicitur esse Dn. T.) pag. 255. sq. atheis annumeraretur. Tametsi à Deismi crimine eum absolverint Theologi Batavi in suo judicio. Verum hac de re alii viderint, nostrum nunc est, ut de plagio ipsi objecto aliquid dicamus. Iidem Theologi Batavi dicunt Simonium quamvis serio dissimulantem Protestantes Criticæ suæ Magistros habere. Morini vitula arasse Simonium Mstis ejus usum, animadvertit vir quidam vicinæ Academiæ Clarissimus in Collegio Ms. Morini ex opere de pœnitentia locum tacito nomine exscribi à Simonio, observavit Tenzelius dissertat. de ritu Lectionum Sacrarum §. 33. Bocharto eum plurima debere notat Jacobus Basnage Epistolica diss. adversus Simonium p. 153. *Legerat*, inquit, *apud Bochartum Criticus, illam quam sibi vindicat de versionibus Syriacis &c. Arabicis sententiam non solum prius editam, sed validissimis observationibus confirmatam. Hauserat apud Bochartum, monstrum illud, quod Jonam deglutiit esse piscem longum, aut canem θαλάσσιον. Jam animadverterat idem vir summus mendum illud, quod in versione vulgata notavit Criticus, reddi debet enim:* subnervarunt boves, *non quemadmodum vulgatus interpres:* subverterunt muros. *Miror solummodo Simonium acutæ naris hominem &c.* Non pauca quoque judicia cum Arnholdo Bootio ** ipsi communia esse video, à quo num ea sublegerit, judicent alii.

LXXXVIII. JOH. GUILELMUS STUCKIUS.

Versione & notis in Arriani periplos clarus, quas in sua etiam editione retinuit Nicolaus Blancardus. Notior adhuc apud plerosque ab editis Antiquitatum convivalium libris, quod multo limatius & longe majoris studii

* Hunc locum vindicat Seldenus lib. II. de Synedriis p. 91. seqq.

** Hunc Bootium eruditissimum ejusque Animadversiones sacras elaboratissimas vocat Gatakerus p. 257. Adversar. Laudat & Lud. Capellus p. 646. defensionis Criticæ S.

opus

opus Sauberto * videtur, quam liber Stuckii de ſacris ſacrificiisque Gentilium, qui prodiit Tiguri A. 1598. fol. Idem Joh. Saubertus filius in præfatione ad ſuum de veterum ſacrificiis opus contendit, Stuckium in libro de ſacrificiis non ſolum turpiter ſæpius lapſum, ſed & parum egiſſe, cum quia ἀτάκτως incedat & faſtidioſe luxurietur, tum quia compluria ex Choulio auctore libri gallice ſcripti *de la religion des anciens Romains* & Gyraldi ſyntagmate XVII. quod totum de ſacrificiis agit, fœdiſſimo furto diripuerit. Choulium confidentiſſime aliquoties nulla ejus facta mentione à Stuckio exſcribi ait p. 366. & p. 418. Stuckium Choulii compilatorem appellat. Gyraldi Choulii que adſentatorem p. 466. ubi Choulium quoque ipſum, uti p. 367. plagii in Gyraldum commiſſi arguere videtur. **

LXXXIX. ALBERTUS DURERUS. ***

Cubi διπλασιασμὸν ab Eratoſthene jam olim traditum in Epiſtola ad Ptolemæum Regem, ut proprium inventum Geometricis elementis ſuis inſeruit, ſuppreſſo interim prioris auctoris nomine, non immetito ingratitudinis & plagii crimine ob id forte arceſſendus, judice Jac. Nicolao Loenſi libro III. Epiphyllidum cap. 1.

XC. PAULUS JOVIUS.

De eo Georgius Fabricius Epiſtola ad Wolfgangum Fuſium in Richteri Melanchthonianis p. 627. *Qui tantopere laudant, ut omnibus eum noſtris hominibus præferant, eos profecto inſanos judico. Hiſtoricus eſt, ſed non vir verus. Doctus fuit & ingenio valuit, ſed vita & mores turpiſſimi. Epiſcopus fuit, ſed quod Samuel de ſui temporis ſcribit ſacerdotibus, neſcivit Dominum, & ignoravit officium ſacerdotum. Reprehenditur etiam à Veneto quodam viro gravi, quod alienis laboribus uſus ſit pro ſuis.* Venetum illum adhuc requiro.

* P. 688. de ſacrificiis. editus eſt Jenæ 1659. 8vo.

** Digreſſionem Gyraldi de literarum inventione Dialogo primo de poetis inſertam Hermannus Hugo tranſcripſit in librum ſuum de origine & antiquitate ſcribendi. v. Jo. Owenus p. 286. Theologum.

*** Pictor lignorumque inciſor celebris, patria Noribergenſis, floruit circa A. 1510. Ejus ſcripta habent Miræus, Voſſius & alii.

Alias de ſubleſta ejus fide nota ſunt Bodini, Lipſii, Voſſii aliorumque maximorum virorum judicia. Vide quæ de Jovio collegerunt Zeilerus, Teiſſierius & Eybenius. Nimis ethnice paſſim loqui, Delrio quoque obſervat. Epicureum ejus de Sodomia Leonis decimi judicium refert Voetius diſſertatione de atheiſmo T. I. ſelect. p. 204.

XCI. ANTONIUS VARILLASIUS.

In hujus hiſtoria Caroli IX. primum fortuito & ſua ſponte, dein auctore conſcio nec invito, Hozierius, etiam à bibliopola & amicis rogatus, ultra 4000. errores ingenti cum labore adnotaverat. Varillaſius inde novam eamque emendatiorem Hiſtoriæ ſuæ editionem procurans adeo tamen ingratus fuit, ut contra promiſſum nullam accepti beneficii mentionem faceret, ſed id omne ſibi vendicaret, qua de re queritur Hozierius in quadam Epiſtola, quam exhibet Larroquanus in libello *nouvelles accuſations contre Varillas*, Vide Acta Erud. 88. p. 250.

XCII. FLORIMUNDUS RAIMUNDUS.

In alio opere Varillaſius Raimundi echo à Burnetto vocatus fuit, unde de Raimundo dicendi anſam capimus, cui non infimus inter plagiarios locus debetur. Nam liber ejus, quo Johannam Papiſſam negare voluit, Richeomo Jeſuitæ rectius tribuitur, notante Blondello, Mareſio, Riveto, nec diſſentiente Labbeo, quorum omnium loca allegavit Maxime Rever. Dn. D. Valentinus Alberti in gründlichen Gutachten über etliche neu aufgewärmete Päbstische Schrifften, p. 36. qui de ejusdem Raimundi hiſtoria hæreſium ſimile judicium ferre non veretur, quod nec improbant Acta Erud. 88. p. 247. & 461. ubi idem à Burneto notatum refertur, qui inſuper Sanderi exſcriptorem eſſe animadvertit.

XCIII. LUDOVICUS MAIMBURGIUS.

Hunc inter plagiarios relatum lege à Domino Veielio de Variis Oeconomiæ

nomiæ Sacræ generibus ſectione VI. Quo pacto pauca ex recentioribus polemicis Pontificiorum ſcriptis notam illam effugere poterunt, in quibus ſemper antiqua cantilena occinitur, quam orthodoxi toties ex ſacris literis exploſerunt.

XCIIII. PETRUS LAUREMBERGIUS.

Acerræ Philologicæ auctor furti à B. Thomaſio arguitur, quod tacito Rollenhagii nomine ejus de phœnice ſententiam & verba in compendium redacta ſua fecerit. * Laurenbergio Deuſingium quoque addit Thomaſius Rollenhagiique vitula eum araſſe ſuſpicatur. Scilicet ipſe Rollenhagius bonum eſſe communicativum ſui pronunciavit, uti Thomaſius §. 628. libri de plagio refert. De illius Rollenhagii glaubwürdigen Lügen ita Schottelius opere de lingua Germanica lib. V. p. 1191. Es sind aber nur ins deutsch übergesetzte Sachen aus dem Luciano, Plinio Secundo &c. Quod tamen de multis iſtius libri falſum eſſe inſpectio docet. Leonici vero Thomæi variæ Hiſtoriæ nihil fere aliud continent, niſi narrationes ex Pauſania paucisque aliis auctoribus Græcis non inelegantes latino ſermone expreſſas, qui tamen raro nominantur. Conf. Voſſius lib. 3. de Hiſtoricis Latin. cap. 12.

XCV. JOHANNES BOCCACIUS.

Vibius Sequeſter ad Virgilianum filium ſcripſit de nominibus fluminum, fontium, lacuum, nemorum, paludum & gentium, quæ poetis memorantur. Editus eſt Romæ primum, tum Venetiis, denique cum Æthico, * Antonini & Rutilii itinerariis, à Simlero, Baſileæ A. 1575. 12. Cl. Voſſius libri de philologia capite XI. obſervat, huic ſcriptori plurimum debere Johannem Boccacium, qui ante annos trecentos libellum & ipſe reliquit hac inſcriptione:

* Diſſ. de phœnice §. 293.

** De Æthici Coſmographia vide Barth. 45. 13. Adverſar. Reineſ. 1. 13 Var. Lect. & defenſion. p. 55. & 117. Jac. Godofredum præfat. ad anonymum Geographum Gr. à ſe editum Hallervord in ſpicileg. de Hiſtoricis latinis &c. Oroſium & Iſidorum multa ex Æthico deſcripſiſſe Barthius l. c. notat. Antonini vero itinerarium vel Julio Oratori vel Æthico tribuendum eſſe, contendit Voſſius de Philologia p. 59.

Johan-

qui antea quoque la Minorite de S. Lovis vulgaverit, nisi quod in hac historia majus circa quædam, quam Varillasio, judicium appareat. Sed Acta Eruditorum ejusdem anni p. 454. ex Cl. Basnagii relationibus Roterodamensibus auctorem esse affirmant Dn. de Sacy. Cæterum passim in illis Thomasii mensibus anonymi investigantur, quos tamen, quoniam pridem Cl. Placcio lecti sunt, hic excerpere nihil attinet.

Sub Petri Aurelii nomine grande volumen in III. partes distinctum exstat Paris. 1646. fol. Jesuitis oppositum, quorum familiam ducebat Jacobus Sirmondus. Apologia quoque pro Petro illo Aurelio edita est. Kœnigius in Bibl. ex Maresio dicit, sub Aurelio latere Johannem Vergerium Abbatem Sancyranum. Grotius Epist. ad Joh. Cordesium: *Sed quis tandem ille Petrus Aurelius? si tamen nosci sine suo periculo potest. An Sancyranus, an de S. Germano, an alius?* Nisi verisimilius est, quod Grotius quoque Epist. 329. ad eundem Cordesium magis credere se profitetur, opus illud sub Aurelii nomine editum ex plurium contributa opera constare, alio forte bonarum literarum & eloquentiæ subsidia, alio Ecclesiasticæ notitiam historiæ, alio spinosam illam de Schola Theologiam conferente. Non minimam tamen contulerit iste Vergerius.

Auctor continuationis postillæ Harmonicæ D. Georg. Christian Waltheri, qui initialibus tantum literis nomen suum expressit, est M. Obadias Trew. Prodiit illa Postilla Norbergæ 1659. 8.

M Gottlieb Heyland *personatus scriptor, revera haud alius, quam Henricus Gebhard Cancellarius Ruthenus & Altenburgicus, cujus variis scriptis Geræ editis tractatum de Chiliasmo B Gerhardus Pater opposuit.* Hæc adscripsi ex Max. Reverendi Dn. D. Valentini Alberti dissertat. XIX. ad Augustanam Confessionem p. 543.

Theophilus Nicolaides est Vœlkelius, si credimus Curcellæo, vel Smalcius, si Wissowatio pluribusque fides est. Smalcii certe patrem prænomine constat dictum fuisse Nicolaum. Hæc Sandius in Epistola ad B. Scherzerum, quæ præfationi secundæ editionis Collegii Anti-Sociniani inserta legitur. Ibidem Sandius auctorem notarum in libellum Smiglecii A R. docet esse Andream Reuchlinum, hoc est Smalcium. De quibus amplius vide in Bibl. anti-Trinitariorum.

Optatus Gallus de cavendo Schismate est Hersenius presbyter Parisinus homo cerebrosus, judicii pauci, vehementissimus concionator, quique in congregatione Oratorii Parisiensis vixerat &c. vide vitam Morini p. 54.

Vitæ

Vitæ Morini, quæ cum variis Epistolis à Morino & ad Morinum scriptis sub titulo Ecclesiæ orientalis antiquitatum Londini A. 1682. tum Lipsiæ A. 1683. prodiit, auctor esse videtur Rich. Simonius. Ab eodem est Synopsis novorum Bibliorum polyglottorum, quæ Ultrajecti A. 1684. 8vo publicam lucem adspexit. Patet hoc ex libro III. Historiæ Criticæ V.T. p. 133. sq. & notavit Cl. Tenzelius dissertat. de Bibliis Polyglottis §. 19. *

LXXXVII. RICHARDUS SIMONIUS.

Congregationis Oratoriæ, quam Petrus Berullus circa A. 1631. Parisiis

* *David Leidbresserus* de Regum independentia est *Desiderius Heraldus*. Bayle T. II. p.70. Le Traité de l'action de l'Orateur de Mr. *Michel de Faucheur* plutost que de Mr. *Conrart*. Id. T.I. p. 1133. Auctor libri le *Catholique d' estat* forte *Jeremias Ferrarius*. Id. T. I. p. 1151. Annales Bavariæ *Jo. Aldsreiteri* sunt *Johannis Ferrandy* Lotharingi. Id. T. I. p. 1153. *Eugenius Lombardus*, sub cujus nomine ante aliquot annos regale sacerdotium produit, est *Cœlestinus Sfondrati* Mediolanensis S. R. Imperii Princeps & Abbas S. Galli, ejus alia quædam in Act. Er. Supplem. III. p. 118. Libellum de constructione octo partium, qui nomine *Erasmi* circumfeitur, *Guilelmus Lilius* peperit, *Erasmus* concinnavit, teste Lud. Vive p. 295. de disciplinis. *Euonymus Philiater* est *Conr. Gesnerus*. Vide eum de libris a se editis p. 25. *Ludiomæus Colvinus* est *Ludovicus Molinæus*. Ouzel Catal. p. 52. *Honorius Regius*, est *Georgius Hornius*. id. p. 53. Strigil *Hippolyti Frontonis Caracotta* auctorem habet *Petrum Molinæum*. Sarrav. Epist. p. 42. Liber italice scriptus titulo *Squitinii*, quo libertas Veneta ab ipsis Reip. fundamentis fuit discussa *Peireskio* falso tribuitur teste Gassendo in vita ejus, ad an. 1612. qui idem negat vel Gualdum vel Pignorium communicasse operas Peireskio, potius putat scriptum vel *Antonio Albizio* nobili illi Florentino vel quod verisimilius *Marco Velsero* tribuendum esse. *Theophilus Folengius* sub *Merlini Cocaji* nomine carmina quædam edidit. Colomes. Epist post Clementem edita p. 287. *Jo. Walæus* Antonii Patruus Poëmata edidit sub nomine *Jo Galli*, teste auctore vitæ Ant. Walæi. *Lotharii Sarsii*, contra cujus libram Astronomicam scripsit Galilæus de cometis, verum nomen est *Horatii Grassi*. Gassend. in vita Peiresc. ad an. 1624. Anno 1520. *Melanchthon* sub nomine *Faventini Didymi* respondit *Thomæ Radino* i. e. *Emsero* personato. Lutherus T. II. epist. p. 7. Mr. Baillet dit a la page 592 de son III. Tome qu'on attribue a Mr. de *Sacy* la traduction du livre du Sacerdoce composé par St. Jean Chrysostome, mais elle est de Mr. *le Maitre*. Il dit a la page suivante, que la traduction du IV. & du VI. livre de l' Eneide est de Mr. *Sacy*; elle est de Mr. *Dandilly*. Il dit à la page 546. du meme Tome, que la Traduction de l' Office du St. Sacrement est de Mr. de *Sacy*, elle est de Mr. *Maitre*. Menage Anti-Baillet. T. I. p. 384. sq.

in honorem precum Christi instituit, Presbyter doctissimus, inter præcipuos ætatis nostræ scriptores merito numerandus. Hic nomen sibi tum aliis scriptis, tum Critica præcipue Historia * peperit, qua nihil hodie est celebrius, nihil quod magis in omnium ore versetur. Occurrunt tamen in eadem non pauca, quæ verum verbi divini amatorem ac veneratorem, quales omnes Christianos esse decet, jure offendere queant. Unde factum quoque, ut non tantum plurimi obiter Simonium in scriptis suis perstringerent, uti Joh. Henricus Majus in vita Reuchlini p. 532. Saldenus in Otiis Theolog. p. 29. sq. Jacobus Basnage in examine methodi à Clero Gallicano propositæ. Fridericus Spanhemius in selectioribus de religione controversiis, Max. Revend. Dn. D. Pfeifferus in thesibus anti-Atheisticis &c. sed & ex instituto alii in peculiaribus scriptis ejus Criticam V. T. aggrederentur. Saldeno auctor præfationis (ipse procul dubio Simonius) ad septimam Criticæ editionem aliquid reposuit, cui respondit Saldenus præfatione ad tractatum de libris, in quo ipso Simonium non semel perstringit. In eadem septimæ editionis præfatione Basnagio quoque aliquid regeritur, qui epistolicam illi dissertationem opposuit, quæ cum Epistola Chrysostomi ad Cæsarium excusa est. In illis, qui ex instituto adversus Simonium calamum strinxerunt, primum commemorandus venit Ezechiel Spanhemius, qui satis prolixa Epistola amico, nescio cui, Historiæ Criticæ vix editæ, quam quod suppressa esset ipse consulere non poterat, argumentum ita recensuit, ut non pauca simul in ea censeret. Ei Theologus quidam Parisiensis ipse scilicet Simonius anno nondum integro interjecto respondit. Tum Carolus Maria de Veil Metensis, Regius primum in Academia Andegavensi Theol. Doctor, postea Fulhamensis Ecclesiæ in Anglia presbyter, editis præterea in Prophetas minores, Canticum Canticorum, Matthæum & Acta commentariis non ignotus, Sacræ Scripturæ auctoritatem in Epistola ad Robertum Boyle adversus Simonium defendit, cui cum Simonius sub nomine R. de l'Isle presbyteri Ecclesiæ Gallicanæ aliquid regerere conatus fuisset, longiorem illi Veilius Epistolam reposuit, cujus excerpta habes in Actis Erud. 96. p. 104. Pettus quoque Ambrunus Theologus, uti præ se fert, reformatus, peculiari scripto ostendere laboravit, Simonii Criticam non minus Papistis quam protestantibus adversari, ideoque Parisiis suppressam fuisse, fingi quoque interdum quædam à Simonio &c. Hunc omnibus Simonii antagonistis præferre non dubitat editionis quam diximus septimæ pro-

* Gallice scripta est à Simonio. Latinæ, quam Simonius adhuc premit, vix Epitome esse dicitur. latine reddidit Alexander de Verse, & alius quidam Anglus.

curator.

curator. At non defuerunt, qui uti præfationis illius auctorem, ita Ambrunum etiam ipsum Simonium esse asseverarent. * Neque reticendus nobis Max. Reverendus Dn. D. Joh. Benedictus Carpzovius, quem primo loco nominare debebamus, cum enim post B. Scherzeri obitum à professione Ebrææ linguæ ad Theologicam transiret, orationis suæ inauguralis argumentum Criticæ Simonianæ discussionem esse voluit, qua cardo ejus & præcipuum quod in traditionibus asserendis versatur fundamentum everteretur. Habita illa oratio & edita est Lipsiæ A. 1684. Prodierunt & quorundam Batavorum Theologorum judicia de Critica V. T. Simoniana, quorum χρηματισμὸς habes in Actis Erud. 86. p. 432. Quæ Prior Bollevillanus hoc est Simonius regessit, vide ibid. p. 439. Neque vero Theologi illi defensionem judiciorum suorum suscipere refugerunt, quæ in iisdem actis recensetur 87. p. 363. Opposita huic defensioni est Prioris Bollevillani, quem Simonium esse diximus, Epistola de inspiratione librorum Sacrorum cum responso ad defensionem, cujus præcipua referuntur ibidem p. 367. Cum in Critica sua Isaacum quoque Vossium Simon perstrinxisset, ipse Variis Observationibus suis responsionem ab objecta nuperæ Criticæ Sacræ subjecit, quæ posterioribus etiam Criticæ editionibus subnexa legitur. Notum autem est, controversiam inprimis motam fuisse Vossio super sententia de LXX. interpretum auctoritate & Hexaplis Origenis. * Prodierunt postea Simonii disquisitiones Criticæ de variis Bibliorum editionibus, cum castigationibus Theologi cujusdam Parisiensis, ejusdem videlicet Simonii, ad If. Vossium de Sibyllinis oraculis & illius responsionem ad objectiones nuperæ Criticæ S. Excerpta leguntur in Actis Er. 85. p. 2. Isaaci Vossii ad iteratas Simonii objectiones responsio Criticæ cum aliis subjicitur. Huic responsioni opposita fuerunt Rich. Simonii opuscula Critica adversus Vossium cum Hieronymi le Camus (Simonii puta) judicio de nupera Vossii responsione. Nucleum habes in Actis Erud. 86. p. 106. Nondum tacendum sibi Vossius putavit, sed appendici ad Melam subtexuit responsionem ad tertias Simonii objectiones. Vide eadem Acta 87. p. 222. quæ p. 223. Pauli quoque Colomesii Gallicam ad Justellum Epistolam recensent eidem appendici subjectam, qua non pauca ad Simonii Criticam facientia ἀξιομνημόνευτα notantur, in his errores quoque nonnulli, ut cum Suniam & Fretellam Simonius pro mulieribus habuit, quod pridem in Riveto reprehenderat Reinesius p. 375. Var. Lect. Hæc omnia acta sunt, antequam de Critica Novi instrumenti Historia cujus spem in Critica V. T. toties fecerat Simonius, quic-

* Theologi Batavi in judicio super Critica Simonii.

quam publice legeretur. Ejus liber primus editus est sub hujus anni auspicium, Gallice, Roterodami in 4to, recensitus in Actis Erud. 89. p. 114. 166. In eo Socinianis favere est visus, quod classicum illud 1. Joh. V. 7. dictum, *Tres sunt, qui testimonium perhibent in cœlis &c.* sola Ecclesiæ traditione, quam frustra ipsis opponas, niti affirmet. * Quin & illud meruit, ut ab auctore der monatlichen Unterredungen, (qui dicitur esse Dn. T.) pag. 255. sq. atheis annumeraretur. Tametsi à Deismi crimine eum absolverint Theologi Batavi in suo judicio. Verum hac de re alii viderint, nostrum nunc est, ut de plagio ipsi objecto aliquid dicamus. Iidem Theologi Batavi dicunt Simonium quamvis serio dissimulantem Protestantes Criticæ suæ Magistros habere. Morini vitula arasse Simonium Mstis ejus usum, animadvertit vir quidam vicinæ Academiæ Clarissimus in Collegio Ms. Morini ex opere de pœnitentia locum tacito nomine exscribi à Simonio, observavit Tenzelius dissertat. de ritu Lectionum Sacrarum §. 33. Bocharto eum plurima debere notat Jacobus Basnage Epistolica diss. adversus Simonium p. 153. *Legerat*, inquit, *apud Bochartum Criticus, illam quam sibi vindicat de versionibus Syriacis & Arabicis sententiam non solum prius editam, sed validissimis observationibus confirmatam. Hauserat apud Bochartum, monstrum illud, quod Jonam deglutiit esse piscem longum, aut canem θαλάσσιον. Jam animadverterat idem vir summus mendum illud, quod in versione vulgata notavit Criticus, reddi debet enim :* subnervarunt boves, *non quemadmodum vulgatus interpres:* subverterunt muros. *Miror solummodo Simonium acutæ naris hominem &c.* Non pauca quoque judicia cum Arnholdo Bootio ** ipsi communia esse video, à quo num ea sublegerit, judicent alii.

LXXXVIII. JOH. GUILELMUS STUCKIUS.

Versione & notis in Arriani periplos clarus, quas in sua etiam editione retinuit Nicolaus Blancardus. Notior adhuc apud plerosque ab editis Antiquitatum convivalium libris, quod multo limatius & longe majoris studii

* Hunc locum vindicat Seldenus lib. II. de Synedriis p. 91. seqq.

** Hunc Bootium eruditissimum ejusque Animadversiones sacras elaboratissimas vocat Gatakerus p. 257. Adversar. Laudat & Lud. Capellus p. 646. defensionis Criticæ S.

opus

opus Sauberto * videtur, quam liber Stuckii de sacris sacrificiisque Gentilium, qui prodiit Tiguri A. 1598. fol. Idem Joh. Saubertus filius in præfatione ad suum de veterum sacrificiis opus contendit, Stuckium in libro de sacrificiis non solum turpiter sæpius lapsum, sed & parum egisse, cum quia ἀτάκτως incedat & fastidiose luxurietur, tum quia compluria ex Choulio auctore libri gallice scripti *de la religion des anciens Romains* & Gyraldi syntagmate XVII. quod totum de sacrificiis agit, fœdissimo furto diripuerit. Choulium confidentissime aliquoties nulla ejus facta mentione à Stuckio exscribi ait p. 366. & p. 418. Stuckium Choulii compilatorem appellat. Gyraldi Chouliique adsentatorem p. 466. ubi Choulium quoque ipsum, uti p. 367. plagii in Gyraldum commissi arguere videtur. **

LXXXIX. ALBERTUS DURERUS. *,*

Cubi διπλασιασμὸν ab Eratosthene jam olim traditum in Epistola ad Ptolemæum Regem, ut proprium inventum Geometricis elementis suis inseruit, suppresso interim prioris auctoris nomine, non immerito ingratitudinis & plagii crimine ob id forte arcessendus, judice Jac. Nicolao Loensi libro III. Epiphyllidum cap. 1.

XC. PAULUS JOVIUS.

De eo Georgius Fabricius Epistola ad Wolfgangum Fusium in Richteri Melanchthonianis p. 627. *Qui tantopere laudant, ut omnibus eum nostris hominibus præferant, eos profecto insanos judico. Historicus est, sed non vir verus. Doctus fuit & ingenio valuit, sed vita & mores turpissimi. Episcopus fuit, sed quod Samuel de sui temporis scribit sacerdotibus, nescivit Dominum, & ignoravit officium sacerdotum. Reprehenditur etiam à Veneto quodam viro gravi, quod alienis laboribus usus fit pro suis.* Venetum illum adhuc requiro.

* P. 688. de sacrificiis. editus est Jenæ 1659. 8vo.

** Digressionem Gyraldi de literarum inventione Dialogo primo de poetis insertam Hermannus Hugo transcripsit in librum suum de origine & antiquitate scribendi. v. Jo. Owenus p. 286. Theologum.

, Pictor lignorumque incisor celebris, patria Noribergensis, floruit circa A. 1510. Ejus scripta habent Miræus, Vossius & alii.

Alias de ſubleſta ejus fide nota ſunt Bodini, Lipſii, Voſſii aliorumque maximorum virorum judicia. Vide quæ de Jovio collegerunt Zeilerus, Teiſſierius & Eybenius. Nimis ethnice paſſim loqui, Deltio quoque obſervat. Epicureum ejus de Sodomia Leonis decimi judicium refert Voetius diſſertatione de atheiſmo T. I. ſelect. p. 204.

XCI. ANTONIUS VARILLASIUS.

In hujus hiſtoria Caroli IX. primum fortuito & ſua ſponte, dein auctore conſcio nec invito, Hozierius, etiam à bibliopola & amicis rogatus, ultra 4000. errores ingenti cum labore adnotaverat. Varillaſius inde novam eamque emendatiorem Hiſtoriæ ſuæ editionem procurans adeo tamen ingratus fuit, ut contra promiſſum nullam accepti beneficii mentionem faceret, ſed id omne ſibi vendicaret, qua de re queritur Hozierius in quadam Epiſtola, quam exhibet Larroquanus in libello *nouvelles accuſations contre Varillas*, Vide Acta Erud. 88. p. 250.

XCII. FLORIMUNDUS RAIMUNDUS.

In alio opere Varillaſius Raimundi echo à Burnetto vocatus fuit, unde de Raimundo dicendi anſam capimus, cui non infimus inter plagiarios locus debetur. Nam liber ejus, quo Johannam Papiſſam negare voluit, Richeomo Jeſuitæ rectius tribuitur, notante Blondello, Mareſio, Riveto, nec diſſentiente Labbeo, quorum omnium loca allegavit Maxime Rever. Dn. D. Valentinus Alberti in gründlichen Gutachten über etliche neu aufgewärmete Päbstische Schrifften, p. 36. qui de ejusdem Raimundi hiſtoria hæreſium ſimile judicium ferre non veretur, quod nec improbant Acta Erud. 88. p. 247. & 461. ubi idem à Burnero notatum refertur, qui inſuper Sanderi exſcriptorem eſſe animadvertit.

XCIII. LUDOVICUS MAIMBURGIUS.

Hunc inter plagiarios relatum lege à Domino Veielio de Variis Oeconomiæ

nomiæ Sacræ generibus sectione VI. Quo pacto pauca ex recentioribus polemicis Pontificiorum scriptis notam illam effugere poterunt, in quibus semper antiqua cantilena occinitur, quam orthodoxi toties ex sacris literis exploserunt.

XCIII. PETRUS LAUREMBERGIUS.

Acerræ Philologicæ auctor furti à B. Thomasio arguitur, quod tacito Rollenhagii nomine ejus de phœnice sententiam & verba in compendium redacta sua fecerit. * Laurenbergio Deusingium quoque addit Thomasius Rollenhagiique vitula eum arasse suspicatur. Scilicet ipse Rollenhagius bonum esse communicativum sui pronunciavit, uti Thomasius §. 628. libri de plagio refert. De illius Rollenhagii glaubwürdigen Lügen ita Schottelius opere de lingua Germanica lib. V. p. 1191. Es sind aber nur ins deutsch übergesetzte Sachen aus dem Luciano, Plinio Secundo &c. Quod tamen de multis istius libri falsum esse inspectio docet. Leonici vero Thomæi variæ Historiæ nihil fere aliud continent, nisi narrationes ex Pausania paucisque aliis auctoribus Græcis non ineleganter latino sermone expressas, qui tamen raro nominantur. Conf. Vossius lib. 3. de Historicis Latin. cap. 12.

XCV. JOHANNES BOCCACIUS.

Vibius Sequester ad Virgilianum filium scripsit de nominibus fluminum, fontium, lacuum, nemorum, paludum & gentium, quæ poetis memorantur. Editus est Romæ primum, tum Venetiis, denique cum Æthico, * Antonini & Rutilii itinerariis, à Simlero, Basileæ A. 1575. 12. Cl. Vossius libri de philologia capite XI. observat, huic scriptori plurimum debere Johannem Boccacium, qui ante annos trecentos libellum & ipse reliquit hac inscriptione:

* Diss. de phœnice §. 293.

** De Æthici Cosmographia vide Barth. 45. 13. Adversar. Reines. 1. 13 Var. Lect. & defension. p. 55. & 117. Jac. Godofredum præfat. ad anonymum Geographum Gr. à se editum Hallervord in spicileg. de Historicis latinis &c Orosium & Isidorum multa ex Æthico descripsisse Barthius l. c. notat. Antonini vero itinerarium vel Julio Oratori vel Æthico tribuendum esse, contendit Vossius de Philologia p. 59.

Johan-

Johannis Boccacii de Certaldo de montibus, silvis, fontibus, lacubus, fluminibus, stagnis sive paludibus, de nominibus maris, ad Poetas intelligendos scriptus Venet. 1473. & 1497. 1514. &c. Nec inutile sit, inquit Vossius, eos scriptores conferre. Cum vero passim exscribat Vibium Boccacius, mirum sane ejus nusquam mentionem facere. Tantum enim signat his verbis: ***Secundum quosdam, ut quidam, ut placet aliquibus, alii vero dicunt, ut quidam dicunt.*** Ut merito hac parte candorem viri requiramus. Idem Boccacius in opere de Genealogia Deorum Fulgentii Mythologiam, etiam cum non citat, gnaviter exscripsit, adeo ut ex Boccacio in non paucis emendari Fulgentius potuerit. Quamvis, si Batthium audiamus, ipse quoque Fulgentius arrogans, invenustus, semibarbarus & sesquisoloecus scriptor Hyginum compilavit. Locus est libri X. Adversariorum capite 12. sed acrius paulo hoc Barthii judicium esse quivis mecum fatebitur. Nimirum voluit vir ille alias non indoctus antiquis interdum detrahendo judicii minime vulgaris opinionem sibi comparare. Est sane Fulgentius scriptor lepidissimus, neque à Musis alienus, tametsi, quod non est negandum, ineptire quandoque videatur. A plagii vero suspicione eum absolvit, quod ea, quæ affert, aliis ac Hyginus, testibus confirmet.

XCVI. MATTHIAS FLACIUS ILLYRICUS.

Verum ejus nomen Francowiz, pattia Albona, quemadmodum in ejus vita Melchior Adami testatur. Præter editionem Gregorii Turonensis & Conradi à Lichtenaw seu Abbatis Urspergensis, item versionem Nili de primatu Papæ, triplici potissimum nomine & apud eruditos gratiam meruit, & Ecclesiæ prodesse visus est: primum quidem vulgato Catalogo Testium Veritatis; deinde procuratis centuriis Magdeburgicis, quarum postea apologiam in se suscepit; denique elaborata Clavi Scripturæ. Catalogus Testium veritatis editus est Basileæ 1556. tum Argentinæ 1562. & passim aliquoties, digestis secundum temporis ordinem testimoniis à Petro Apostolo ad A. C. 1517. Simon postea Goulartius illum librum non aliter, ac si proprius labor esset, tractavit, addidir, rejecit, quæ voluit, pro lubitu, & accuratiore, ut præ se fert, ordine chronologico digesta testimonia in XX. libros distinxit, ut aliud fere opus videretur. Prodiit duobus Tomis Lugduni 1597. 4. auctius vero Genevæ 1608. fol. ubi ab A. 1517. ad A. 1600. testimonia adjuncta reperiun-

riuntur. Sed merito queritur B. Thomasius * quod sua à Flacianis nullo signo Goulartius distinxerit. Johannes vero Conradus Dietericus Catalogum illum uti à Flacio profectus erat, sincerum exhibuit, elogia & censuras doctorum virorum præmisit, notulas quasdam adspersit, & auctarium addidit, etiam tractatus aliquot à Flacio editos, ut de Papæ primatu, & similes subjunxit. Prodiit dissimulato Dieterici nomine Francofurti A. 1666. & Cattopoli 1667.4. Sed adjectum illud fuit in editione novissima Francofurtensi A. 1762.4. Catalogus iste Flacianus integer fere legitur in Joh. Wolfii Tabernæmontani ICti Lectionibus memorabilibus. Flacius vero ad illum concinnandum totam Stiriam, Austriam & vicinas regiones perreptavit, libros undiquaque conquirens, dissimulataque persona & habitu plerasque Monasteriorum Bibliothecas perlustrans, è quibus etiam quos potuit libros clam secum abstulit, teste Melchiore Adami in ejus vita & Paulo Ebero in literis ad Farenheidium. Guilielmus Eysingtenius suum Flacio Catalogum Testium veritatis opposuit, ** qui & duos adversus Historiam Magdeburgensem Centenarios emisit. Illius Historiæ Magdeburgensis princeps auctor idem Flacius fuit, *vir certe prodigiosæ cujusdam industria, librorum immanis helluo, & Bibliothecarum abliguritor, furiosus tamen Theologus & insanus*, quod Rich. Montacutii de eo judicium est in apparatu ad origines Ecclesiasticas. Sed is Montacutius *vir certe doctus, sed admodum præfidens & tumidus aliorum contemtor & sugillator* audit Riveto lib. I. Apologiæ pro Maria, cap. X. Historiæ autem Magdeburgicæ XIII. Centuriæ perfectæ sunt, manum operi admoventibus Basilio Fabro, Andrea Corvino, Johanne Wigando & aliis. Singulæ Centuriæ XVI. capitibus distinguuntur, quorum argumenta Georgius Calixtus in Apparatu Theologico enarravit. Cui Calixtus ad manus non est, legat apud Eybenium p. 558. Conf. & præter alios Johannes Hornbeckius in Miscellaneis. Interim, ut ait Vossius de Philologia p. 78. judicio non exiguo opus est in Centuriatoribus, nec in Baronii Annalibus minore, quos interea negare non possumus præclare

* Dissertat. de Nigello Wireckero §. 18. Vide & §. 47. & Schediasma Historicum p. 62.

** Occasionem scribendo Catalogo Baillettus T. I. p. 538. ait Flacio fuisse Guilelmi Eisengrenii librum, qui sub titulo Catalogi testium veritatis testimonia veterum pro doctrina pontificia collegerat. vid & Possevinum Apparatu. Verius Lambecius T. II. p. 449. affirmat, Guil. Eisengrenium Catalogum testium veritatis contra Flacii eiusdem tituli opus edidisse. Prodiit Dillingæ 1566. 4. at Flacii 1556. 8. *Titulo illo lectorem fallit*, inquit Morhofius de Eisengrenio in Collegio MSc. *nihil rerum enim habet, sed tantum Catalogum Doctorum Ecclesiasticorum.*

 meti-

meritos esse de Antiquitate Ecclesiastica. Genebrardi vero, aliorumque Pontificiorum insana in Centurias maledicta, uti non ex judicio sed odio profecta sunt, ita neminem sanum movere debent, ut Centuriatores & in his Flacium maxime laude sua privandos esse arbitretur. Quem Flacium Rich. Simonius libro III. Criticæ V. T. Historiæ capite 13. majorem longe nominis famam sibi comparaturum fuisse putat, nisi Lutheranus fuisset. Eo capite Simonius judicium fert de clavi scripturæ a Flacio edita, in eaque auctorem magnam styli scripturæ cognitionem ostendere fatetur. Plures interim Regulas ex Hieronymi & Augustini libris mutuatum esse, & solummodo in majori luce posuisse. Cui addendum, quod Maxime Rever. Dn. D. Georgius Mœbius in Canonica sua Theologia observavit, *Flacium omnes Canones de verbo ad verbum ex Francisci Ruizii tractatu de Regulis descripsisse.* Quemadmodum B. Glassio Axiomata in Philologia S. formata Flacius fere suggessit, quo de vide Dn. M. August. Herm. Franckium Exercitat. de Grammatica Hebræa §. 20. Optima editio clavis Flacianæ est Jenensis A. 1674. fol. in qua per summum virum Johannem Musæum errores obelisco notati, deque illis lectores peculiariter moniti sunt, adjecta etiam noti erroris Flaciani de peccato originis refutatione. Liber in duas partes est distinctus, quarum prima explicationem vocum & phraseologiarum Scripturæ instar Lexici continet, altera plures tractatus ad Scripturam felicius intelligendam interpretandamque facientes suggerit. Præterea de Flacio vide, quæ post alios in elogiis suis collegit Antonius Teissierius.

XCVII. VITELLIO. * PROCLUS &c.

Vossius de Scientiis Mathematicis p. 58. *Compluria ex Theodosii Tripolitæ Sphæra Ptolemæus hausit, & Ptolemæo recentiores, Pappus, Proclus, Theon. Multa item, sed dissimulato Theodosii nomine exscripsit Vitellio, ob quæ tamen maxime fuit admirationi.* Idem p. 109. ** *Pulchra item est opera Vitellonis sive mavis Vitellionis, quam Opticis impendit libris X. Utcunque vero multum*

* Vixit medio Seculo XIII. ejus Optica emendavit Frid. Risnerus, Paralipomena ad eum dedit Joh. Kepleruս.

** Adde p. 160. 162.

laudis

laudis meruerit, fatendum tamen hausisse sua ex quatuor istis, Euclide, Archimede, Ptolemao & Alhazeno. Ac sic quoque reperias in eo, qua emendationis egeant. Idem Vossius ejusdem operis p. 165. Proclum Lycium parum laudis sphæra sua meruisse affirmat, quia id opus ex Gemini Isagoge exscripserit p. 314. dicit Lucam de Burgo magna ex parte accepisse à Leonhardo Pisano, quæ tradiderit in Arithmeticis suis lingua Italica grandi volumine exaratis. p. 234. ait *Scaligerum majori in pretio haberi promeritum ab illis, qui, ut mihi quidem videtur, nimis dissimulant, quantopere Herois illius laboribus fuerint adjuti.* Quo in loco Petavium similesque perstringi verisimile est. p. 429. meminit Vossius Athanasii Kircheri, quem operis, quod *Ars magna lucis & umbra* inscribitur, non auctorem sed interpretem tantum repertum esse ab amico quodam accepimus. * Ejus quidem narrationis veritatem præstare jam non licet, merito tamen probamus Thomæ Bangii verba, quibus utitur in Cælo Orientis p. 89. *Sordet semper, quam fucatus labor mentitur, gloria. Intervenit sæpe acutum cernens sollersque candor, & unico ostensi veri halitu difflat fucum, tectumque plagii cum probro nudat nævum. Quo fit, ut qui Scriptorum aquila antea fuerit, mox ad instar Æsopica cornicis, alienis quibus insolescebat pennis denudatus, appareat talis qualis est.* Idem Vossius laudati operis pag. 434. Apollonii furtum memorat, quod nos quoque supra attigimus. *Fortasse*, inquit, *rudiores chartas Archimedis nactus fuit Apollonius, atque eas perfecit:* p. 440. *Mirum*, ait, *tam multa legi in Aristoxeni Musicis, qua etiam habentur iisdem verbis apud Aristidem, Quintilianum, & Emanuelem Briennium. Nempe alii alios illaudato more exscripserunt.* Obiter ex eodem elegantissimo de Mathematicis libro Anonymos aliquot detectos commemorabo. Compendii de Mathematicis disciplinis Parisiis A. 1540. editi auctor

* Kircherum in Musurgia ex Glareano, Mersenno aliisque, non appositis illorum nominibus sua descripsisse, notat M. Meibomius, præf. ad 7. antiquæ Musicæ auctores. Utinam Kircherus ipse sæpius meminisset verborum, quæ habet p. 42. Obelisci Pamphil. *Mirum non est, Pythagoram, Platonem, Aristotelem tam parce eorum, a quibus omnia sua hauserunt, magistrorum nomina allegare. Qui præposterus agendi modus etiam hoc tempore lividos tumidosque quorundam animos ita obsedit, ut ægre ad eos auctores, a quibus in literarii argumenti concursu multa dum descripserunt, non dicam honorifice appellandos, sed ne nomine quidem tenus citandos inducantur, non alia de causa, nisi ne gloriam ex pulchro argumento partam alteri honorifica nominis appellatione concedere videantur. Quam tamen summam injustitiam esse & plagiarium crimen sinceris & ingenuis mentibus prorsus exosum, nemo non videt.*

est Guilelmus Postellus, uti docet Vossius p. 40. Nescio utrum aliud sit quod memoratur p. 457. Tabulas perpetuas longitudinum ac latitudinum planetarum ad meridianum Lovaniensem A. 1528. nomine suo prætetito edidit Henricus Baersius aliter Vekenstyl dictus, uti disco ex p. 186. Christophorus Scheinerus Jesuita sub nomine Apellis post tabulam latentis ut aliorum judicia cognosceret, A. 1512. libellum edidit de maculis Solaribus vide p. 198. Georgius Reischi Carthusianus Argentinæ A. 1515. dissimulato nomine suo edidit Margaritam Philosophicam. conf. p. 354. Euclidis Elementorum Geometricorum libris latine a se translatis præfationem de Geometriæ laudibus atque usu, sub alieno nomine præmisit Joachimus Camerarius A. 1549. Sed 28. annis post A. scilicet 1579. nomen suum reposuit, eodem Vossio observante p. 377. Idem p. 205 & 447. dicit anonymi ἐξήγησιν εἰς τετράβιβλον Ptolemæi Basileæ ab Henrico Petri editam Proclo a quibusdam adscribi.

XCVIII. JOHANNES NEANDER.

Idem Vossius p. 190. ejusdem libri, Chronologiam Medicorum promittit, cujus gustum habemus in aureolo libro de Philosophia & sectis Philosophorum. Ægidius quoque Menagius Medicorum Historiam scripsisse se testatur cap. 27. amœnitat. juris, sed illa nondum publice comparuit. Reinesius Epistola 16. ad Vorstium: *Veterum*, inquit, *Medicorum Historiam post Brunfelsium, Champerium, Squarcialupum, Fuchsium, Castellanum, qui hoc seculo scripsit, & Bibliothecarum Medicarum compilatores digerere & ipse tentavi. Negligenter eam partem eruditionis tractarunt, quiqui manum admoverunt. E Celsi, Plinii, Galeni, Athenæi, Cœli Aureliani, Aetii, Oribasii scriptis multos erui nemini observatos.* Idem Historicos etiam post Vossium collegit uti cognoscitur ex Epistolis ad Hoffmannum. Ejus Eponymologicum latet apud Bibliopolam, quod cur non edit? æque sane utile gratumque futurum esset ac Inscriptionum corpus, eruditum illud quidem, ac Jonsio quoque expetitum, sed quarum maxima pars jam legitur in Reinesii ad Hoffmannum Epistolis. Medicorum Historiam itidem mirifice illustrabit Joh. Baptistæ Caponi * Historiæ Medicæ Universalis liber præcipue quartus & quintus. Hie-

* Vide Morhof. p. 212.

ronymi

ronymi Welschii affectos in hoc studiorum genere libros vide ap. Morhofium p. 52. & 59. Polyhist. Idem p. 62. Martinum Fogelium Historiam Medicorum præteritam molitum esse ait, cujus Historiæ Physicorum ad prelum paratæ meminit & Placcius de anonymis p. 39. Meibomiani operis de vitis Medicorum, ab auctore aliquoties promissi, filius * spem quidem, sed vanam hactenus fecit. In Catalogo MSS. Arabicorum quæ Cl. Golius ex oriente advexit, num. 83. in fol. est liber cujus titulus: *Classes seu Historia Medicorum distincta secundum gentes & ætates.* Num. 15. in 8. *Gadam fer Taurisius de Rasis doctrina & scriptis, item de Philosophis antiquis & recentioribus.* Num. 29. *Abu Fergii Catalogus librorum Medicorum, qui primis 400. annis Hegiræ ab Arabibus compositi fuerunt vel versi.* Nuper quoque de Historia Medica recenti inprimis bene merere conati sunt Lipenius, Mercklinus, Witte, Freherus, Beughem, Bullartius & alii. Præterea qui de Medicis Medicorumque scriptis egerunt, non pauci recensentur a Voglero cap. VIII. introduct. generalis, & sparsim a Labbeo ac Teissierio in Bibl. Bibliothecarum &c. In illis nomen quoque comparare sibi voluit Johannes Neander Bremamus, sed *quem aliorum fere semper scripta nullo indicio, nullaque ratione habita temporum expilare, absurdaque sæpissime atque sibi ex adverso pugnantia in medium adducere atque pronunciare, item aliorum πάρεργα tacito nomine non tam exscribere quam corrumpere* notat in Galeni chronologico elogio ** Philippus Labbeus. Idem in Bibliotheca Bibliothecarum: *Hunc*, inquit, *alienæ doctrinæ decoctorem merito dixeris, qui a Petro Castellano, Melchiore Adamo, aliisque, quos in Syllabo auctorum nec nominare sustinuit, omnia ferme sua hauserit, ac sæpius αὐτολεξεὶ descripserit.* Ac paucis interjectis: *Non sincera insuper fide in prologuio ad Lectorem monet, Castellani & aliorum, qui vitas Medicorum scripserunt, ad manus sibi non fuisse scripta in illo opere, cum tamen pleraque omnes paginæ ipsorum verbis sint contextæ.* In illa Bibliotheca sua aliquot præterea plagiarios Labbeus notat, uti Antonium Salam, qui anonymi auctoris *** MStum de vita & moribus Philosophorum librum pro suo edidit Casali A. 1603. in 4. Hollanderum & Sanderum, qui ex MS. Dionysii Harduini de scriptoribus Flandriæ libro, areolas suas irrigarunt &c. ἀλλὰ γὰρ ἕκαστα συγγράφειν

* Henricus Meib. in epistola ad Welschium. Helmst. 1669. Adde Welschii vitam p. 56. & Meibomii addenda ad Voglerum p. 181.

** Ap. Voglerum p. 47.

*** Gualteri Burlæi, uti eodem o[illegible]vante statuunt Lelandus, Balæus, Pitseus, Vossius &c.

οὐκ εὐχερές. Si hæc nobis ſine convicio abierint, porro centuriatim alio tempore in plagiarios dabimus impreſſiones. Nunc centuriam ſemel cœptam abſolvamus.

XCIX. BERNHARDUS AUTUMNUS &c.

Quemadmodum Apollonio Grammatico olim objecit Aſclepiades Myrleanus, ὅτι παρὰ κλέωνος τὰ πάντα μετήνεγκεν, uti eſt apud Scholiaſten Apollonii Rhodii ad lib. I. Argonaut. Ita recentioribus non paucis Poëtarum interpretibus dicere poſſis, quod alieno labore notas ſuas perfecerint. De Bernardo Autumno Iſaacius Grangæus comment. in Juvenalem affirmare non dubitat, eum nihil boni, niſi quæ ex veteri Scholiaſte ſurripuit, in commentarium ſuum tranſtuliſſe. De Theodoro Pulmanno Henninius: *Mirari quandoque ſubit audaciam umbraticorum quorundam, qui otioſi ita alienos labores ſuo nomine præſcribunt, ut a Pulmanno factum video.* Angelum Sabinum paſſim Fidentini nomine perſtringit Domitius Calderinus ſuis in Juvenalem notis. Vide inprimis ad Satiræ III. v. 218. Idem Calderinus Brotheum quoque Grammaticum furti alligat in defenſione commentarii ſui in Martialem. Chabotium vaſto in Horatium commentario multa inutilia congeſſiſſe, & Torrentinum pæne integrum exſcripſiſſe ait vir doctus eo in loco, quo Pareum plagii ab eo accuſari ſupra dicebamus.

C. AUCTOR GEOPONICON.

Concludam hunc Catalogum brevi disquiſitione de Auctore XX. librorum de re Ruſtica, quos ex MS. codice Græce primum edidit Johannes Alexander Braſſicanus Baſil. 1539. 8vo latine vertit Janus Cornarius, & poſt eum Antonius Lacuna. MStum pervenit poſtea ad Herbſtium ſive Oporinum, unde accepit Sambucus, denique translatum eſt in Bibliothecam Auguſtiſſimi Imperatoris, ubi locum CXLIX. occupat inter MSS. Græca philologica teſte Lambecio lib. 2. de Bibliotheca Vindobonenſi p. 537. Ad alios tres codices

Pa-

Palatinos collata Geoponica cum interpretatione latina & notis doctorum edere recepit Hieronymus Commelinus, quibus num steterit promissis, nescio. Quinque autem potissimum sententias de librorum illorum collectore in eruditorum scriptis observavi, quas omnes, si quis falsas esse asseveraverit, forte non adeo a vero aberrabit. Id ego distincte jam sum demonstraturus, quod ubi fecero, nihil tamen propterea habebo certum, quod dicam. Quidam eos tribuerunt Constantino Magno, quod perquam fuit absurdum. Nam primum quidem multa sunt iis in libris, quæ recentius seculum liquido indicant, deinde præter paucas Epistolas nihil scripsit Constantinus Magnus, nedum ut ad rustica se demiserit, neque si tale quicquam in literas misisset, id præteriturus erat Eusebius. Ut taceam præfationem tam aperte Constantinum Porphyrogennetum designare, ut cœcum esse oporteat, qui non animadvertit. Quid enim est τὸ τερπνὸν τῆς πορφύρας ἀπάνθισμα? cui potius quam porphyrogenito convenit illa doctrinæ magnitudo, quæ Constantino ibi tribuitur, illi quidem, qui post plurimos imperatores Constantini primi Christianorum Imperatoris virtutes maxime æmulatus fuerit? Hinc quoque factum est, ut alii Constantino Porphyrogenito Geoponicon collectionem tribuendam esse arbitrarentur. Vir doctissimus Lilius Gyraldus * *videndum quidem*, inquit, *& sane considerandum, an hujus Constantini Duca libri XX. sint de tota re rustica, qui hodie leguntur ex diversis & variis scriptoribus concinnati, cujus argumenti & ordinis alii leguntur sub Heronis Philosophi nomine.* Neque alienus est ab hac opinione Gerh. Joh. Vossius de philosophis capite VI. Verum hæc sententia refellitur, quod non tantum genus scribendi in Geoponicis diversum sit ab aliis Porphyrogeniti scriptis, sed & auctor Imperatorem iterum alloquatur l. XX. thémate VI. ὦ τιμιώτατε. Ut dubitandum non sit, Constantino Porphyrogenito dedicatos fuisse hos libros ab auctore, cujus nomen cum ignoraretur, interjecto tempore in locum ejus Constantini nomen fuit assumtum. Item cum aliqui in titulo Basileensis editionis legerent: *Libri Constantino Cæsari nuncupati*, hoc male ita intellexerunt, ac si Cæsari tanquam auctori adscripti fuissent. Alii sunt, qui Cassio Dionysio Uticensi vendicandos putant, à quo XX. libros de re rustica ex XXVIII. libris Magonis punica lingua scriptis Græce contractos Varro memorat libro I. Ac miratur Dn. Placcius in pseudonymis pag. 178. quod Naudæus Constantinum adhuc alleget, cum pridem scire debuerit Geoponica Dionysio Cas-

* Dialogo V. de de historia Poetar. p. 208. T. 2. Opp. edit. Basil.

sio

ſio à doctis vindicata eſſe. Ar induci non poſſum, ut eos quiqui Dionyſio ea adſcribenda exiſtimant, vel unum in iis verſum legiſſe credam, adeo omnes paginæ illi opinioni refragantur. Nam ur præfationem omittam, neque memorationem Conſtantinopoleos objiciam, quod tamen urbis nomen aliquot demum à Dionyſio ſeculis obtinuit, plerique omnes auctores, qui in editis XX. libris allegantur, non Magonis duntaxat & Dionyſii, ſed Varronis quoque ætate longe minores ſunt, ut ex ſubjecto auctorum elencho quivis videre poteſt. Et ubi ſunt in noſtris Geoponicis, quæ Varro, Plinius, & Athenæus ex Dionyſii Georgicis allegant? Ineptus omnino videar, ſi in hac opinione rejicienda longius temporis ſpatium inſumam. Adrianus vero Junius Caſſianum Baſſum Scholaſticum Geoponicon collectorem fuiſſe contendit libri I. capite 20. & libri VI. capite 1. Animadverſorum. Adde ejus adagia p. 164. & 288. Mylii hortum Philoſoph. p. 264. Barthium XXI. 23. Adverſar. qui alibi per errorem Conſtantinum Baſſum appellat. Caſſiani Baſſiani opus de agricultura Ms. in Italia apud Monachos latitare, quod non diverſum eſſe putetur ab eo, qui Conſtantini Cæſaris nomine circumfertur, ex Geſneri Bibliotheca notavit Placcius ad Rhodium num. IV. Huic ſententiæ adeo quod opponamus, non haberemus, niſi in editis Geoponicis Caſſianus duplici vice allegaretur. Quinta denique conjectura eſt Jeſuitæ Harduini, qui ad Plinium ſuſpicatur Vindanii Anatolii Berytii opus Photio codice CLXIII. memoratum idem eſſe cum libris quos de re Ruſtica hodieque græcos habemus. Verum huic ſuſpicioni tria inprimis adverſantur. Primum Berytius longe antiquior fuit Conſtantino Porphyrogeneto, cui tamen edita Geoponica ſunt dedicata. Deinde in editis Geoponicis ſunt libri XX. cum Berytii tantum XII. fuiſſe Photius teſtetur. Denique Berytius ſæpiſſime in Geoponicis allegatur, nec Berytius duntaxat, ſed & Anatolius & Vindanionius, quaſi tres diverſi ſcriptores fuerint, cum unum fuiſſe, ſi à Photio ſtare velimus, aliter ſtatuere non queamus. Etiam in argumento libri Geoponicon primi, tanquam diſtincti recenſentur. *Collecta ſunt ex Florentini & Vindanionii & Tarantini & Anatolii & Berytii & Diophanis & Leontii & Democriti & Africani paradoxis &c.* Quæ cum Photio conciliet, qui poteſt. Præterea fateor Geoponicis non male convenire Photii judicium, quod de Berytii collectaneis tulit, ſunt enim in illis quoque nonnulla τερατώδη quale eſt, quod libri VII. capite 14. dicitur efficaciſſimum adverſus vini corruptelam reme-

* vide Smetii antiquitat. Noviomag. p. 41.

dium

dium esse, si dolio θεῖα ista γράμματα inscribantur ex Psalmo XXXIV. 8. *Gustate & videte, quoniam suavis Dominus.* Vel si eadem verba pomo insculpantur, pomumque in vinum abjiciatur. Libri X. capite 88. fructus integros in arboribus conservari, si adscribantur verba Psalmi I. *& erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium ejus non defluet.* Libri XIV. capite 5. serpentes columbarium deserturos esse, *si quatuor ejus angulis inscribas nomen ADAM.* Quæ superstitio sine dubio nititur Pseudo Sibyllino illo, quo singulæ hujus vocis literæ primas quatuor mundi cardinum literas exhibere dicuntur: *

Ἀνατολή
Δύσις
Ἄρκτος
Μεσημβρία.

Libro XX. capite 18. ut pisces innumeri confluant, dicuntur ostreæ alicui inscribenda esse nomina: ἰαώ, Σαβαώθ. Ostrea autem in undam projici jubetur. Vide & quæ in auctorum indice voce *Homerus* notavimus. † Libri tamen XIII. capite 5. cum ex nescio quo scriptore retulisset, mures ex agro fugari, si charta ante solis ortum illuc reponatur, inscriptis verbis: ἐξορκίζω μῦς τὰς ἐνταῦθα &c. *Hoc,* inquit auctor, *adscripsi, ne quid reliquisse viderer. Non probo autem hæc omnia μὴ γένοιτο. Et omnibus auctor sum, ne ad ridicula ejusmodi animum intendant.* Alias, de auctore, quæ certo affirmare possim, non habeo, quam Christianum fuisse, uti constat ex præfatione, & his libri I. verbis: *Atque hoc experientia quidam affirmant, quod à septima Martii ad quartam decimam, tempestas rigidior fere fieri consueverit, nam his diebus innumeri martyres paganis traditi cum beluis decertarunt.* Deinde Constantinopoli scripsisse, quod probari potest ex L. I. capite XI. ubi recenset, quænam astra singulis mensibus cum sole occidant. Item ex libro XII. ubi quid quovis mense in climate Constantinopolitano serendum vel plantandum sit, docet. Illud quoque ex supra dictis in confesso est, scripsisse tempore Constantini Porphyrogeniti, utpote cui libros suos inscripsit. Antiochiæ aliquando fuisse, ibique Camelopardalim ex India allatam vidisse se

† Indicem Scriptorum in Geoponicis laudatorum, quem habet prima editio Centuriæ hujus Plagiariorum, omisimus, quod exstat. T. VI. Bibl. gr. p. 506. sqq.

teſtatur libri XVI. capite 22. Libro autem XV. *Non ſolùs*, inquit, *ruſtica rei ſtudioſis utilia colligere allaboravi, ſed Philologis quoque librum meum accommodare volui*. Inprimis hoc feciſſe videtur libro XI. in quo varias Mythologias recenſuit, qualis eſt illa de Daphne & lauro vatidica, quam latinis parum notam eſſe agnoſcit Giraldus Dialogo 2. hiſtoriæ poëtarum p. 74. Hoc etiam monendum eſt, quod vulgo fere negligi video, quædam nomina auctorum* capitulis inſcripta merito ſuſpecta videri, & collectorem aliorum ſententias ſuis plerumque non aliorum verbis exprimere, uti id multis argumentis confirmare poſſem, niſi minus neceſſarium exiſtimarem. Libri III. capite 13. quod è Paxamo deſumtum eſſe dicitur, *hac de re*, inquit, *in alio meo Georgico opere libro 3. capite 27. plenius actum reperies*. Quæ verba itidem nemo Paxami ſed collectoris eſſe putaverit. Libri XX. capite 6. pleniorem de omnium piſcium generibus tractationem in aliud tempus rejicit. Hæc etiam de Geoponicis dicta ſunto.

* Non quaſi nomina corrupta eſſent, ſed quod poſita ſint, ubi non debebant.

BENEDICTUS SIT MISERICORS QUI NOS JUVIT.

JESU

JESU AUXILIUM FERENTE
AMPLISSIMÆQUE FACULTATIS
PHILOSOPHICÆ
INDULTU

ΣΥΜΜΙΚΤΑ

ΠΕΡΙ ΤΩΝ
ά
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI
SUBJICIET
PRÆSES

M. JOH. ALBERTUS FABRICIUS, Lipſ.
SS. THEOLOGIÆ STUDIOSUS,
RESPONDENTE
GODOFREDO Böhnigk, Lipſienſi.

Die XVII. Martii Anno cIↃ IↃc LXXXVIII.

LIPSIÆ, Literis JOHANNIS GEORGI.

VIRO

MAGNIFICO, MAXIMEQUE REVERENDO,

AMPLISSIMO, ATQUE EXCELLENTISSIMO

DN. VALENTINO ALBERTI,

SS. THEOLOGIÆ DOCTORI ET PROFESSORI PUBLICO EXTRAORDINARIO, LOG. ET METAPHYS. ORDINARIO, CONSISTORII ELECTORALIS AC DUCALIS ADSESSORI GRAVISSIMO, ALUMNOR. ELECTORALIUM EPHORO, ACADEMIÆ DECEMVIRO, FACULTATIS PHILOSOPHICÆ, COLLEGII B. MARIÆ VIRGINIS, AC POLONICÆ NATIONIS SENIORI, DE SINGULIS, QUÆ ORNAT, OFFICIIS OPTIME MERITO

DNO PATRONO, PRÆCEPTORI,

TUTORI ATQUE EVERGETÆ SUO

OPTUMO MAXUMO

HOC QUICQUID EST ACADEMICI SPECIMINIS,

ANIMUM

TOT TANTORUMQUE IN SE COLLATORUM BENEFICIORUM

NON IMMEMOREM

TESTATURUS

D. D. D.

M. JOHANNES ALBERTUS FABRICIUS.

Jesu Auxilium Ferente.

Præfamen.

Cum apud Ariſtotelem a) duplicis generis ſit quantitas, *continua* & *diſcreta* b) ad continuam locus & tempus, ad diſcretam numerus & oratio referri ſolet. Bene autem Philoſophi noſtri, contra innumera gentilium, Judæorum, & quod mireris Chriſtianorum ſuffragia, quantitatis nullam efficaciam eſſe ſtatuerunt, quam non mediocrem tempori quidam, alii locis, numeris alii, alii verbis inanibus adſcribere conati ſunt. Inde temporum locorumque neſcio quæ fatalitas, inde myſteria numerorum, inde verborum cœpere efferri miracula. Atque de his primum ut dicamus, cui ignota eſſe poſſunt impia veterum Medicorum deliria, qui non pauca genera morborum vocibus certis carminibusque appenſis crediderunt ſanari.

- - - Namque eſt res certa ſalutis
Carmen ab occultis tribuens miracula verbis,

ait Marcellus Empiricus. Ita verſiculo iſto Homerico Iliad B. v. 95.

Τέτρηχει δ' ἀγορὴ, ὑπὸ δ' ἐστοναχίζετο γαῖα,

dolores arthriticos mitigari putabant, quibus bonam mentem optat Brodæus *libri VI. Miſcell. capite XX.* c) Alio *ap. Gisb. Cuperum Harpocrate p.* 44.

a) Cap. 6. Categor. b) ſic vocant Boëthius lib. II. in prædicam. ubi pro *diſcretum* bis *diſgregatum* excuſum invenio. Caſſiodorus p. 536. apud quem ibid. pro *corpus* inepte *opus* editur. B. Auguſtino lib. de decem Categoriis Tom. I. Oper. p. 285. dicitur *coharens* & *ſeparata*. Sexto IV. contra Mathem. τὸ πόσον ἐν τοῖς συνε-χέσιν σώμασι, τὸ δὲ ἐν διεστῶσι. c) Tom. II. Lampad. Gruteri p. 561. Alia hujus generis ex Euſtathio aliisque dabunt Spondanus, Giphanius &c. commentar. ad Homerum. Adde Dauſqueum ad Silium p. 228. Apulei. Apolog. p. 276. Delrio Diſq. mag I. 4. 3. Tholoſanum Lib. XXVIII. Syntaxeon artis mirab. c. 25. Plin. XXVIII. 2. Catonem c. 160. de Re Ruſt. Vallef. de Sacra philoſophia c. 3. Etymologicon M. in ἐπαοιδῇ. Gatakerum p. 71. Adverſar. Spencerum ad Origenem contra Celſum p. 17. ſq. Cametar. III. 30. Horar. Subciſiv.

peſtilentiam fugari poſſe non credebant tantum, ſed & aliis perſuadebant. Plures non diſſimiles nugas ex Tralliano, Myrepſo, Scribonio, aliisque in Rob. Keuchenii *prolegom. & commentar. ad Serenum* lector non indiligens reperiet. Sed & in hominum nominibus ſingularia multi quæſiverunt, de quibus poſt excellentiſſ. Schmidium noſtrum non protrita docuit Profeſſor Noricus celebris Daniel Guilielmus Moellerus. Ita quod Patroclum interfecerit Hector, hujus rei apud illos cauſa alia reddi nequit, niſi quod nomen ipſius ſit tantum DCCCLXXI. hujus vero MCCXXV. Uti nec Hectorem Achilles vincere potuiſſet, niſi nomen ipſius ab Achillis numeri magnitudine utpote MCCLXXVI. ſuperaretur. d) Niſi nomini Abram addita fuiſſet litera ה, Abraham non generaſſet. e) Neque Chriſtus Antichriſtum opprimere valeret ſcilicet, niſi hujus numerus DCLXVI. qui eſt in Apocalypſi f) ab illius qui eſt in Sibyllinis DCCCLXXXVIII. vinceretur. g) Quid Baſilidiani cum nomine portentoſi illius DEI ſui

d) Guilelmus Canterus ad peplum Ariſtotelis uti mihi quidem videtur non Stagiritæ. Borremanſius in Veſperis Gorinchemenſibus p. 25. ſq. agit de Superſtitione, qua putabatur prior mori, cujus nomen pauciores numeros referret. e) Reimerus (hic enim eſt illius opuſculi auctor) antiquitat. abſtruſior. in novo fœdere memoratar. p. 16. ex Bonfrer. præloqu. cap. 21. Pertinent huc duæ Cabalæ ſpecies Notarikon & Geometria. f) cap. XIII. v. 18. adde Kromayer. alioſque interpretes ad h. l. g) vide Canter. l. c. Nondum autem puto fuiſſe qui verum nomen à Spiritu S. intentum invenerit, quanquam varii varia & in his ridicula non pauca ſunt commenti. Irenæus duo affert λατεῖνος & τειτάν. (quod de'ει objicit Bellarminus vid. Scal. ad Euſeb. p. 117. Act. Erud. 85. p. 582. Lipſ. c. 8. de pronunciat. Latinæ. L.) Victorinus Aquitanus, qui Genſerici temporibus cyclum paſchalem ſcripſit, (ſive junior potius aliquis uti vult Chriſtophorus Sandius F. ubi de Victorino Pictabionenſi agit Hiſtor. Eccleſiaſt. enucleat. p. 43.) commentar. in Apocalyps. itidem duo ἄντεμος & γενσήρικος quorum illud Primaſio, hoc Ruperto ac Haymoni tribuit Bellarminus. Fuit a. Antemus Epiſcopus CPolitanus Ariana infectus hæreſi ſub Juſtiniano Imperatore, de quo Sandius l. c. p. 325. Arethas ap. Bellarmin. ſequentia addidit: λαμπετις (Bellarminus male ſcribit λαμπετης) ὁ νικήτης, κακὸς ὁδηγὸς, ἀληθὴς βλαβερὸς, πάλαι βάσκαιος, ἀμνὸς ἄδικος. Hippolyti ἀρνοῦμαι ap. eund. nolo commemorare, quia non 666. ſed 672. prodeunt. Cauſſinus IV. 37 *de eloqu. ſacra & humana*, illum numerum invenit in Μαόμετις. alii in ἐκκλησία ἰταλικὰ, ἢ μήτρα ἡ παπική, &c. add. Scherzer. Syſtem. p. 865. ſeq. Prætor. *in Antichriſto per Gematriam detecto*, item alios. Hebraica & latina incongruenter huc trahi arbitror, qualia non pauca habet Bellarmin. lib. III. de Romano Pon-

ΑΒΡΑΞΑC

ΑΒΡΑΞΑΣ h) ejusque ἰσοψήφου i) ΜΕΙΘΡΑΣ? quibus *amnes agiles reverti, mare pigrum colligari, ventos inanimes expirare, solem inhiberi, lunam despumari, stellas evelli, diem tolli, noctem teneri, cœlum deponi, terram suspendi, fontes durari, montes dilui, manes sublimari, DEOS infimari, sidera extingui, tartarum denique ipsum illuminari* posse cum Apulejano k) illo Socrate persuasi erant. Servatoris nostri miracula atrox Judæorum impietas nomini cuidam arcano tribuit, *quod à Salomone in templo positum duo leones per mille & amplius annos custodirent, quodque ab Jesu sublectum sit.* l) Et quis finis ineptiarum, omnia referre si vellemus? De tempore non dissimilia homines ineptissimi ἐπεφράσαντο, quæ laudatus à nobis excellentiss. Schmidius politissima dissertatione prosecutus est, à quo de locorum fatalitate similem operam expectamus. * Quod ad loca attinet, illa præcipue pro infortunatis ap. veteres habebantur, quæ vel fulmine tacta, vel scelere aliquo ingenti commisso famosa reddita erant. Sic nomen possessorve loci, aut si quæ sunt hujus generis alia, ejusdem fatalitatem augere poterant, quorum exempla singula uti dari possunt, ita referre nimis prolixum foret. Temporis quæ fingitur

tifice cap. 10. ut Lindani illud: *Martin Lauter*, Genebrardi לולתר &c. nec minus inepti essemus nos, si in *Cardinal Bellarminus* cum numerum eodem modo reperiri gloriaremur, quem hæc m. verba dant: *Hic ille vicarius.* Perspicuum de cætero est, à Jos. Scaligero, Isaaco item Casaubono in Epistolis, per χξϛ, quod Colomesius in clavi 666. interpretatur, Papam Romanum cum suis asseclis intelligi, quod hac occasione notasse non impertinentis operæ putavimus. Prodiit Interpretatio numeri 666. autore Francisco Pottero. Amst. 1677. 8. it Horologium Theologicum, addita nova explicatione numeri 666. autore Leonh. Ryssenio Lugd. B. 1691. 12. h) De hoc erudite prorsus nos docuit vir in his literis versatissimus L. Ittigius, cum in prælectionibus publicis Hæreses primi seculi prosequeretur. Conf. & Baudelotii de Dairval tractatum Gallicum, quem Actis eruditorum Anni hujus 1688. mense Februar. eruditi illorum collectores inseruere. Elxai sectatores suos hæc verba non sollicitos de interpretatione orare jubet: Ἀβάρ Ἀνιδ Μωϊβ Νωχιλὲ Δαασίμ Ἀνὴ Δαασὶμ Νωχιλὲ Μωϊβ Ἀνιδ Ἀβὰρ Σελάμ, quæ explicat Epiph. p. 43. Adde Petav. in notis p. 38. Scal. Flencho Trihæres. c. 27. De Nicolaitarum Caulaucauch v. Petav. p. 44. ad Epiphan. Eorundem Ἰαλδαβαώθ, πρoυνικὸς mulier. ib. p. 43. i) Quid sit ἰσόψηφον habet Muretus lib. XIV. Var. Lect. c. 13. k) lib. I. Milesiar. l) ap. Hugon. Grot. de veritate Relig. lib. IV. add. Elmenhorst. ad Arnob. Selden. Syntagm. I. de DIs Syris cap. 2.
* Ad tempus spectat & Diss. sub Dan. Wilh. Mœlleri præsidio Altorfi 1690. habita de ominosis diebus Dominicis, Lætare, Judica, Palmarum, Quasimodogeniti & quæ aureæ dicuntur. Sub finem Diss. adjiciuntur alia quædam de aliis hebdomadæ diebus, & superstitionibus circa easdem.

fatali-

fatalitas, uti nominum quoque, nescio quomodo illi quam numeris quidam adscribunt, affinis esse videtur, de quibus potissime jam nunc dicendum est nobis. Atque hac quidem in parte Pythagorei reliquos stultitia superarunt. Ecquis non rideat sphæram illam vitæ & necis, quam ex veteri codice Barthius exhibet *lib. XXX. Adversar. cap.* 7. cujus generis canoras nugas non assis facere se merito scribit illustris Scaliger Epistola 188. Sed & ex nominibus quæ numeris suis imposuerunt *apud Brodæum lib. V. Miscell. cap.* 16. *Meursium Denar. Pythagorico &c.* satis apparet quam vere dixerit Tullius m) vires numerorum Pythagoræ maximi visas esse. Qui Pythagoras inprimis magni fecit notum illum τετρακτὺν, quem semper coluit, quo absolvi omnia pronunciavit, quemque ejus discipuli, Macrobio n) teste, *quasi ad perfectionem animæ pertinentem inter arcana venerati sunt, ut ex eo juris jurandi religionem sibi fecerint.* Qui parum abest, quin hodie nomen DEI τετραγράμματον aliquibus significet o) quod uti divini numinis honorem promovere nequit, ita per se satis absurdum est, uti alio loco demonstrabitur. Nunc missis ineptiis, qui de numero septuagenario dicturi sumus, ut instituti nostri rationem exponamus, necesse est. Nimirum dissertationem nostram ita temperabimus, ut nullâ efficaciâ illi numero affictâ jucunda quædam circa illum, nec indigna prorsus notatu afferantur, & interpretationis Biblicæ negotium, quam per LXX. seniores factam ferunt, succincte à nobis, perspicue tamen exponatur. Ad quod dum nos accingimus, ita cum Leone p) Imperatore præfamur: Ἀλλ᾽ εἰ μὲν χρήσιμα τὰ παρ᾽ ἡμῶν ῥηθησόμενα φανεῖ, χάρις τῷ πάντων ἀγαθῶν δοτῆρι Χριστῷ τῷ βασιλεῖ τοῦ παντὸς καὶ Θεῷ ἡμῶν, τῷ καὶ τοῖς ἡμετέροις λόγοις δωρησαμένῳ τὴν χάριν. Εἰ δέ τις καὶ ἕτερος δι᾽ αὐτῆς τῆς ἐπιμελείας κρείττονα τούτων ἔφερεν, χάρις καὶ οὕτω τῷ παναγάθῳ Θεῷ, συγγνώμη δὲ ἡμῖν τῆς προθυμίας ἕνεκεν.

m) 1. Tusc. Quæst. n) lib. I. in Somn. Scipion. cap. 6. conf. Plutarch. 1. de placitis Philos. Hesych. Suid. Joh. Diaconum ad Hesiodi Theogoniam edit. Heinsii p. 231. &c. o) quorum antesignanus est Seldenus Syntagm. 2. de Dis Syris cap. 1. add. Cheitomæum Græcobarbar. N. T. p. 26. sqq. Guilielmum Diezium ad carmina Pythagoræ p. 385. Eliam Schedium de Dis Germanis p. 230. Godfr. Wendelinum Diss. de Pythagoræ tetracty, quam versimilem conjecturam vocat Huet. p. 79. demonst. Ev. & placere sibi ait p. 414. Adde Crispum de Philosophis caute legendis p. 471. Drus. c. 4 de Tetragramm. qui etiam allegat Reuchlinum Lib. II. Cabbalæ, & de verbo mirifico II. 20.

§. I.

§. 1.

Numerum septuagenarium Græci per ὂ designant, uti notum est alias. Quæ antiqua eorum computandi ratio jam in Solonis legibus ab Herodiano observata est, a) neque à recentissimis neglecta, cum Scaligero teste b) etiam post CPolitani imperii eversionem scripti libri græcis literis numerent. De forma autem ac pronunciatione τοῦ ὂ μικροῦ ap. priscos Jönes abunde egit illustris Scaliger ad Eusebium, c) Muretus in Variis, d) Casaubonus ad Athenæi Dipnosophistas e) Vossius in Arte Grammatica f) Dickinson in Delphis Phœnicizantibus g) qui & Salmasii idem docentis meminit; quos huc transscribere non nisi supervacanei laboris esset, cum de numero potius, quam de litera agere nostri sit instituti. Atqui ὂ in Homericis Rhapsodiis quindecim tantum valere videmus. Sed vulgatus est triplex ille Grajorum calculus, h) qui septuagenarium hoc etiam modo 𐅄ΔΔ notabant, quasi πεντάκις δέκα, καὶ δέκα καὶ δέκα diceres. Quod cum minus usitatum sit, id adduxisse duntaxat hac vice sufficiet.

§. 2.

Latini, qui eundem numerum olim per S etiam significarunt, i) fere ita: LXX. pingere solent, cujus rationis computandi rationem plerique reddere non possunt. Quod enim Priscianus, vel quisquis est auctor libri de ponderibus & mensuris, nugatur, *decem per X. notari, quia ξ decima est consonans ap. Græcos, quinquaginta per L. quia apud antiquos Græcos L. pro N. quæ nota est quinquaginta, ponebant, teste Apollonide & Lucio* k) *Tarrhæo*,

a) Voss. de scient. Mathem. p. 33. b) in Epist p. 474. c) p. 112. & 115. d) lib. XVIII. c. 1. e) lib. X. c. 20. lib. XI c. 3. f) lib. I. c. 12 & 13. &c. g) p. 15. h) Vide Grammaticos. Append. ad Scapulæ Lexicon p. 169 seqq. ad Weller. p. 379. sqq. cujus auctor ex Golii parte II. p. 537. seqq. ea descripsit. Lilium Gyraldum Dialogismo III. ap. Gruter. T. II. facis artium &c.

i) Gyrald. l. c k) hunc scriptorem Lucillum subinde vocari video. Verum enim vero perperam, cum non in Stephano tantum Byzantino triplici vice, sed & ap. Apostolium Lucius appelletur. Eustathius ad Iliad. Α. si Lucillum vocasset, non cum Lucium diceret exscribens Apostolius, quare & ibi non minus, quam ap. auctorem vitæ Appollonii Λούκιος pro Λούκιλλος reponendum. Vossius equidem de Histor. Gr. & Lucas Holstenius ap. Stephanum in Τάῤῥα, Λούκιος scriptum invenientes, ex aliis ejusdem scriptoris locis in Λούκιλλος emendarunt, sed & ibi (in voce Θεσσαλονίκη & κάλαρνα) Λούκιος habet Ald. Manutii editio, quam cum optima quaque contendere soleo. Cæterum Stephanus Lucium hunc

id more suo facit. Non paulo aptiorem modum latinas illas numerorum notas explicandi ostendit Vossius ὁ μέγας in πολυμαθεςάτῳ scripto de scientiis Mathematicis. l) Unitatem nimirum observat notatam unica linea, I. denarium duabus, sed decussatis, X. centenarium tribus: ꟷ. Ac cum tria hæc notarum genera ad omnes numeros exprimendos ægre sufficere viderentur, inter I, & X. interjectum esse V. tanquam dimidiam partem τοῦ X. quod & loco adducto Gyraldus agnovit. Inter X. & ꟷ substitutum τό L. superiore linea ex ꟷ revulsa. Succedente dein tempore ob scribentium commoditatem ex ꟷ factum esse C. uti pro Jönico ▭ & ⊟ m) postea O & ⊖ usurparunt.

§. 3.

Neque prætereundæ sifræ Arabicæ, quibus nota septuagenarii est 70. Illas ante annos CCCC accepisse nos, laudato libro n) Vossius testatur, quas merito dubitat Scaliger o) num Græci ultimæ licet ætatis usurpaverint. Vir undiquaque doctissimus Joh. Seldenus p) ultra DC. retro annos barbaricarum istarum figurarum originem refert, dum eas deberi affirmat Sylvestro II, illi Mago q) prius quam Papæ, qui cum Gerebertus antea diceretur Rhemnensis primum mox Ravennæ Archiepiscopus, pontifex factus nomen mutavit sub Ottone tertio, anno post filium nobis datum DCCCCXCVIII. hoc est annis ab hinc nonaginta sexcentis.

§. 4.

Antiquissimus etiam modus est per digitos computandi, de quo singularis Bedæ liber extat, sed qui Barthio r) judice in non paucis ab usu vete-

Tarrhæum inter alia scripsisse dicit περὶ γραμμάτων, quem librum Priscianus in animo habuit, cum ista commentaretur. l) pag. cit. 33. sqq. m) Scal. ad num. Euseb. 1617.

n) vid. p. 25. & 34. Ab orientalibus nos sifras accepisse probat le Moyne T. II. Varior. Sacror. p. 786. sqq. contra If. Vossium & Huetium, qui Græcis & Latinis olim in usu fuisse putant. o) in Epist. l. c. p) Syntagm. I. de Dis Syris. cap. 2. q) vid. præter Selden. l. c. Excellentissimum nostrum Pfeifferum dissertat. Bibl. p. 13.

r) L. II. Adversar. c. 12. *Bedæ* liber exstat T. I. Opp. Colon. 1688. p. 127. sq. titulo indigitamenti, cum glossis admodum ineptis Bridefert Ramesiensis, & Scholiis Joh Noviomagensis paulo melioribus. Adde *Rhabanum* Abbatem Fuldensem libro de Computo, quem edidit Steph Baluzius Lib. I. Miscellaneor. *Nic. Smyrnæum* in numerorum notatione per gestum digitorum gr. lat. cum Beda de indigitatione à Fr. Morello editum Parisiis, & a Petro Possino post Spicilegium Evangelicum cum Catena græcorum Patrum in Marcum Rom. 1673. fol. Idem Possinus nota-

rum

rum recedit. Hac ratione septuagenarium pollex in sinistra manu extensus, & indicem superne imminentem ungue ad medium ejus articulum erecto sustinens significabat, s) sive ut Beda t) tradit, indice toto circumductо, pollex ita exporrectus, ut in medium indicis artum affigatur.

§. 5.

Septuagenarius ex decimo per septimum multiplicato componitur. Decimus ex duobus quinariis constat. Quinarium nuper explicavit flos eruditorum nostri ævi Jacobus Tollius. u) De Septenarii apud veteres sanctimonia ex innumeris Nazianzenus, x) Gellius, y) & Macrobius z) legi possunt, ad quorum loca Docti plura adnotavere. De perfectione denarii Origenes a) Vitruvius b) Philo Ebræus c) aliique è priscis. E recentioribus de utroque Joh. Meursius d) Claudius Salmasius e) &c.

etiam, nescio cujus, addidit & figuras σχηματισμῶν χειρολογιστικῶν æri incidi curavit. p. 449. seq. s) ita Joh. à Woweren cap. VII. Pylomath. in dextra manu numerum DCC. ostendi notat. Quod autem in dextra C. id in sinistra erat X. ut *terminus à quo* in sinistra sit. I. *ad quem* C. E contrario *terminus à quo* in dextra est C. *ad quem* cIↃ, uti idem sed paulo obscurius docet p. 62. edit. Lips. t) ap. Pierium Hieroglyph. lib. XXVIII. qui hæc verba addit: *idem gestus in dextra sed non ex Beda sententia 7000. computabat.* Nimirum iterato ordine, qua ratione unum in læva, numeratur in dextra cIↃ, ubi *terminus à quo est* cIↃ, *ad quem* ccIↃↃ. Sed plura de hoc more, præter adductos, *Colvius* ad Apulej. Gruter. libr. I cap. 8. suspicion. *Pareus* Elect. Plautin. p. 89. seqq. *Gyrald.* dialogism. 2. *Erasmus* appendice ad Scholia in Lib. I. Hieron. contra Jovinian. T. II. p. 49. & in Scholiis ipsis p. 39. sq. *le Moyne* T. II. Varior S. p. 805. sq. *Franc. Sanctius* in Paradox. p. 75. sq. & quis non?

u) cap. 2. Fortuit. x) Orat. 44. ibique Elias Cretensis y) libr. III. Noct. Attic. cap. 10. z) lib. I. in Somn. Scipionis cap. 6. Add. *Martian. Capella* libr. VII. de Nuptiis Mercurii & Philologiæ. *Lindebrog* ad Censorin. cap. 7. de die Natali. *Philo, Hippocrates, Lactant.* Libr. VII. cap. 14. *Cesarius* Nazianzeni frater Dialogo IV. &c. E recentioribus *Strauchius*, Breviario p. 155. sq. *P. Petitus*, III. 3. Misc. *Masius* ad Jos. VI. 15. *Grotius* p. 66. sq. explicat. Decalogi. *Doughtejus* p. 486. sq. Analect. a) Homil XVI. in Genesin. Sic alii quoque Sancti Patres. Augustin. Hieron. b) libr. III. de Architectur. cap. 1. *Ovid.* in Fastis: *Annus erat decimus cum luna receperat orbem: Hic numerus magno tunc in honore fuit, Seu quia tot digiti per quos numerare solemus, Seu quia bis quino fœmina mense parit.* c) περὶ τῆς εἰς τὰ προπαιδεύματα συνόδου p. 341. seqq. edit. Hoeschelii. Alexander Aphrodisæus in problematis: τέλειος ὁ ἑπτὰ καὶ δέκα τῇ φύσει ἀριθμός. Marcianus Mineus Felix Capella l. c.

§. 6.

Cum itaque è perfectis numeris constare septuagenarius crederetur, ipse simul cum numeri magnitudine incrementum perfectionis accepisse videbatur. Unde perfectum vitæ spatium LXX. annis terminari putabant. Macrobius in somnium Scipionis: f) *Cum vero decas, qui & ipse perfectissimus numerus est, perfecto numero i. e.* ἑπτάδι *jungitur, ut aut decies septem aut septies deni computentur anni, hæc à Physicis creditur meta vivendi, & hoc vitæ humanæ perfectum spatium terminatur, quod quisquis excesserit, ab omni officio vacuus soli exercitio sapientiæ vacat.* Laërtius de Solone: g) Σόλων δὲ ὅρον ἀνθρωπίνου βίου φησὶν ἔτη ἑβδομήκοντα, ubi vide, quæ ex Herodoro, Plutarcho aliisque eruditissimus Casaubonus adnotavit. Versus Solonis, qui â Clemente Alexandrino h) ac Philone Hebræo i) referuntur, ecce hi sunt:

Παῖς μὲν ἄνηβος ἐὼν ἔτι νήπιος, ἕρκος ὀδόντων
Φύσας ἐκβάλλει πρῶτον ἐν ἑπτ' ἔτεσιν.
τοὺς δ' ἑτέρους ὅτε δὴ τελέσει Θεὸς ἑπτ' ἐνιαυτοὺς,
ἥβης ἐκφαίνει σήματα k) γεινομένης.

decas ultra omnes habenda, quæ omnes numeros diversæ virtutis ac perfectionis in se habet. adde Joh. Diaconum ad Hesiodi Theogoniam. d) de denario Pythagorico. e) de annis Climactericis. Henrici Ranzovii de annis Climactericis meminit Salmas. p. 73. sq. Id. p. 76. memorat orationem de annis Climactericis a quodam Professore Leidensi habitam, in qua annum 70. esse climactericum Rerum publ. voluit ostendere, quod Judæi anno 70. captivitatis liberati, Tyrus post 70. annos a Prophetia Esaiæ deserta, post alios 70. restaurata; intra idem tempus contigisse expugnationem Athenarum & victoriam Atheniensium. Edidit etiam Petrus Bongus librum de mysteriis numerorum, qui non pauca sine dubio habet, quibus non hic tantum, sed & de ipso septuagenario agentes uti possemus. Cum autem librum illum conferre hactenus non licuerit, cum illo plura in aliam occasionem servabimus, ubi de hoc ipso numero diligentius agendi locus erit.

f) l. c. g) lib. I. p. 36. edit. H. Stephani h) lib. VI. strom. p. 494. edit. Heinsii. i) libro περὶ κοσμοποιΐας p. 18. Solon ad Croesum apud Herodot. p. 6. Ἐς γὰρ ἑβδομήκοντα ἔτεα οὖρον τῆς ζωῆς ἀνθρώπῳ προτίθημι. Mimnermus Solonem refutavit, 80. annos putans vitæ terminum esse. Vid. Voss. p. 18. Poet. gr. Staseas Peripateticus teste Censorino duas hebdomades ad decem Solonis adiecit, plenæ vitæ spatium annos 84. putans, quos qui prætererit, facere quod stadii cursores vel quadrigæ cum extra finem procurrunt. k) Cl. σπέρ-

τη

τῇ τριτάτῃ δὲ γένειον ἀεξομένων ἐπὶ γυίων
Λαχνοῦται, χροιῆς ἄνθ@ ἀμειβομένης.
τῇ δὲ τετάρτῃ πᾶς ἐνὶ ἑβδομάδεσσιν l) ἄριςος
ἰσχὺν, ὅτ' m) ἄνδρες σήματ' ἔχουσ' ἀρετῆς.
πέμπτῃ δ' ὥριον ἄνδρα μεμνημένον ἄρ' γάμου n) εἶναι
καὶ παίδων ζητεῖν ἐξοπίσω o) γενεήν.
τῇ δ' ἕκτῃ περὶ πάντα καταρτύεται νό@ ἀνδρός,
οὐδ' ἔρδειν p) ἔθ' ὅμως ἔργ' ἀπάλαμνα q) θέλει.
ἑπτὰ δὲ νοῦν καὶ γλῶσσαν ἐν ἑβδομάσιν μέγ' ἄριςος r)
ὀκτὼ δ' ἀμφότερα s) τέσσαρα καὶ δέκ' ἔτη.
τῇ δ' ἐνάτῃ ἔτι μὲν δύναται μαλακώτερα t) δ' αὐτοῦ
πρὸς μεγάλην ἀρετὴν γλῶσσά τε καὶ σοφίη. u)
τῇ δεκάτῃ δ' εἴτις τελέσας κατὰ μέτρον ἵκοιτο x)
οὐκ ἂν ἄωρ@ ἐὼν μοῖραν ἔχοι θανάτου.

Quod Plinius quoque Junior respexisse videri poteſt, dum Corellii Rufi ætatem qui LXVIII. ætatis annum agens ſeptuagenario proximus inedia ſe confecerat, robuſtiſſimis etiam ſatis longam eſſe ad Tironem Caleſtrium y) ſcribit. Atque hic limes humanæ vitæ à Moſe etiam poſitus eſt Pſalmo XC. commate 10. quod in hunc modum reddit Dionyſius Petavius;

ἤτοι γὰρ βί@ ἄμμιν ὑπὲρ γαίης ὅγε πλεῖς@
ἑπτ' ἐτέων δεκάδες.

Ante eum Æmylius Portus:

Ημῶν πλῆθ@ ἐτῶν γίνεται μόνον ὀκτάκις ὀκτὼ
ἠδ' ἓξ πρὸς τούτοις, τόδε γὰρ τέλ@ ἔσχατον ἔσκει

ματα. l) Cl. πᾶς τις ἐν ἑβδομάδι μέγ' m) Cl. ἦντ' n) id. γάμου μεμνημένον o) εἰς ὀπίσω Cl. p) id. ἐσιδεῖν q) Cl. ὁμῶς ἔργα ματαία r) μέγ' ἄριςος Cl. s) Cl. ἀμφοτέρων. t) id. μετριώτερα u) id. σῶμά τε καὶ δύναμις. x) Cl. ὅτε δὴ τελέσῃ Θεὸς ἑπτ' ἐνιαυτούς. y) lib. I. Epiſt. 12.

Ανδρομέης βιοτῆς, ὐ πᾶσι μὲν ἀνδράσι. αὐτὰρ

Αυτῶν τοῖς πλείςοις.

Apollinaris antiquus Psalterii Metaphrastes, pluris faciendus Poëta quam vel Stephanus vel Petavius judicavit:

ζωῆς ἀνδρομέης δεκάδες χρόνυ ἑπτὰ πέλονται. *

§. 7.

LXIV. exempla eorum, qui septuagenarii obierunt, vir diligens Gregorius Richterus in Axiomatibus suis Oeconomicis z) collegit, quibus ut numerus LXX. constet, hosce sex addimus: Vitum Amerbachium, Balthasarem Brunnetum, Joh. Caselium, Davidem Chytræum, Michaëlem Neandrum & Franciscum Portum. a) Sed inter eos, quos Richterus refert, Davides quoque legitur, de quo lepidum Judæorum commentum memorat B. Scherzerus b) quod sic habet: *Mille anni sunt dies unicus*, (ex Psalmi XC. commate 40.) *horum dierum unum largitus erat DEUS Adamo. Viderat autem Adam prophetico spiritu, Davidem in utero matris moriturum, ergò de millenario suo largitus ipsi est LXX. annos, unde hic LXX. ille vero* 930. c) *annos vixit.*

§. 8.

Eorundem Judæorum, sed & aliquorum è Christianis animos insedit vulgatis traditio, quæ LXX. gentes totidemque linguas in orbe dispersas esse perhibet. Numeri hujus fundamentum sunt LXX Noachi nepotes totidem

* Vid. Esaiæ XXIII. 15. Nescio an huc quoqe 70. dies spectent, quibus Ægyptii mortuos lugebant. Gen. L. 3. conf. Gyraldum de vario sepeliendi ritu c. 17. Derbices sepuagenarios vita privasse dicuntur passim. hunc adeo vitæ terminum agnoscentes.

z) p. 50. seqq. a) fide Casparis Conradi in millenar. prosopographiæ melicæ. Addantur: Bened. *Arias Montanus.* Jo. *Bonifacius.* *Clemens* VIII. ante Hippolytus Aldobrandinus. Conr. *Dasypodius.* Achilles *Gagliardus.* Hieronymus de *Huerta.* Jo. Frid. *Lumnius*, Lucas *Osiander*, Dionysius *Petavius.* *Raymundus* Gurcensis. Georgius *Reeb.* Thomas *Reinesius*, Martinus *Rulandus.* M. Ant. Coccus *Sabellicus.* Siegfr. *Saccus.* Jo. de *Santiago* s. de S. Jacobo. Bartholomæus *Silvaticus.* Wenceslaus *Sturmius* Jo. Otto *Tabor.* Alex. *Valignanus.* Raphael Maffeus *Volaterranus*, Fulvius *Ursinus.* Mich. *Walther.* Petrus *Ximenius.* b) operæ pret. oriental. prope finem. c) in Hieronymi Chronico male editum est 910.

fami-

familiarum capita d) vel LXX. filii Iſraëlis, qui ingreſſi ſunt terram Ægypti. Quin & phialas huc trahunt à ſingulis principum Iſraëlis dedicatas, quarum unamquamque LXX. ſiclorum argenti, e) fuiſſe conſtat. Hiſce vero gentibus Judæi LXX. etiam angelos principes in cœlo præficiunt, uti præter Bocharto f) citatos teſtatur R. Joſeph Jachiades commentario ad Danielem. g) Pro iisdem LXX. nationibus mundi, feſto ſcenopegiæ totidem juvencos offerebant, ut pluvia deſcendat ſuper totum mundum. h) Earum nomina Scaliger in Excerptis Euſebianis exhibet, i) & meminit Cedrenus *ἑβδομήκοντα ἐθνῶν οἰκοδομούντων τὸν πύργον*, k) quam turrim LXX. graduum altitudinis fuiſſe iidem l) aſſerunt, cum ab ea exſtruenda à LXX. Architectis deſiſteretur. Factum id autem poſtquam DEUS LXX. angelis totidem nationum principibus dixit: *Venite, confundamus linguam eorum*, quod à R. Elieſere m) ſcriptum accepimus. Ridicula vero quorundam Rabbinorum ſententia eſt, qui *ante confuſionem putant fuiſſe LXX. linguas, & confuſionem fuiſſe tantum oblivionem, ut cum omnes & ſinguli antea LXX. callerent, poſtea quælibet tantum ſeptuageſima hominum pars unam ſolam retinuerit.* n) Ridicula, inquam, hæc & poſita ſuper lapide inanitatis. Quid enim clarius verbis Geneſeos XI. commate 1? *καὶ ἦν πᾶσα ἡ γῆ χεῖλος ἕν, καὶ φωνὴ μία πᾶσι*, quæ non ineleganter interpretatur Philo Judæus *περὶ συγχύσεως ὀνομάτων.*

d) Buxtorf. diſſertat. de confus. linguar. p. 78. ſeq. e) Numer. VII. f) in Phaleg. p. 60. add Buxtorf. p. 83. g) ad cap. X. v. 13. p. 207. edit. L'Empereur Amſterd. 1633. in 4. Verba hæc ſunt: *Septuaginta populis reſpondent in cælo LXX. principes, & hoc ratione Iſraëlitæ habent principem unum, ſcilicet Michaëlem.* ἔστησεν ὅρια ἐθνῶν κατὰ ἀριθμὸν ἀγγέλων θεοῦ. Deut XXXII 8. ad quem locum Baſilidianos etiam ſingulis populis ſortito angelos obtigiſſe ſtatuentes reſpicere notat Petav ad Epiph. p. 42. Adde fragmentum græcum quod ex MS. Bibl Regis Galliæ profert Cotelerius ad Patres Apoſtolicos T. I. p. 513. ubi gentes illæ enumerantur. Ægyptii Cynocephalum pingentes terrarum orbem intelligebant, quod jam olim LXXII. habitati orbis regiones fuerint, Cynocephalus autem LXXII. demum diebus poſt mortem contabeſceret. Horapollo p. 5. Græcum locum nec in ſuo Phaleg adduxit Bochartus. Mirum autem eſt, quod Pierius p. 75. Hieroglyph. non LXX. ſed. LXII. memoret. h) Ligtfoot. Hor. Hebr. & Talmud ad Joh. VII. v 37. i) p 60. k) compend Hiſtor p. 9. edit. Baſil. l) Leusden. Philol. Hebræo-mixt Buxtorf l. c. p. 83. m) ap. Leusden. l. c. n) refert B. Scherzerus operæ pret. Oriental. p. 96.

§. 9.

§. 9.

Alii o) non LXX, ſed LXXII. gentes linguasque admittunt, quibus totidem angelorum chiliades p) providens quorundam curioſitas cuſtodes tutelaresque DEOS finxit. Fuere qui LXXII. linguis legem primum ſcriptam, q) alii, qui LXXII. libros r) in ſacro codice reperiri putarunt, ut tot nationibus reſponderent. Quidam LXXII. Chriſti γενεὰς à Luca recenſeri pie exiſtimavere, ut hoc etiam documento Jeſum ad omnes LXXII. mundi gentes ſalvandas in mundum veniſſe s) confirmaretur.

§ 10.

Sed & LXX. diſcipulos t) Chriſtus in mundum miſiſſe dictus eſt, ut

o) vid. Bochart. Buxtorf. &c. l. c. p) ex Bocharto Scherzer Syſtem. l. c. qui occaſionem eis notat fuiſſe dictum Chriſti Matth. XXVI. 53. ubi δώδεκα λεγεῶνες ἀγγέλων commemorantur. Legionem enim ajunt eſſe 6000. unde duodecim legionum numerus 72000. emergit. Sed modo plus militum in legionibus, modo minus fuit, uti ex Savilio, Lipſio, Salmaſio &c. conſtat. Et ex ipſo Evangeliſtæ loco numerus turbari facillime poteſt. q) vid. Friſchmuth de LXX. Biblior. interpretibus §. 2. Eiſenmenger entdecktes Judenthum l. p. 57. Moſes ante Mortem 70. linguis legem interpretatus dicitur in libro de morte Moſis p. 62. adde Gulmini notas p. 309. ſq. r) ſi nimirum duodecim Prophetæ minores pro uno libro habeantur, qui juxta Nicephori Patriarchæ CPolitani στιχομετρίαν habet verſus 3800. Solent autem XII. iſti Prophetæ antiquis fere unicum librum notare, uti ex Theodori Balſamonis ſcholiis ad carmen Gregorii Nazianzeni, *quinam libri V. & N. T. ſint legendi*, aliis item innumeris videre eſt, quos ſummos Vir P. Pithœus adducit p. 20. Operum editorum Paris. 1652. in 4. Sic βίβλος τῶν προφητῶν. Act. VII. 42. δωδεκαπρόφητον, Tereaſar. Vide & numerationem librorum Canonis ap. Joſephum & in Bava bathra & aliis. Auctor ὑποθέσεως προφητειῶν ab Hœſchelio editæ & poſtea T. VIII. Crit. Angl p. 23 inſertæ οἱ μὲν inquit ιβ ἑνὸς ἀξιοῦνται τεύχους, οὐχ ὡς συγχρονίσαντες, ἀλλ' ἐπεὶ ἐν ὀλιγοστίχα ἦν. &c. Adde & Cartwright V. 2. mellific. Ebr. Sed ut ad rem veniamus, illud, quod dixi, confirmare videtur Iſidorus Hiſpalenſis libr. I. de officiis Eccleſiaſticis cap XI. *Quoniam*, inquit, *LXXII. linguæ erant in hoc mundo diffuſæ, congrue prævidit Spiritus S. ut tot libri eſſent, quot & nationes, in quibus populi & gentes ad percipiendam fidei gratiam ædificarentur.* Qui LXX. gentes, LXX. etiam libros numerant, in hanc ſententiam adducunt IV. Eſræ XIV. 47. 48. s) eſt hoc σχῆμα B. Irenæi notatum illuſtri Voſſio de *genealogia Chriſti*, qui huc maxime facit.

t) Luc. X. atque hunc numerum habet Euſeb. III. 7. Demonſt. & l. 10 Hiſt. Eccl. defendit autem Grotius, Calov. &c. ad h. l. Bebel. Antiquitat. ex IV. Evangeliſtis p. 185. ſqq. Gerhard. Harmon. Evangel. c. 97. & Seldenus lib. II. de Synedriis p. 109. ſeqq. Per-

omni-

omnibus gentibus Evangelium annunciarent. Qui cum alii fuerint ab illis XII. u) quos Apostolos κατ' ἐξοχὴν vocamus, non incommode LXX. palmis, quas propter Αἰλείμ Moabitarum opidum luxuriantes cum XII. fontibus Israëlitæ offenderant, x) a Sanctis Patribus y) comparantur. Quod non ignobilis Poëta Prudentius z) hisce versibus expressit:

Devenere viri duce Mose sex ubi fontes
Et sex forte alii vitreo de fonte rigabant
Septenas decies palmas, qui Mysticus olim
Lucus Apostolicum numerum libris quoque pinxit.

Baronius a) Cornelius a Lapide b) Maldonatus c) aliique Pontificiorum, ut vulgatam suam deserere ne cogantur, LXXII. Christi discipulos fuisse antiquis quibusdam præeuntibus contendunt. Ac festive prorsus Vincentius de Bandalis d) LXXII. Theologos ordinis prædicatorum eisdem adjungit. Nec minus apposite quidam e) collegium LXXII. Cardinalium juxta numerum discipulorum Christi constitutum celebrant. Confucius quoque ille Sinensium Socrates f) ab iis, qui vitam ipsius scriptam reliquerunt g) in cæteris secta-

peram vero Anacletus epist. 2. decretali fictitia ait, 70 discipulos ab Apostolis electos esse. Epiphanius ex iis nominat Stephanum, Philippum, Prochorum, Nicanorem, Timonem, Parmenam, Nicolaum & ante hos Matthiam, qui ad viduarum obsequium fuerint delecti. Tum Marcum, Lucam, Justum, Barnabam, Apellem, Rufum, Nigrum &c. Jo. Sambucus edidit Tab. de LXX. Discipulis Christi & cujusque loco, dignitate, morte, nomine, latine factam ex B. Dorothei Codice vetustissimo. Dorothei MS. Gr. ex quo nomina LXX discipulor. aliter quam in latinis editis habentur, recensei Lambecius B. V. III. p. 51. LXX. discipulor. nomina juxta Nicephorum Xanthopulum, habet Camerar. historia Christi. p. 202. sqq. u) Id Barthius lib. XLII. Adversar. cap. 7. probat ex verbis Lucæ: καὶ ἑτέρους ἑβδομήκοντα. Alii exinde, quod Mathias ex ordine τῶν LXX. ad Apostolatum provectus sit. x) Exod XVI. y) Theophylacto, Origene, Euthymio &c. z) Terrastich. XV. a) T I. Annal. ad A. C. 33. p. 135. seqq. b) In cap. X. Lucæ. c) In eundem locum. d) Ap Scherzerum de concept. Mariæ maculata. e) Baron. Tom X. Annal. aliique ap. Seldenum II de Synedriis p. 116. f) Vid. programma spectabilis Dni Decani in nuper. promotione Magisteriali. g) Verba hæc sunt in Confucii vita p. 119. *Discipulos numeravit 3000. ex iis omnino quingentos extitisse memorant, qui variis in Regnis Magistratus gesserint, qui præ cæteris autem virtute literisque eminerent, duos &*

toribus ſuis LXXII. præcipue diſcipulos habuiſſe memoratur, qui reliquis virture & ſapientia præſtiterint.

§. 11.

Quod ad Cardinales attinet, ſunt, qui LXX. tantum h) Johanne Octava & Sixto quinto ordinantibus ad numerum ſcilicet LXX. ſeniorum Iſraëlis inſtitutos arbitrantur. Quibus mirum eſt ni LXX. illos Monachos apponunt, quos *Fronto Petrogericæ civitatis Epiſcopus ad ſerviendum Domino congregaſſe* fertur i) *quibus cum victus in deſerto S. Veji deficeret, præfectus ejus opidi Squirius per ſomnum monitus* LXX. aſinos *cibis onuſtos eo ablegavit, qui ab onere per Frontonem liberati ad Squirium redière occaſioque fuerunt illi ad fidem.* Neque gratis putant Auguſtinum k) obſervaſſe, numero ſeptenario decuplato Spiritum Sanctum ſignificari. Sed de LXX. illis ſenioribus latius dicendum eſt nobis.

§. 12.

Falſum enim eſt quod cum vulgaritate doctis etiam aliquibus perſuaſum fuit, Moſen Iethronis l) ſoceri conſilio m) LXX. n) ſeniores ſibi ſubſtituiſſe,

ſeptuaginta fuiſſe, quorum adeo nomina, cognomenta, & qua quisque patria ſit oriundus memoriæ proditur. Quod itidem excellentiſſ. Domino Decano debere nos ingenue profitemur.

h) vide Selden. l. c. i) Vincentius Barralis Chronol. Sanctorum Inſulæ Lerinenſis p. 286. ſeq. ex MSS. Monaſterii S. Pontii Nicienſis. k) Quæſt. 103. in Exod.

l) Qui Mahumedanis *Soabib.* (ap. Seldenum I. de Synedriis p. 336.) *Judic.* I. 16. קיני (unde cognationes ſcribarum Kinitæ apud eundem. l. c. p. 343.) LXX. interpretibus κιναῖος dicitur. Leusdenius in Onomaſtico notat, eundem Exod. II. 18. vocari Raguel. Atqui Raguel juxta eundem eſt *Paſtor DEI* ſeu *Amicus DEI*, quod erat Jethro. Adde Selden. p. 348. & 357. m) locus eſt Exod. XVIII. n) Primum de numero tum de poteſtate illorum Seniorum videbimus. Recte notavit in *Philologo* ſuo *Hebræo-mixto* Cl. Leusdenius, Judæis circa numerum LXX. fidem raro habendam eſſe. Sed, inquis, LXX ſeniorum mentio expreſſa Exod. XXIV. 1. & 9. Imo vero, inquam; Sed talis, quæ non confirmare, ſed infringere potius illum numerum videatur. Nam uti οἱ ὁ recte interpretati ſunt ἑβδομήκοντα πρεσ-

qui

qui ad judicum forensium instar o) Israëlitas regerent. Potius tum demum, cum à DEO p) illud facere juberetur è senioribus populi Moses LXX. selegisse dicendus est, cui iidem tanquam principi juncti, LXXI. q) numero magnum *συνέδριον* r) constituerunt.

πρεσβυτέρων Ἰσραήλ, *è Senioribus Israëlis* & versu 9. ἑβδομήκοντα τῆς γερουσίας Ἰσραήλ, non obscure probant plures fuisse, præcipue cum id aliis etiam rationibus adstrui queat. Dicitur enim Moses Exod. XIIX. 25. Deuteron. I. 15. ποιῆσαι χιλιάρχους, ἑκατοντάρχους, πεντηκοντάρχους, δεκαδάρχους. Si Josepho fides, etiam μυριάρχους, πεντηκοσιάρχους, τριακοντάρχους, εἰκοσιάρχους constituit. Numerum autem Israëlitarum majorem sexcenties millibus fuisse è sacris literis constat. Quomodo igitur non plures vel Chiliarchæ extiterint? conf. quæ habet Joh. Seldenus libr. I. de Synedriis cap. 15. Cæterum γερουσίας τῶν υἱῶν Ἰσραήλ absque numero LXX. mentio Exod. III. 16. IV. 29. &c. πρεσβυτέρων τοῦ λαοῦ, XIX. 7. XXIV. 14. III. Reg. VIII 1. &c. Si vero ratio ex nobis quæratur, cur DEUS Exod. XXIV. ex illis senioribus LXX. nec plures nec pauciores montem cum Mose ascendere voluerit, dicemus respexisse eum vel ad numerum LXX. animarum, quæ cum Jacobo in Ægytum venerant, de quibus §. 14. vel LXX. seniorum à Mose Numer. XI. constituendorum, &c. vel libere ita egisse. y) Nunc de potestate illorum presbyterorum par est ut agamus. Quæ tanta sane non fuit, *ut qua vellent aliter, tam circa sacra, quam profana constituere valerent*, (Selden. l. c. p. 347.) & quomodo potuit in Theocratia? neque ejus generis, ut magistratum gerere viderentur, quod ipsis etiam Synedrii magni assessoribus denegat Bornitius *de Synedrio magno cap.* 2. neque tanta, quæ cum magni Synedrii assessorum possit comparari; ejus nihilominus arbitrii, ut è re nata de rebus gestis statuere & juxta legem domini quascunque causas dijudicare liceret, difficilioribus duntaxat & forte capitalibus Mosi reservatis. Adde Seldeni cap. XV. & XVI. libri I. qui pag. 351. negat chiliarchas majoris dignitatis ac decanos fuisse, quod exinde non videtur, quia juxta ipsius doctissimi viri calculum 60000. decadis à 600. chiliadibus continentur, unde negari non potest chiliarcham 100. etiam decanis, utpote qui sub chiliade sua comprehendebantur, præfuisse. Quare non capio verba p. ead. *Scilicet pro varia tribuum familiarumque dispositione, quis non videt etiam decanum, quem detur decem familiis præfuisse, non pauciores personas nec causas pauciores, aut minus graves sua in præfectura ac ditione habere cœpisse, ac chiliarcham?* p) Num XI. 16. seqq. q) Grotius, Drusius & alii LXXII. qui vel τοῖς LXX. Eldadum & Medadum, vel Mosi principi vicarium summumve Sacerdotem adjungunt. Atque ita *librale Indictum* vocant, quod libra auri LXXII. aureis æstimetur) (vid. Jurisconsultissimum

§. 13.

Atque ita jam nunc definit quæri, quid de LXX. illis factum sit cum DEUS totidem denuo per Mosen constitui juberet Numer. XI. In quo problemate solvendo varii varia commenti sunt. R. Bechaj mortuos eos putat, cum in Tabera ultionem divinam meriti fuissent. Fridlibius s) occisos arbitratur, *vel ob negotium vituli, vel ob murmurationes.* Bornitius t) *nullos a Mose denuo selectos, sed illis ipsis majorem tantum dignitatem a DEO concessam* contra conceptissimum Mosis locum asserit. Bertramus u) *non tam constitutum a DEO LXX. numerum, quam continuatum esse* conjectat. &c. Sed his non indigemus, si statuamus ex amplissima presbyterorum multitudine DEUM libera voluntate, uti LXX. homines cum Mose ad se in montem vocavit Exod. XXIV. ita cum eodem & per eum alios LXX. ex eorundem seniorum numero dicastas ac judices universo populo præfecisse.

§. 14.

Putant aliqui DEUM in LXX Senioribus constituendis respexisse ad to-

Cujacium lib. XVII. Observat. cap. 9. ubi & Episcopum testibus LXXII. damnari docet.) Rectius Vossius Harmon. Evangel. adnumerato Mose non plures LXXI. statuit, quem numerum Seldenus II. *de Synedriis* cap. 4. Bornitius cap. 3. confirmat r) si Rabbinos audiamus, hujus collegii singulos, LXX. linguarum gnaros esse oportebat, ne, qui LXX. nationum mundi causas judicabant, aliquem ex ore interpretis audire cogerentur. *Singulos* dico cum Buxtorfio *dissertat. de confus. linguar.* pag. 82. Bocharto *Phaleg* p. 60. Leusden. Philol. Hebræo-mixt. p. 11. &c. Adde Gaulmin. p. 311. sq. not. ad mortem Mosis, ubi docet, ex Rabbinorum sententia ad regnum etiam ineptos fuisse linguarum 70. non peritos. vide & Selden. L. II. c. 9. de Synedriis. Bornitius enim, qui cap. 3. *universos* intelligit, defendi vix potest, neque Rabbinorum verba illum sensum absque στρεβλοτητος admittunt. Plura de Sanhedrin dabunt, qui Remp. Hebræorum scriptis de illa editis illustravere, Sigonius, Cunæus, Bertramus, L'Empereur, Reimerus, Conringius dissertat. de Rep. Ebræorum &c. Præcipue autem magnus ille Seldenus lib. II. de Synedriis & III. Bornitius item ac Vorstius, D. Henrici, Frischmuth, Schickardus, Rieschius. Freisleben & alii.

s) Tom. I. Theol. Exeget. p. 243. add. 253. t) cap. 2. dissertat. de Synedriis. u) cap. 5. de Rep. Hebræorum.

tidem

tidem animas, quæ cum Jacobo in Ægyptum venisse dicuntur Gen. XLVI. 27. Exod. I. 5. Devteron. X. ult. Qua occasione & de his aliquid dicendum. Constituunt autem familiam Jacobi, ejus filii XII. & filia Dina. Rubenis filii quatuor, Simeonis sex, tres Levi, quinque Judæ, cum duobus ex Pharez nepotibus. Issachatis quatuor, tres Zabulonis, Gad septem, quinque Aser, & duo ex Batia nepotes. Josephi duo, Benjaminis decem, Dan unus, quatuor Naphthali. Ex his, LXVI. qui femur x) Jacobi egressi erant, cum Jacobo in Ægyptum profecti sunt, quibus si ipsum Jacobum, Josephum, qui jam in Ægypto erat, ac natos ipsi in Ægypti terra duos filios addas, jam habebis LXX. Mirum autem videtur, quod in Actis y) ἑβδομηκονταπέντε numerantur. Neque erat quod denuo post tot alios objiceret Veneris ille æditnus plagiariusque impudentissimus Adrianus Bevetland insulsissimo schediasmate de peccato originis z) Jam Sancti Patres & objecerunt hoc sibi, & solvere conati sunt. Hieronymus, Augustinus & alii. Eucherius Episcopus Lugdunensis, qui medio seculo quinto floruit lib. I. Instructionum: *Constat*, inquit, *eo tempore, quo Jacob ingressus est Ægyptum cum Josepho filiisque ejus Ephraim & Manasse LXX. animas tantum fuisse, ibi vero, ubi LXXV. animarum numerus refertur, quasi per anticipationem filios etiam nepotesque Ephraim & Manasse numerandos putavit, quos postea in Ægypto natos divina relatio lectionis* a) *ostendit*. b) Ergo igitur Textui τῶν ό c) hi quinque

x) de hac phrasi Heins. cap. 1. Aristarch. Sacr. y) cap. VII. v. 14. Librariorum negligentia erratum putant plerique Papistarum & Calvinianorum. Andreas Osiander *marginal. ad h. l.* Franzius *de interpret. Scriptura* &c. ex editione τῶν ό tum recepta hoc erroris Stephanum hausisse credunt. Quod male dicitur de homine pleno Spiritus S. qualis erat Stephanus Act. VII. 55. Potius constat ex Actorum loco, interpolatam τῶν ό versionem, qui ἑβδομήκοντα adhuc habent Deuteron. X. 22. Ita ex Lucæ III. 35. 36. iidem correctores Gen. X. 24. Cainanem inseruere. Alii non πέντε sed πάντες legunt, quod nec sibi displicere fatetur B. Glassius lib. I. Philol. Sacræ p 168. z) p. 125. a) 1. Paralip. VIII. (juxta Græcam editionem VII.) 14. 20. 21. b) Obiter notetur, in ejusd. Eucherii *formulis spiritualis intelligentiæ cap. ult.* pro 62. reponendum esse 70. quod cuivis legenti perspicuum est. Extat ille liber MS. in Bibliotheca illustris Guelforum Academiæ no. 64. in 4. ex quo variantes lectiones ad marginem à Cl. Madero collectas in locupletissima Excellentiss. Ittigii Bibliotheca oculis usurpavimus. c) Gen. XLVI.

additi sunt postlimino: Filius Manasse Machir, exque hoc nepos Gilead. Filii Ephraim Suthelah & Taam, Filius Suthelah Edom.

§. 15.

Numerum animarum, quæ cum Jacobo in Ægyptum profectæ erant, sequuntur LXX. anni captivitatis, d) quorum mentio Jerem. XXV. 11. 12. XXIX. 10. Dan. IX. 2. II. Paralip. XXXVI. 21. &c. Notissimum autem est, vel ex Esræ I. 1. eorundem terminum quærendum in primo anno Cyri Monarchæ, hoc est A. M. 3419. Period. Jul. 4183. Judaicæ 3230. ut initium incidat in A. M. 3349. Period. Jul. 4113. Judaic 3160. cum Jechonias Babylonem à Nabuchodonosore captivus duceretur. Hunc septuagenarium infelicitatis cum tristissimus Daniel consideraret, missus Gabriel à DEO, ut solaretur orantem Prophetam, nobile vaticinium de LXX. hebdomadibus eidem annuncians. Quæ cum fatentibus plerisque 490. annorum spatio absolvantur, unde principium calculi sumendum, ubi terminus ponendus, *αὕτη ἡ ἐλάτη* e) *ὑπὲρ ἧς ἱμονομάχων πρὸς ἀλλήλους* viri docti. f) Dicit autem

ex citato Paralipom. loco. Plura hujus generis additamenta notavit Usser. Syntagm. de LXX. interpret. p. 12.

d) His Syriacam liguam ortam esse putat Brerewod. scrutin. linguar. cap. 9. quod ab aliis rectius negatur. e) Lucian. Eunuch. T. IV. p. 160. f) Et dici non potest quanto opere maximi etiam viri hoc in loco hallucinentur. Sed verissime illustrissimus Heros Joseph. Scaliger p. 190. Epist. *In rebus obscuris ut errare necesse est, ita fortuitum non errare.* Nos hic Cl. Wasmuthii sententiam fere secuti sumus, quod illa minimis difficultatibus urgeri videatur. Neque n. nostrum est singulorum *νοήματα* dijudicare tantasque lites componere, & *quis mittet manum suam inter excellentes orbis, definiturus id in quo diffident.* (Abarbanel. ap. Scherz. de peccato in Spir. S.) Atque factum jam illud singular. dissertat. à Viris Summis B. Dorscheo, Frischmuthio, Strauchio, Codomanno, Calixto &c. ut Wasmuthium in Vindiciis, Chronologias interpretesque ad Danielis locum allatum prætercam, quos evolvere quilibet potest. Contra Judæos adduxisse sufficiat, hebdomades illas quater amplius à vaticinii tempore effluxisse, cum de Messia loqui Prophetam ipsi non diffiteantur. Adde Raimund Martini pugion. fidei lib. II. cap. 2. Mornæum de Veritate Relig. cap XXIX. Hornbec. de convincendis Judæis lib. II c. 8. Cœterum hebdomas *pro septem* annis Lev. XXV. 8. Gen. XXIX. 27. Aristoteles VII.

Ange-

Angelus ab eo tempore, quo mandatum de extruendis denuo Hierosolymis publicabitur, ad Christi Novique fœderis tempora VII. hebdomades, & LXII, & unam interjici. Puclicatum illud 1. Anno Monarchiæ Cyri juxta II. Paralipom. XXXVI. Esr. I. II. & III. Septem hebdomadis h. e. LIX. annis g) restauratæ sunt Hierosolymæ, ab anno 1. Cyri Monarchæ h) ad annum Artaxerxis Mnemonis I. i) qui incidit in A. M. 3543. Period. Jul. 4307. Judaicæ 3354. A quo LXII. hebdomades seu anni CCCCXXXIV. decurrunt ad annum Christi XXX. quo munus suum Propheticum Servator publice auspicatus est. A. M. 3977. Period. Jul. 4741. Jud. 3788. Dionysiano XXVIII. Atque hoc est quod dicitur sanctissimum, Christum unctum iri, Danielis IX. commate 24. Septuagesima hebdomade Christus à Judæis crucifixus est, quod Propheta prædixit v. 26. καὶ ἐξολοθρευθήσεται χριστός. Postea Solymæ cum templo suo devastatæ sunt nunquam restaurandæ juxta v. 27. Reliqua Theologi melius viderint.

§. 16.

Nunc de LXX. interpretibus veteris instrumenti, quorum toties meminimus, superest ut agamus. k) Ptolemæus nimirum Philadelphus l)

Politic. οἱ ταῖς ἑβδομάσι διαιροῦντες ἡλικίας. Varro ap. Nonium, se jam duodecimam annorum hebdomadam esse ingressum. Neque enim cum Origene possis hebdomadam citra absurditatem de *septuaginta* annis interpretari, cum desolatio Hierosolymæ, cujus in vaticinio mentio fit, ante multas annorum centurias acciderit. g) Esr. III. 10. 11. Joh. II. 20. Sed intercalantur 76. anni, vide Eucher. p. 41. Wasmuth. Vindic. p. 248. seqq. 301. seqq. h) quo mortuus est Daniel. Vide ipsius cap. I. v. 21. Tertius annus Cyri cujus mentio X. 1. non de Monarchia ejus sed regno Persico intelligendus. i) Sunt anni 125. Sed 76. uti diximus τοῖς 49. intercalantur.

k) At breviter. Neque enim syntagma de hac versione scribere animus est, sed historiam uti nobis verisimilior esse visa fuit, declinatis quibusdam contrariis opinionibus proponemus. Cum enim plures LXX. de hac interpretatione sententiæ in medium afferri queant, illis singulis dijudicatis suam firmiter statuere, ac minima quæque sectari, non meum, sed vix septuagenarii per integrum vitæ tempus in libris versati opus esse videatur. l) Non Ptolemæus Lagi, uti præter passim citatos Conring. de Biblioth. Augusta p. 52. Jonsius de scriptor Histor. Philos. p. 100. Rein[illegible]ius de famil. La-

infinito

infinito zelo Regum Attalicorum, *cupiditatisque incitatus studio* m) postquam maximam librorum vim n) sibi comparasset, sacros etiam Judæorum libros Bibliothecæ suæ inseri voluit, quod sciret in iis præclara non pauca contineri. Rogavit itaque ut illi ab Eleazaro sibi mitterentur, nullisque sumtibus pepercit o) quo petiti sui particeps fieret. Sed scriptos libros videt ea lingua, quam nec ipse Ptolemæus Rex, nec qui cum eo erant intelligebant, exiguo proinde usui sibi futuros esse, nisi in græcam linguam convertantur. Igitur ab eodem Eleazaro Pontifice petiit homines legis peritos, Græcæ ac Hebraicæ linguæ gnaros, qui libros illos p) Græco idiomate q) redderent. Misit Eleazarus LXXII. r) de singulis tribubus Israëlis s) senos,

gidar. p. 48. ita statuunt, ut saltem dubitare videantur. m) Vitruvius præfat. lib. VII. Ex quo perspicuum est, Philadelphum non eo tempore quo cum Ptolemæo Lagi simul regnabat (uti volunt Voss. de Histor. Gr. ejusque filius Isaacus, ex veteribus Anatolius ap. Scaligerum ad Euseb. &c. sed vix anno regni sui 32. de hac versione cogitasse. Atque hanc Julii Africani sententiam Scal. etiam defendit p. 135. Euseb. Dicitur enim Philadelphus imitatus reges Pergamenos, qui regnante jam per plures annos Philadelpho Bibliothecam suam instituerunt. Neque id fecit instinctu Demetrii Phalerei, uti cum plurimis veterum volunt Voss. Wower. Usser. cap. 1. de LXX. & Tom. I. Apoal. ad annum 4437. Matthiæ in Theatro p. 361. seq. add Caussin. lib. I. de eloqu. cap. 37. Mayer. dissert. de LXX. §. 29. seqq. n) vid. Mayer. §. 27. o) vid. Joseph. lib. XII. A. I cap. 2. Justinus in Apologia II. dicit Herodem a Ptolemæo rogatum, qui est anachronismus. p) non tantum Pentateuchum, sed libros V. T. universos. Eadem enim cupiditate reliquos habendi flagravit Rex Ptolemæus, qua Mosen, & Justinus Martyr βίβλυς προφητειῶν interpretatos affirmat, ut Origenis Hexapla & MSS. in Bibliothecis omittam, quæ non quinque tantum libros Mosis sed totum V. T. continent. Vide de hoc Usser. Bonfier. *Praloqu.* Walton. Wower. cap. 9. Hottinger. Leusden. Calov. &c. Quæ Is. Vossius cap. 7. habet, cum non probet, gratis dicit. Neque illo argumento nos moveri patimur, quo aliqui negant fieri potuisse, ut brevissimo LXX dierum spatio (quo perfectam illam versionem ex supposititio Aristea testatur Josephus, Cedrenus, Abbas Urspergensis p. 16. Chron.) tot tantorumque librorum interpretatio perficeretur. Quid enim si singuli partem interpretari fuerint? Quid si falsa esset de LXX diebus traditio? q) Non latino, uti habet Nicolaus Vernulæus Epitom. historiar. p. 53. edit. Lovan. 1654. in 4. forte librarii errore. r) Qui numero rotundo fere LXX. vocari solent, add. Hottinger. Thesaur. p. 289. seqq. ac totidem scribas à Ptolemæo ipsis additos narrat Pseudo Gorionides. Zwinglius ineptit, dum hanc versionem dicit vel 70 vel 70000. interpretum. Nec minus illi qui ex numero horum interpretum totidem, nec plures hæreses in mundo esse volunt. Miror autem viros magnos loco quodam in Tal-

qui

qui collatis inter se exemplaribus t) incredibili diligentia Alexandriæ u) talem versionem sacrorum V. T. librorum adornarunt, ut elegantissima x) illa, nec à LXXII. sed ab uno y) confecta esse videretur. Atque hæc est prima illa Versio græca z) quam Christi Ecclesia maximi semper fecit, a) quam θεόπνευστοι viri in N. T. toties allegarunt, b) quam utinam integram c) nec toties interpolatam d) haberemus! Etsi enim Hebræi codicis auctoritati incorrupta etiam longissime concederet e) inter versiones tamen jure meritoque primus ipsi locus f) deberetur.

mude, ubi quinque tantum interpretes memorantur, ita fascinari, ut numerum LXX. in dubium vocent, cum in ipso etiam Talmude non LXX. tantum interpretum sed & cellularum mentio fiat, ut tot aliorum testimonia prætereamus. s) Quod Scaliger objicit de decem tribubus, jam solvit If. Vossius de LXX. p. 9. t) Hinc cellulæ illæ, hinc consensus celebrari cœpit. Nicetas: διῃρημένως τὴν τῆς διαλέξεως μεταβολὴν ποιησάμενοι μίαν ἐν ἑκάστοις ἔννοιαν καὶ λέξιν ἀποδεδώκασιν. ap. Hottinger. Dissertat. Theolog. philol. p. 230. conf. Wower p. 49. Bellarmin. II. de V. D. Bonfrer. &c. u) alii in Insula Pharo, minus recte. x) ut nihil addi nihil demi posset. vide SStos Patres passim. y) quod contra communem sententiam verius existimat Scal. p. 101. Epist. z) Ex Clemente & Aristobulo ap Euseb. Antiquiorem multi recentiores agnoscunt, quam viderit Ptolemæus, legerit Plato, Pythagoras & alii Philosophorum. vide Hottinger. Thesaur. p. 281. seqq. Mayer. §. 31 43. sed rectius hoc negare videtur Frischmuth. §. 4. a) Voss. cap. 1. Leusd. p. 22. Hottinger. Calov. & Pfeifer, *Critic.* Bonfrer. Wower. cap. 6. seqq. Etiam ap. Judæos maximæ auctoritatis fuit, qui in Synagogis eam prælegerunt. Quod negat Lightfoot. addend. ad hor Hebraic. c. VII. ac, recte, si de Judæis Hierosolymitanis s. Hebraistis intelligatur, qui jejunium quotannis ob eam interpretationem instituerunt 8 mensis Tebeth, de quo Selden de anno civil. veter. Judæor. cap 8. extr. tanto odio illam prosequebantur. Si de Hellenistis, non item. b) Neque id tamen semper vide Bebel. antiquit ex IV. Evangel: p. 237. Gerhard ad 1. Petr 1 25. præter jam citatos. c) non corruptam, quod tum socordia librariorum ac imperitia, tum impudentia ac malitia aliorum factum. Vives lib. I. de causis corrupt. art. narrat, *sacros libros qui à LXX. versi sunt in græcum, pugione fuisse transfossos, ut quadam verba legi nullo modo potuerint.* His atque similibus modis factum ut interpretatio τῶν ο undiquaque vitiis inquinata prostitueretur. Quæ a. hodie est vel in correctissimis exemplaribus diversitas; lege quæso Morini Epist. ad Junium *Eccles. Oriental. Antiquitat.* p. 409. sqq. ut omittam, quæ ex Grammaticis, Philone, SStisque Patribus variarum lectionum plaustra afferri possent. d) ab Origene, Luciano, Hesychio. (Quorum hic is ipse est auctor lexici græci, quem pro pagano scriptore homines infruniti tam diu habuerunt) & post hos à tot aliis. vid. Wower. cap XI. sqq. e) contra Christoph. Lauretum. (Casaub.

§ 17.

Ut τὰς ἔξω etiam tangamus, Varro togatorum doctissimus LXX. annos natus LXX. librorum hebdomades scripsisse fertur. g) Sed & Oribasii nota ἑβδομηκονταβιβλος h) cujus 25. libri de LXX. supersunt. Ejus nominis scriptor i) præfat. Comment. ad Hippocratis Aphorismos: *Sed & ego ipse*, inquit, *commentarios conscripsi monente Ptolemæo Evergete post LXX. perfectissimorum Medicorum examinationem, qui una medicinam prælegerunt & Philosophicas quæstiones discusserunt*. Si Argonautarum nomina ex Orpheo, Flacco, Hygino, Apollonio & Apollodoro non indiligenter computentur, LXX. fuisse deprehenduntur.

§. 18.

Strabo & Agathemeris lib. II. Geographiæ auctores sunt LXX. Chiliades stadiorum universi orbis latitudinem æquiparare. Neque mirabitur hoc in veteribus, qui maximam orbis partem ipsis incognitam cogitaverit. Hodie scimus lati-

Epist. p. 354. edit. Grævii.) If. Vossium &c. vid. Hulsii, Wasmuthii aliorumque contra hunc scripta edita. f) adversus Papistas, qui vulgatam Τεῖς ἐ præferunt. Atque hæc de versione LXX. virali dicta sufficiant.

g) Gell. III. 10. Noct. Attic. h) ita vocat Paulus Ægineta. nec ipse Oribasius præfat. ad Epitom. plures LXX agnoscit. Quam recte in collectaneis suis Suidas LXXII. nominet, non constat. Idem Oribasium κοιαίστορα h. e. quæstorem Juliani vocat, quod non videtur intellexisse Otto Brunsfeld Catal. Medicor. qui Græcam vocem retinuit. Cedren. p. 250. de Juliano: πέμπει τὸν Ὀριβάσιον τὸν ἰατρὸν καὶ κοιαίστορα. add. Meurs. Glossar. Græcobarbar. Plura de Oribasio Eunapius (qui per πάτριον Θεὸν Æsculapium intelligit, de quo Serenus: *Qui colis Ægeas, qui Pergama quique Epidaurum.*) Junius adagio: οὐδὲ κορυδαλλὶς ἄνευ λόφου. Reinesius Eponymologico, quod utinam publico tandem darent qui possunt. i) Paschalis Gallus Bibliothec. Med. notat Gesnerum mirari, quod Andernacus (qui id libri edidit Basil. 1535. in 8.) non olfecerit illud scriptum Oribasii haud esse. Ac illius Oribasii, qui sub Juliano vixit, propterea esse non potest, quia Ptolemæi æqualem se dicit. Sed hac ratione Galeno etiam, quem non semel citat, longe esset antiquior, quod & Meibom. observat comment ad ὅρκο Hippocr p. 10 Dicamus itaque mendum esse in voce *Ptol. Everg.* quomodo autem restituendum sit, non liquere.

tudi-

tudinem terræ esse stadiorum 172800, si 32. stadiis *unum milliare Germanicum* confici ponamus. Anno 1554. Ceylonenses k) pro dente simiæ religiose ab iis culto & in monte Adami intercepto Lusitanis 70000. ducatorum obtulerunt.

§. 19.

Unum adhuc herbæ genus superest, quod Indum quendam attulisse à Theophrasto in literas relatum accepimus. Utrum Bangue fuerit uti quidam l) suspicantur, an alia potius herba, Medicorum judicium esto. Eam qui assumebant ἑβδομηκοντάκις facere m) potuisse à Theophrasto dicuntur, cujus verba apponam ex libri IX. περὶ Φυτῶν capite XX. Θαυμασιωτάτη δὲ (θηλυπτερὶς) ἣν ὁ Ἰνδὸς εἶχεν, ἢ γὰρ προσενεγκαμένοις, ἀλλ' ἁλειψαμένοις ἔφασαν ἂν τὸ αἰδοῖον τείνεσθαι, τὴν δύναμιν δ' οὕτως ἰσχυρὰν εἶναι, ὥσθ' ὁπόσαις ἂν βούλοιντο πλησιάζειν. Τοὺς δὲ χρησαμένους φάναι καὶ ἑξήκοντα δύο. n) αὐτὸν γοῦν λέγειν (καὶ γὰρ ἦν ἰσχυρὸς καὶ μέγας) ὅτι ἑβδομήκοντά ποτε πλησιάσειε. Τὴν δὲ πρόεσιν αὐτῷ τοῦ σπέρματος εἶναι κατὰ σράγγα, τελευτῆς δὲ εἰς αἷμα ἀγαγεῖν. Ἔτι δὲ σφοδροτέρως ὁρμᾶν τὰς γυναῖκας, ὅταν χρήσονται τῷ φαρμάκῳ. Quibus si fidem habemus, veri similius fit quod de Cleopatrâ scribens Antonius inducitur o) *eam una nocte C, & VI, virorum concubitus in lupanari sumto cu-*

k) *ex Linschotano Hennin, ad Iuvenal. p.* 967.

l) *ap. Garman. de miraculis mortuor. p.* 109. m) facere pro ἀφροδισιάζειν *Boeclero notante ponitur ap. Vellejum II.* 83. Multa mehercle fecit Antonius pridie quam tu illum relinqueres. *Sic, Schol. Iuvenal. ad VI.* 37. & 378. Patratio *ap. Schol. Persii ad I.* 18. est rei venereæ perfectio & consummatio. *Alia doctis ad Petronium & Apulejum.* Scal ad illud Catulli *parum expatravit.* p. 34. Lucretius: *Nam facere interdum velle & certare videntur.* Propert. III 9. *Ne faceres Galla multa rogante tua.* Plautusq; Asinar. V. 2. 23. *Ille opere foris faciundo lassus advenit, Fundum alienum arat, incultum familiarem deserit.* Facere filios. Drus. annotatt 2. ad N. T. p. 141. n) *Sic lego, cum vulgo* δώδεκα *edatur. Puto enim Theophrastum scripsisse* ιβ, *pro quo* ιβ *librarii legerunt.* o) *Genuina siquidem illa Epistola nullo modo esse potest. Quod præter scabram latinitatem vel hemistichion docet depromtum ex Iuvenal, Sat.* 6. v. 128. *nisi ni fallor*

 culle

cullo pertulisse, *neque exiisse satiatam*, quodque de Messalina geminum fere habet Juvenalis lib. II. Satirarum. p) Ne Hercules contra has fœminas sufficiat quem LXX. filios habuisse, q) sed & una nocte r) quinquaginta virgines διαπαρθενεῦσαι fabulæ mirantur. Neque Proculum his opponas, quem XV. dierum spatio Centum virgines Sarmatarum ἐγκυμόνας ποιῆσαι Vopiscus s) memoriæ prodidit.

§. 20.

Ἀλλὰ t) περὶ μὲν τούτων μέχρι δεῦρο ἡμῖν λελέχθω. Poterant plura de hoc numero dici, sed quæ alia forte occasione afferemus. Nunc cum Athenagora u) οὐ τὸ μηδὲν παραλιπεῖν τῶν ἐνόντων εἰπεῖν πεποιήμεθα σκοπόν. Sed cum Sulpicio x) *sufficere credidimus, si tantum excellentiora notarentur*. Interea y) BENEDICTUS SIT MISERICORS QUI NOS JUVIT.

jam Cl. Barthio notatum est in Adversariis. Subjicitur autem cum aliis ejusdem farina Priapeis Scioppii p. 125. seq. p) *Sat. VI v. 118. seqq.* q) *Loënsis Epiphyllid. ap. Gruter. Tomo V. Lamp locus jam non succurrit. In sacris literis Ahal & Gideon quoque LXX. filios habuisse commemorantur.* r) *Scholiastes Hesiodi p. 225* ἡρακλῆς ἐν μιᾷ νυκτὶ πεντήκοντα διεκόρευσε κόρας. *Alii septem, Tzeza in Chiliad. II. 224. quinquaginta noctibus hoc ab Hercule factum cum aliis antiquioribus asserit, unde vel hoc argumento illa ad Hesiodum Scholia Tzezæ esse non possunt. Cæterum de Hercule VVover. Polymath. p. 92.* s) *p. 966. edit. Schrevel. Conf. P. Crinit lib VIII. de H. D. cap. 7.*

t) *Apollodor lib. 1. Bibliothec.* u) *de Resurect. p. 192. edit. L. Rechenbergii.* x) *vita B. Martini edit. Vorst. p. 176.* y) *R. Maimonides de Idololatria.*

DE

DE ANTIQUORUM PHILOSOPHORUM, STOICORUM MAXIME CAVILLATIONIBUS EXERCITATIO

INDULTU AMPLISSIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ
IN PRIORIS PRO LOCO DISSERTATIONIS ARGUMENTUM PROPONENDA

A
M. JOH. ALBERTO FABRICIO, Lipſ.

DIE XVI. MART. ANNO M. DC. XCII.

LIPSIÆ, Typis Christiani Scholvinii.

VIRO,
PLURIMUM REVERENDO ATQUE
AMPLISSIMO
DOMINO STEPHANO FABRICIO,
MERITISSIMO GARDINGENSIUM PRIMARIO
PASTORI
DOMINO PATRUO SUO
PARENTIS INSTAR
VENERANDO
EXERCITATIONEM HANC ACADEMICAM
CONSECRAT
M. JOHANNES ALBERTUS FABRICIUS.

A. Ω.

I.

Postquam Philosophia rationalis semel excoli cœpit, ejusque usus à præstantissimis ingeniis per omne genus disciplinarum demonstrari: mirum videri qveat, repertos fuisse in veteribus Philosophis, qui ad Physicam tantum Ethicamqve incumbentes, Dialecticam susqve deqve habuerunt, habendamqve esse docuerunt. Nisi forte in hanc sententiam eos impulit aliorum vecordia, qvi cum Dialecticæ usum ad alias transferre Disciplinas debuissent, ratiunculis sqalidiùs utebantur, & in illis Dialecticæ, ut loquitur Gellius, gyris atque mæandris tanquam ad Sirenios scopulos consenescebant. Quod periculum non mediocre quo evaderet Epicurus, neque eidem discipulos suos objectaret, maluit tali Philosophiæ rationalis studio prorsus abstinere, & in sensibus, penes quos κριτήρια veritatis statuebat, naturalique rationis judicio ac regula acquiescere; Logicam vero totam qualis ab aliis tradebatur Philosophis, veluti deliramenta illius scientiæ contemsit atque irrisit. E contrario Academici, Dialectici, Eristici, Sceptici & plerique è Stoiçis Dialecticam non tantum minime neglexerunt, sed fere alias disciplinas in Dialecticas cummutatum ivere disceptationes: Philosophia rationali turpiter abusi ad varii generis captiosas argumentationes construendas atque excogitandas, quibus possent veluti laqueis impedire unumquemque, cui contradicere constituissent.

II.

Magnum ejusmodi Sophistarum jam ante Aristotelis tempora numerum extitisse, ex Elenchis illius Sophisticis potest intelligi. Quem librum frustra in Discussionibus Peripateticis Philosopho abjudicat Franciscus Patricius, per quem si staret, non modo parum laudis vel gloriæ, sed nullus pæne liber Aristoteli relinqueretur. Non mediocriter interim ad Stagiritæ laudem facit, quod inter tot Philosophorum agmina solus fere Logicam non pœnitenda videatur ratione tradidisse. Ut cum ab ejus ætate nemo majus studium, nemo plus judicii ad Philosophiam rationalem excolendam inque usum vertendam attulerit, nemo vicissim ab eo extiterit, qui accuratius doctiusque Sophistarum docuerit

docuerit fallaces conclusiunculas evitare. Unde non est cur miremur, vix cuiquam magis exosum esse Aristotelis nomen, atque illis, quos quam frequentissime sophisticari & volsellis contortarum captionum se defendere juvat. Egerat autem ex instituto Philosophus contra Sophistas non tantum in libro qui superest de Sophisticis Elenchis, quem Philoponus ac Michaël Psellus ex antiquis illustrarunt, sed in pluribus etiam scriptis aliis, quorum tituli apud Diogenem memorantur. Huc enim referendi videntur Σοφιστής, περὶ Ἐριστικῶν, λύσεις ἐριστικῶν, διαιρέσεις Σοφιστικῶν &c.

III.

Omnia Sophismata, quas cavillationes Cicero appellat, Aristoteles ad tredecim genera revocavit, quorum sex παρὰ τὴν λέξιν, septem ἔξω τῆς λέξεως ait consistere. Quæ cum in omnibus vulgatis Logicorum libellis explicentur, futileque fuerit tempus terere in iis prolixe exponendis, saltim nominasse ea liceat. Sunt itaque in dictione: Homonymia, Amphibolia, σύνθεσις, διαίρεσις, Accentus, & figura dictionis. Extra dictionem: paralogismus accidentis, à dicto in genere ad dictum πρός τι (ac vicissim) Ignoratio Elenchi, fallacia consequentis, petitio principii, secundum non causam ut causam, & plurium sub una delitescentium interrogationum. Quare tenemus, inquit Aristoteles, ex quibus fiunt paralogismi: παραπλείω μὲν γὰρ οὐκ ἂν εἶεν, παρὰ δὲ τὰ εἰρημένα ἔσονται πάντες. Ex pluribus enim locis esse nequeunt, sed ex commemoratis locis omnes ducentur.

IV.

Non putandum est, Aristotelem non intellexisse, tredecim ista Sophismatum genera ad pauciora posse reduci, cum ipse doceat & ostendat, universa referri posse ad unicum genus, quod ignorationis elenchi appellavit. At neque vicissim existimare debemus, intra numerum tertium decimum stetisse Sophisticam antiquorum post Aristotelis maxime tempora Philosophorum. Nam tametsi omnia ad unum ex tredecim illis, & ad ignorationis elenchi denique fallaciam revocari quodam modo posse non diffitemur, variis tamen modis præter illos à Philosopho in libro de elenchis adductos Sophismatum usi deprehenduntur Parmenides, Euclides Megarensis, Eubulides Milesius, Zeno Eleates & Cittieus, Stilpo, Diodorus, Alexinus, Chrysippus & alii.

V.

Si Gerhardi Johannis Vossii quem promisit liber de *Cavillationibus Stoicorum* lucem aspexisset, nihil superesset forte, quod de hoc argumento post tanti

tanti Viri diligentiam in literas mitti posset. Cum vero liber ille fatis viri summi interceptus fuerit, neque nihil præsto sit quod post Gyraldum, Stengelium aliosque in medium afferri queat; opportunum putavi in Sophismatum quorundam evolutionem dissertationis unius ac forsan alterius argumentum impendere, tenebrisque veterum Sophistarum quæ priscis autoribus passim memorantur lucem aliquam affundere. Quæ cognitio vitiosarum argumentationum, autoris Rhetoricorum ad Herennium judicio, duplicem utilitatem afferet, nam & vitare in argumentatione vitium admonebit, & ab aliis non vitatum commode reprehendere docebit.

VI.

Nomina tortuosorum, ut Hieronymus appellat, acuminum, quæ præsenti exercitatione enarrabo, hæc sunt: (1) ἀντιστρέφον quod Gellius non absurde reciprocum dici posse putat. Anceps argumentum video appellari Lucio Apulejo in Floridis. Parum differt ab eo quod idem Gellius lib. IX. cap. 15. ἄπορον & inexplicabile, Cicero tortuosum vocat ac pseudomenon, de quo tantum librorum scriptum esse Seneca testatur. Lactantius ἀσύστατον & instabile, alii ἰσάζον, Gyraldus dialogo tertio de Poëtis insolubile & reflexum dicit. Neque multum ab his recedit, quod alii Crocodiliten, item πρίονα sive serram nuncupant. (2.) Ceratine, Politiano cap. 54. Miscellan. cornea dicta, quam κέρατα sive cornua appellat Lucianus. (3.) ὅτις. (4.) Sorites, & ἐρώτησις σωρητικὴ, acervus sive acervalis cavillatio dicta à Cicerone. In Eclogis græcis legis 177. tituli de verborum significatione vocatur εἰρωνεία. (5.) λόγος ἀργὸς quem ignavam rationem idem Cicero appellat, vetus Origenis interpres supervacaneam orationem. Aliorum vero paralogismorum, uti λόγου Ἀχιλλέως, Ἠλέκτρας, ἐγκεκαλυμμένου λόγου, θερίζοντες, φαλακροῦ, διαλανθάνοντος &c. expositione in proximum tempus rejecta, appendicis loco subjiciam explicationem argumentationis Stoicorum quam vocabant διὰ δύο τροπικῶν.

VII.

Ἀντιστρέφον est vitiosum argumentum, quod referri contra controvertique potest in eum à quo dictum est, ut utrumque pariter valeat. Definitio hæc sive descriptio petita est ex Gellii lib. 5. cap. 10. ubi inter vitia argumentorum longe maximum esse τὸ ἀντιστρέφον contendit. Eidem Gellio lib. 9. cap. 16. vitium insidiosum & sub falsa lemmatis specie latens appellatur. Affine, uti

 dixiums,

diximus, eſt Crocodilitæ, quam exquiſitis ambiguitatibus annumeravit Quintilianus lib. I. Inſtit. Orat. cap. 10.

VIII.

Exempla hujus Sophiſmatis veteres paſſim ſuppeditant. Decantatum inprimis eſt quod primo referam loco. Imo prætermittam, quia nihil eo eſt protritius. Sed ne quis vel notiſſima requirere poſſit, ecce illud. In Scholiis ad Hermogenem & apud Sextum Empiricum ſecundo adverſus Mathematicos legitur Corax poſt mortem Hieronis primus inſtituiſſe Syracuſis Rhetoricen mercede profiteri. Similiter apud Gellium & Apulejum Protagoras Sophiſta Democriti æqualis eloquentiam pretio profeſſus dicitur, quem Protagoram primum Sophiſtæ cognomine veniſſe & ἐριστικὸς λόγους reperiſſe teſtatur Suidas. Coraci Tiſias, Protagoræ Evathlus ſe in diſciplinam dedit, & ſoluta mercedis parte reliquum ſe numeraturum promiſit uterque, quo primum die in judicio cauſam oraſſent ac viciſſent. Interjecto tempore Corax cum Tiſia, cum Evathlo Protagoras litem de didactro conteſtatur. Corax & Protagoras pretium ſibi à diſcipulis deberi contendunt, ſive vicerint, ſive contra ſe lis data fuerit. Nam ſi vicerint, ex ſententia judicum ſibi mercedem deberi, ſi cauſa ceciderint, ex pacto. Quid ad hæc Tiſias & Evathlus? neutra ratione ſe didactrum debere eodem ratiocinandi genere uſi evincunt, ac ſive vicerint ſive non vicerint, nihil à ſe Coraci & Protagoræ eſſe ſolvendum. Aut enim victuros, atque ita judicio dimitti, aut non victuros, atque ita pacto abſolvi.

IX.

Plinius ſecundus in libris Studioſorum, ſive ut Valla legit, Studiorum, geminam controverſiam memorat referente Gellio libri IX. cap. ult. Vir fortis lege jubebatur præmio, quod optaverat, donari. Qui fortiter fecerat, petit alterius uxorem in matrimonium, & accepit. Is deinde cuja ea uxor fuerat, itidem fortiter fecit. Repetit conjugem ſibique deberi ait, & reddendam ab altero ſive placeat ei lex ſive non placeat. Cui ille jure reſpondere poterat, quod & Gellius animadvertit, invertendo Sophiſma: Sive placet lex, non reddo, ſive non placet, non reddo. Thomas Oliverius Medicus Burienſis in libello de præſtigiis Sophiſmatum cavendis cap. 3. hoc in medium affert ψευδομένου exemplum. Ponit figuram quadratam cui inſcripta eſt hæc enunciatio: *omne enunciatum intra hoc quadratum ſcriptum eſt falſum.* Si omnia enun-

enunciata sint falsa, hoc ipsum quoque erit falsum. Imo, inquit, si hoc est falsum, sequitur omnia enunciata in quadraro comprehensa esse vera. Mirifice eo loco super isthoc Sophismate se torquet bonus Buriensis.

X.

Epimenides Cres dixit, Cretenses usque quaque esse mendaces. Sive itaque verum dixit Epimenides, sive mentitus fuit, non est ei fides habenda. Hoc poterit invertere Epimenides ac dicere: Sive verum dixi, sive mentitus sum, est mihi omnino credendum. Nam si verum dixi, quid causæ est cur mihi non creditur? Si vero mentitus sum Cretenses dicendo mendaces, utique fides mihi haberi debet, qui sim Cretensis. Geminum est, quod somniavit quidam ne crederet somniis. Sive enim placet somnium sive non placet, non est fides somniis habenda. Imo vero, inquit ille, si placet, somniis est credendum, & si non placet, somniis est credendum. Huc referri potest illud Chrysippi apud Ciceronem quarto Academicarum: Si dicis te mentiri, verumque dicis, mentiris. Potest enim retorqueri hoc modo: Sive mentitus es, sive verum dixisti, non sane es mentitus quando te dixisti mentiri. Addo etiam quod Crocodilitæ exemplum, ex Doxoparro affert elegantissimus Politianus cap. 55. Miscellan. & ex hoc Brodæus lib. II. cap. 3. Miscellan. aliique. Mulier quædam Ægyptia secus Nili ripas puerum errabundum à Crocodilo ablatum sensit. Rogat ea Crocodilum, ut reddere filium dignetur. Crocodilus respondet se redditurum si verum diceret. Illa accipiens conditionem dixit, Non mihi reddes. Ad hæc sive verum dixisti, ait Crocodilus, sive falsum, non reddo puerum. Nam si verum, quomodo possum reddere? Si falsum, quomodo legi ac conditioni satisfecisti? Mulier invertit: Sive verum dixi sive falsum, puer mihi à te reddetur. Si enim verum dixi, sane ex pacto mihi debes. Falsum autem esse non potest, nisi à te mihi reddatur.

XI.

Fallacia horum Sophismatum consistit in eo, quod universaliter accipiantur, quæ intelligenda erant accommode, neque ita ut argumentum se ipsum ingrederetur atque everteret. Non absurde itaque hoc paralogismi genus referri potest ad ignorationem elenchi. Tisiæ & Evathlo ita cum Corace & Protagora convenerat, ut mercedem eis solverent, quo primum die

in foro causam vicissent. Hoc erat de aliis causis, non etiam de ista super didactro cum præceptore capiendum. Similiter lex quæ constituit, ut is qui fortiter fecerat, præmio quo vellet donaretur, non etiam de iis rebus quæ jam aliis in præmium tributæ fuerant, debuit intelligi. Ita enunciatio intra quadratum posita non de sui ipsius veritate vel falsitate sententiam dicere potest. Et quando Epimenides Cres Cretenses sive Cretas dixit mendaces, non tam stricte hoc accipi voluit, ut nec sibi ipsi unum verum verbum posset excidere. Porro qui somniavit ne crederet somniis, potuit ei saltim hoc in somnio aliquid fide dignum in mentem venire. Neque qui vere dicit se mentiri, potest hoc dictum à se velle tam generaliter acceptum, ut hanc ipsam etiam quam de mendacio suo emiserat vocem, mendacii arguat. Ita mulieris quoque Ægyptiæ ficta cum crocodilo disceptatio, nisi de certo statu intelligatur, se ipsam tollit atque evertit.

XII.

Ceratine est vitiosum argumentum quo aliquis ex imprudenti affirmatione vel negatione quæstionis captiosæ, ad absurdi cujusdam confessionem adigitur. Differt à dilemmate quam cornutam interrogationem vocat Hieronymus contra Helvidium. Meminit Ceratines Clemens Alex. quinto Stromatum, Laërtius in Zenone & Euclide, Lucianus, Quintilianus, Suidas & plerique alii. Seneca acutam vocat delirationem. Nomen accepit ab hoc exemplo quod proposuit Eubulides, Zeno, præterque alios Stoicus Chrysippus: ὅ τι οὐκ ἀπέβαλες, τοῦτο ἔχεις, κέρατα δ' οὐκ ἀπέβαλες, κέρατα ἄν ἔχεις. Quod non perdidisti, habes, cornua autem non perdidisti, cornua ergo habes. Potuisses Chrysippo vicissim objicere: Quod non invenisti, non habes, mentem non invenisti sive accepisti, Ergo mentem non habes. Responsurus erat Chrysippus, se etiam habere quæ non invenisset. Habeat itaque sibi responsum, cornua quoque non habere, qui cornua quia nunquam habuit non potuit amittere.

XIII.

Solebant Sophistæ quem volebant in minuta hæc ac spinosa sua cogere, rogare prius, numquid quæ numquam amisisset, haberet ne: ne? Quod cum ille sine διαιρέσει concederet, hinc cornubus & quocunque volebant prædi-

præditum eum esse argumentabantur. Si negaret habere se quæ non perdidit, extemplo oculis captum concludebant. Commode igitur, ut alia quibus futilitatis convinci potest prætercam, hoc sophisma refertur ad captionem quam plurium interrogationum dixit Aristoteles. Vide Gellium lib. 16. cap. 2. Neutiquam vero hujusmodi nugæ tricæque cordatioribus Stoicis probabantur, è quibus Seneca: *Non redigo ad legem dialecticam, & ad illos artificii veternosissimi nodos. Totum genus istud exturbandum judico, quo circumscribi se qui interrogatur existimat, & ad confessionem perductus aliud respondet, aliud putat. Pro veritate simplicius agendum est, pro veritate fortius.* Passim alibi vafras hujus generis cavillationes idem vir gravissimus explodit, passim quoque in eas invehitur in aureis illis Epicteticis dissertationibus Arrianus. Sed ad alia mihi properandum.

XIV.

Οὔτις *est vitiosum argumentum, quo ἐκ τοῦ τινὸς πρὸς τὸν οὔτινα colligitur*, sive, ut loquuntur in scholis, à particulari ad universale. Stoici hominem non hunc aut illum sed in genere consideratum οὔτινα ἄνθρωπον appellabant, quasi dicas non individuum humanum, sed notionem hominis in genere. Putabant illi Universalia non ut Platoni visum, rebus antiquiora, neque cum Aristotele rebus immersa esse, sed rerum in animo nostro impressas notiones. Unde nominales Stoicorum sectatores esse innuit Aventinus observante B. Jacobo Thomasio. Cavillationis illius hoc exemplum affertur: Εἴ τις ἐστὶν ἐν Ἀθήναις, οὐκ ἔστιν ἐν Σπάρτῃ. ἄνθρωπος δέ ἐστιν ἐν Ἀθήναις, οὐκ ἔστιν ἄρα ἄνθρωπος ἐν Σπάρτῃ, Laërtius in Zenone: οὔτις λόγος ἐστὶ συντακτικὸς, καὶ ἐξ ἀορίστου καὶ ὡρισμένου συνεστώς. πρόσληψιν δὲ καὶ ἐπιφορὰν ἔχον. οἷον οὔτις ἐστὶν ἐνταῦθα, οὐκ ἔστιν ἐκεῖνος ἐν Ῥόδῳ. Affine huic est Sophisma quod refert Gellius lib. XVIII. cap. 13. Ut alia mittam, quibus vitiositas hujus argumenti coargui potest, nemo non videt manifesta ludi homonymia. Chrysippus de eo tribus egerat libris, uno ad Menecratem, altero ad Pasylum, tertio ad Epicratem.

XV.

Non tamen eſt confundendus iſte paralogiſmus cum alia vocis οὖτις homonymia, quæ occurrit apud Poëtam nonô Odyſſeæ, tametſi ſophiſmatis quod οὔτινα vocari diximus, originem inde pleriſque placuit arceſſere. Fertur ibi Ulyſſes perſuaſiſſe Polyphemo, ſibi nomen eſſe Utis.

> Οὖτις ἐμοίγ' ὄνομ' ἐς' οὖτιν δέ με κικλήσκουσι
> Μήτηρ ἠδὲ πατὴρ ἠδ' ἄλλοι πάντες ἑταῖροι.

Cumque deinde Polyphemum oculo truncaſſet, & ad inſanum ejus clamorem Cyclopes accurrerent, & quis injuria illum affeciſſent ex Polyphemo rogarent, Utin hoc feciſſe reſpondit Polyphemus. Cyclopes vero, à nemine (hoc enim ſonat vox οὖτις) eum offenſum arbitrati, neque de proprio viri nomine ſuſpicantes abierunt, Polyphemumque inultum deſeruerunt.

XVI.

Sorites Sophiſticus eſt vitioſa coacervatio argumentorum, quibus à prima propoſitione minuatim & gradatim oratio deducitur ad propoſitionem, cujus prædicatum cum prima propoſitionis ſubjecto per interjecta male convenit vel cohæret. Soritem Sophiſticum dixi, ne quemlibet Soritem, qui neceſſariis undiquaque connexis conſtat, vitii arguere videar. Captioſiſſimum Sophiſmatis genus eſſe Cicero teſtatur. Chryſippo in ſpecie tanquam inventori tribuitur à Perſio, Martiale, Sidonio, & aliis. Confer Grotium ad lib. II. Martiani Capellæ. Talis Sorites occurrit primo de natura DEorum: Quoniam Deos beatiſſimos eſſe conſtat, beatus autem eſſe ſine virtute nemo poteſt, nec virtus ſine ratione conſtare, nec ratio uſquam ineſſe niſi in hominis figura, hominis eſſe ſpecie Deos confitendum eſt. Notius eſt illud apud Vallam, petitum ex Plutarcho: Quod ego volo idem mater, quod mater, idem Themiſtocles, quod Themiſtocles, item populus Athenienſis, igitur quod ego volo, idem populus Athenienſis. Plura exempla occurrunt apud Sextum, Laërtium, & alios. Compluribus quoque libris de Sorite egerat Chryſippus, cujus Σοφιστικωτάτου viri volumina ætatem tuliſſe magni debeant mercari Sophiſtæ. Unum adhuc Soritæ exemplum juvat apponere ex Senecæ

necæ ſeptimo de beneficiis, quo ſapiens leno eſſe concluditur. Is cujus proſtitutæ ſunt; leno eſt. Omnia autem ſapientis ſunt. Inter omnia autem proſtitutæ ſunt. Ergo & proſtitutæ ſapientis ſunt. Leno autem eſt cujus proſtitutæ ſunt, Ergo ſapiens eſt leno.

XVII.

Differt à Sorite Ἐρώτησις σωρητικὴ, *eſtque cavillatio, quæ captioſis interrogationibus aliquid minutim addit aut demit.* Petita eſt hæc definitio ex Ciceronis quarto Academicarum Quæſt. Unde intelligis quoque duplicem fuiſſe Stoicis acervum, *ſtruentem & ruentem.* Struentem quo aliquid additur, Ruentem quo aliquid minutim demitur captioſis interrogationibus. De utroque B. Rappoltus in Logica Gelliana cap. IX.

XVIII.

Λόγος ἀργὸς* *eſt vitioſum argumentum, quo actiones hominis propter fatum vel aliam frivolam rationem inutiles & ſupervacanea eſſe colliguntur.* Recte hoc genus argumentationis ignavum atque iners nominatum eſt, quod, ut ait Cicero, ſi ei pareamus, nihil eſt omnino, quod agamus in hac vita. Meminit ejus Origenes ſecundo adverſus Celſum p. 73. & Cicero de fato. Exemplum λόγου ἀργοῦ hoc eſt: Si fatum tibi eſt ex hoc morbo convaleſcere, ſive tu medicum adhibueris ſive non adhibueris, convaleſces. Item ſi fatum tibi eſt non convaleſcere, ſive medicum adhibueris ſive non, non convaleſces. Et alterutrum fatum eſt: Medicum ergo adhibere nihil attinet. Chryſippus captioſum eſſe hoc argumentum ipſe oſtendit, quia tam ſit fatale medicum adhibere quam convaleſcere, quæ confatalia ille appellavit. Poſſit referri iſte paralogiſmus ad fallaciam cauſæ non cauſæ ut cauſæ, item conſequentis &c. Inprimis ad fallaciam quam vocant compoſitionis & diviſionis.

XIX.

Simile quodammodo argumenti genus eſt, quo uſus fertur Zeno apud Plutarchum de Stoicorum repugnantiis, contra legem quæ (jure proculdubio)

* ῥῆμα ἀργὸν Matt. 12. 36.

utram-

utramque partem in judicio audiri jubet. Aut is, inquit Zeno, qui prior dixit, rem demonstravit, ut jam invento quod quærebatur nihil expediat alterum audire: Aut non demonstravit, tum perinde est ac si vel non comparuisset in judicio, vel inani oratione auribus judicum obstrepuisset. At enim vel demonstravit vel non demonstravit, ergo non est audiendus qui secundo loco erat dicturus. Zenoni Plutarchus opponit quod contra Platonis libros de republica scripserit. Aut enim, inquit, demonstravit Plato ea quæ in Republica scripsit, aut non demonstravit. Utrum horum ponas, non erat necessarium sed vanum à Zenone contra scribi. Fere eodem genere collectionis usus est adversus Hieronymum Augustinus, cum novam de Hebræo Bibliorum versionem adornasset. Scriptura aut manifesta est, aut obscura. Ubi manifesta, quomodo obscura nec intellecta esse potuit LXX. ante te interpretibus? Ubi obscura, quomodo tibi quam illis manifestior esse potest? Vanum itaque laborem in versione nova condenda insumsisti, sive scripturam consideres quoad perspicuum, sive quoad obscurum fundit sensum. Acute respondit Hieronymus, objiciens Augustino quæ in Psalmorum librum & in alios quosdam Scripturæ codices, post complures aliorum ante se labores, commentaria ediderat.

XX.

Plura tendicularum ejusmodi Dialecticarum genera supersunt, quorum §. VI. memini, sed quæ in aliud tempus rejicere est animus. Jam hinc opinor intelligis picturam Logicæ quam refert Marcianus Capella sub initium libri quarti de Philologiæ ac Mercurii Nuptiis. Describit enim mulierem acri visu vibrantibus continua mobilitate oculis, crinibus tortuosis, sub pallio vipetinas insidias occultantem. Quæ omnia Dialecticæ veterum Sophistarum mirifice conveniunt.

XXI.

Habuerunt etiam Stoici genera argumentorum, quæ Sophismatis quidem annumeranda non sunt, incommoda tamen citra injuriam possis appellare. Tale est, cujus expositionem appendicis loco subjicere recepi, quod vocabant λόγον διὰ δύο τροπικῶν. Mentio ejus tum apud Galenum libro II. de dogmatibus Hippocratis ac Platonis, tum apud Sextum libro Hypotypo-

typoſeon Pyrrhonianarum ſecundo, tum inprimis apud Origenem ſeptimo adverſus Celſum, cujus poſtremi locum inſignem egregie reſtituit & illuſtravit Henr. Valeſius in Epiſtola ad Sartavium, quæ à Guilelmo Spencero in notis ad Origenem exhibetur. Legitur enim apud Origenem p. 341. corrupte διὰ δύο προφητικῶν, quæ vox nihili illo loco eſt, & à librario, qui quid ſibi vellet διὰ δύο προπικῶν neſciebat, temere intruſa. Omnino itaque legendum τροπικῶν, tametſi τρόπων malit Stephanus Lemonius notis ad Varia Sacra p. 498. Eſt vero τρόπος teſte Laërtio σχῆμα λόγου, qui conſtat ἐκ λήμματος, προσλήψεως καὶ ἐπιφορᾶς. v. g. Si eſt A, eſt B: atqui eſt A, ergo eſt B. τροπικὸς idem eſt, uti ex Sexti lib. VIII. contra Mathematicos conſtat, quod λῆμμα ſive propoſitio. v. g. Si eſt A, eſt B. Jam quid ſit λόγος διὰ δύο τροπικῶν videamus.

XXII.

Λόγος διὰ δύο τροπικῶν eſt argumentatio, qua per duo conſequentia ſibi invicem contraria, antecedentis falſitas evincitur. Exemplum hoc affertur ab Origene. Sit antecedens: Scio me mortuum eſſe. Hujus falſitas per λόγον διὰ δύο τροπικῶν, hoc modo demonſtratur. Si ſcis te mortuum eſſe, mortuus es, ſi ſcis te mortuum eſſe, non es mortuus, non ergo ſcis te mortuum eſſe. Probabant vero duas illas propoſitiones connexas, primam quidem hac ratione: Si ſcis te mortuum eſſe, eſt plane id quod ſcis: id autem quod ſcis, eſt te mortuum eſſe, ergo mortuus es ſi ſcis te mortuum eſſe. Alteram ita confirmatam dabant: Si ſcis te mortuum eſſe, ſcis ac ſentis aliquid, nempe quod ſis mortuus. Atqui mortuus nihil ſcit nec ſentit, igitur ſi ſcis te mortuum eſſe, non es mortuus. Ex quibus ſequitur manifeſte iſta concluſio, non ergo ſcis te mortuum eſſe.

XXIII.

Non immerito dixi incommoda eſſe ejusmodi argumenta, per me licet etiam ut aliquis inepta appellet. Idem enim brevius ac rotundius alia ratione concludi, & abſurditas atque contradictio inſulſarum ejusmodi propoſitionum longe facilius demonſtrari poteſt. Quod de ipſo etiam λόγῳ διὰ δύο τροπικῶν Antipater Stoicus apud Galenum faſſus fuit.

Θεῷ Δόξα.

ὙΠΕΡΜΕΤΡΑ.

I. Male reſpondetur ad materiam ſyllogiſmi, ubi in forma vitium eſt.
II. Diſputatio non-formalis non eſt diſputatio.
III. Quæritur utrum bis duo eſſe quatuor pertineat ad notitias naturales?
IV. Non ſimpliciter verum eſt nihil eſſe in intellectu quod non fuerit in ſenſu.
V. Egregium Philoſophi gentilis Salluſtii pro immortalitate animæ humanæ argumentum eſt, ὅτι γινώσκει Θεὸς. θνητὸν δὲ οὐδὲν ἀθάνατον οἶδε.
VI. Recte ait Plotinus Ennead. IV. lib. 7. ſi intellectus ſit materialis, intelligere & ſentire idem eſſe.
VII. Diabolus vel quilibet ſpiritus creatus nequit immediate agere in intellectum humanum, ut hic operationes illas à propriis motibus non poſſit diſtinguere.
VIII. Pythagoras non ex numeris ut volunt plerique, ſed ſecundum numeros cuncta oriri exiſtimavit.
IX. Illud Juvenalis, Sat. 6.

Auribus extentis magnos commiſit elenchos.

non de elenchis dialecticis, uti alicui in mentem venit, ſed de grandibus & oblongis accipiendum eſt unionibus.

EXERCITATIO
DE
PLATONISMO
PHILONIS JUDÆI

VIRO DOCTISSIMO JOHANNI JONSIO OPPOSITA,

ET INDULTU

AMPLISSIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ

IN POSTERIORIS

PRO LOCO

DISSERTATIONIS ARGUMENTUM PROPONENDA

A

M. JOH. ALBERTO FABRICIO, Lipſ.

PRIDIE MISERICORDIAS DOMINI

Anno M DC XCIII.

LIPSIÆ, TYPIS ANDREÆ ZEIDLERI.

Ad Lectorem.

Cum ex Dionis Chrysostomi monitu circumspiciendum sit undiquaque Sapientiæ Studiosis, εἴπου τι δυνήσονται εὑρέσθαι παρὰ τῶν παλαιῶν ἀνδρῶν ὥσπερ ἀπερριμμένον ἤδη βῶλον σοφίας λείψανον δή τι τῶν κρειττόνων τε καὶ ζώντων διδασκάλων. Non dubitavi ego, inter alias quæ in honore fuere veterum opiniones, Cynicorum quoque placita perlustrare, etsi nihil vulgo eorum nomine exosius abjectiusque esse scirem. Cogitanti vero mihi in argumentum dissertationis Cynismi historiam proponere, ac Philosophiæ illius, cujus soboles Stoica fuit, paulo accuratiora ducere lineamenta: copia dicendorum obstitit, & de alio argumento hac vice cogitare persuasit. Quod quale elegerim, me tacente, in titulo jam proditum tibi est: Nihil itaque restat, quam ut cum bona Tua, Lector Optime, venia, nunc ad illud tractandum me accingam, & sicubi lapsus fuero, de tua non desperem benevolentia. Brevitati de industria litavi, quod non cum Satirico stultum arbitrarer chartæ parcere: ac jam quoque metuerem, ne Socraticis oculis vel pauca hæcce χαρτία πολὺ τῶν γεγραμμένων τιμιώτερα viderentur.

I.

Quamvis persuasissimum Veteribus fuit, Philonem Judæum plurima in scriptis suis mutuatum esse ex Platonis schola, adeo ut res hæc etiam in proverbium abierit: repertus tamen est nostra ætate qui de eo dubitaret vir doctissimus Johannes Jonsius, communemque sententiam hisce impugnaret verbis, quæ ex libro tertio præclari Operis de Scriptoribus Historiæ Philosophicæ capite quarto huc apponi convenit. *Caligula & Claudii Principatu eminuit Philo Alexandrinus Judæorum disertissimus, de quo Eusebius Hist. Eccl. II. 4.* περὶ τὰ φιλόσοφα καὶ ἐλευθέρα τῆς ἔξωθεν παιδείας, οἷός τις ἦν, ἐδὲν δεῖ λέγειν, ὅτε καὶ μάλιστα τὴν κατὰ Πλάτωνα καὶ Πυθαγόρειον ἐζηλωκὼς ἀγωγὴν διενεγκεῖν ἅπαντας τὰς καθ᾽ ἑαυτὸν ἱστορεῖται. *Hieronymus Epistola ad Magnum Oratorem Rom.* Quid loquor de Philone quem vel alterum vel secundum Judæum (*nisi forte hæc ultima vox glossematis loco habenda*) Platonem Critici pronunciant? *Vellem Criticorum nomen hic expressisset Hieronymus quos sequeretur, ut major dictis fides haberi posset. Eratosthenes* δεύτερος ἢ νέος πλάτων *dictus est, teste Suida in* Ἐρατοσθ. *De Philone Judæo nihil alibi leges. Sed in Philosophia Platonica tantum profecisse dicitur, ut de eo hoc fuerit jactatum encomium,* ἢ φίλων πλατωνίζει, ἢ πλάτων φιλωνίζει, *id quod de Philone Judæo Patres interpretantur, antiquiores dubie, juniores confidenter. Verum superstites libri Philonis nomine Platonicum genium non spirant neque Josephus gentis suæ nimius laudator, qui Philonem Judæum virum insignem & Philosophiæ non imperitum dicit lib. XVIII. Antiquitatt. Jud. cap. 10. hanc Platonicam ejus eruditionem novit, neque ullam Philonis librorum facit mentionem, qui cætera suæ gentis satis extollit. Dicet aliquis Philosophiæ eum non ignarum à Josepho habitum. Verum ejus Philosophiæ de qua scripsisse putatur, gnarum eum fuisse largior. Scripsit autem* βίους τῶν παρὰ ἰουδαίοις φιλοσοφησάντων τήν τε θεωρητικὴν καὶ τὴν πρακτικὴν φιλοσοφίαν *teste Photio*, &c. Hæc Jonsius.

II.

Tria potissimum hoc loco vir doctus vulgatæ opinioni objicit, quæ singula expendenda diluendaque sunt. Primum est, antiquiores Patres proverbium περὶ φίλωνος πλατωνίζοντος dubie interpretari. Alterum, libros Philonis nomine superstites non spirare genium Platonicum. Ultimum est deni-

denique, Josephum Philoni supparem retumque Judaicarum gnarissimum Platonicam illius eruditionem ignorasse, & quando Philosophiæ peritiam ei tribuit, Philosophiam non Platonicam sed religionis, ut vocat Salvianus, at Judaicæ intellexisse.

III.

Ut Homerico more à postremo incipiam, fateor Philosophiæ vocabulum pro Theologia Judaica sed & Christiana interdum accipi à veteribus. Cum res sit notissima, frustra utique sim si locis autorum congerendis otio meo abuterer, lectorique nauseam excitarem. Sane Josephus ipse, qui alibi de tribus sectis loquens τρεῖς φιλοσοφίας apud Judæos esse scribit, libro de Maccabæis Eleazarum appellat φιλόσοφον θείου λόγου. Et Philo libro de confusione linguarum, cum de Deo ejusque operibus ex Mose disseruisset, τὸ φιλοσοφεῖν, inquit, οὐδὲν ἦν ἄλλο, ἢ ταῦτα σπουδάζειν ἀκριβῶς ἰδεῖν. Idem in libro de vita contemplativa, studium legis ac Prophetarum vocat ἱερὰν φιλοσοφίαν. Ac paulo post de Therapeutis suis: φιλοσοφοῦσι, ait, τὴν πάτριον φιλοσοφίαν ἀλληγοροῦντες. Nec forte erraverit, qui dixerit Judæos, uti Philosophiæ vocem à Pythagora acceperunt, ita Platonicorum exemplo Theologiam suam illo nomine censuisse. Non desunt etiam viri eruditi, qui apud Apostolum ad Coloss. II. 8. per Philosophiam religionem Pharisæorum, sunt qui Essæorum intelligunt, quamvis alii ni fallor Paulum rectius de Platonica vel Pythagorica interpretentur Philosophia. Christianam vero religionem constat ab Eusebio τὴν κατὰ χριστὸν φιλοσοφίαν dici, uti à Theodoreto VII. de curat. Græcar. affect. φιλοσοφίαν εὐαγγελικήν. Quid quod Johannes Tzetza variis Philosopiæ descriptionibus in medium adductis solos Monachos veros esse Philosophos contendit his verbis Chil. 10. hist. 343.

Φιλοσοφία μὲν ψευδὴς ἡ λόγοις ὀγκωμένη
Ὄντως φιλοσοφία δὲ τῶν μοναστῶν τῶν ὄντως
Αὕτη θανάτου μάθησις καὶ νέκρωσις σαρκίου
Καὶ γνῶσις δὲ τῶν ἀληθῶς καὶ * ὄντως ὄντων * ita legendum.
Καὶ τοῦ θεοῦ ὁμοίωσις ὡς δυνατὸν ἀνθρώποις,
Καὶ τῆς σοφίας καὶ θεοῦ καθέστηκε φιλία

Τέχνη

Τέχνη τεχνῶν καὶ ἐπιστήμη τῶν ἐπιστημῶν τε
Καὶ δὴ μεγίστη μουσική, ἰατρικὴ ψυχῶν τε
Ὅσοι τε ἄλλοι ὁρισμοί εἰσι φιλοσοφίας
Τῇ ἄλλῃ γὰρ ἁρμόδιος οὐδείς ἐστι τῶν ὅρων.

Ex quibus duorum postremorum versuum hæc est sententia, nullarum, non harum modo qvæ adductæ sunt sed nec aliarum quæ afferri possent philosophiæ definitionum, aliis quibuscunque Philosophis convenire quam genuinis Monachis, nec alii ulli Philosophiæ quam genuinorum Monachorum. Quod etsi perspicuum sit, ideo tamen monendum esse existimavi, quia longe alium isti loco sensum affinxerat interpres latinus.

IV.

Fateor igitur ex Josephi verbis, quibus Philonem Φιλοσοφίας οὐκ ἄπειρον esse testatus est, manifesto probari non posse quod Platonicæ Philosophiæ peritus eaque imbutus Philo fuerit. Quis vero è contrario ex iisdem ausit affirmare, Platonicam Philonis eruditionem Josephum latuisse. Nam Φιλοσοφίας vox generalis est, & quamvis Philosophiam cujus non imperitus Philo fuit, significatione sua complectitur, etiam τὴν ἔξωθεν ut veteres Judæi & Christiani appellant, qua interdum ἐγκύκλια etiam comprehendunt μαθήματα. Quidni ergo Platonicam quoque Philosophiam hoc loco significare possit, quam diserte nominare Josephus noluit, vel aliam quamcunqne ob causam quæ nos fugit, vel quod id Josephi judicio, Philoni ac Judæis parum esse honorificum videretur. Quamvis enim in plurimis Platonica & Pharisæorum conspirabat Philosophia, consentaneum tamen erat Pharisæum Philosophum à Pharisæo non Platonicæ sed Judaicæ peritum dici sapientiæ. Si quis vero nimio studio Platonem fuisset sectatus, ut de Philone veteres affirmant, qui melius à Josepho & honori gentis suæ & veritati consuli potuit, quam ut simpliciter Philosophiæ peritus ab eo nuncuparetur? Gratis igitur objicitur, Josephum Judæorum suorum nimium laudatorem & qui cætera gentis suæ satis extollat, neque Philonis librorum facere mentionem, neque Platonicam ejus eruditionem novisse. Neque enim alibi Josephus elenchos scriptorum auctorum solet encomiis subjicere, neque expressam dogmatum Platonis mentionem multum ad amplificandas gentis suæ vel etiam Philonis laudes facere arbitratus est. Neque quenquam esse memini, qui ex silentio Josephi,

Joſephi, libros Philonis, qui Origenis, Euſebii aliorumque veterum teſtimoniis ei vindicantur, Philoni abjudicandos exiſtimet. Quare nec Platonicæ Philoſophiæ cognitio ſtudiumque, propterea quod Joſephus illius conceptis verbis non meminit, Philoni extemplo eſt denegandum, cum id uno ore alii veteres illi tribuant, & ei tribuendum eſſe, ſcriptorum Philonis lectio hodieque docere nos poſſit.

V.

Si quis colligat, ita nihilominus Judaica potius quam Platonica ſapientia imbutum Philonem dici debere, & a Joſepho debuiſſe, quia nempe Platonicæ ac Phariſaicæ Philoſophiæ in non paucis convenerit, Judæorum vero illa alteram ætate ſuperarit: Duo ſunt quæ video me poſſe regerere. Primum quidem Plato pauca quædam fortaſſis ab antiquioribus Zabiis vel etiam Judæis; Judæi vero, & in his Alexandrini potiſſimum Helleniſtæ, præ reliquis autem Philo, longe plura à Platone & Pythagora acceperunt. Nam quemadmodum veritatis ſcintillas quaſdam à populo DEI ad gentes permanaſſe inficiari nolim, ita putem longe probabilius eſſe, Judæos à gentibus quam haſce ab illis futiles ſuas falſaſque hauſiſſe opiniones. Deinde Jonſius non veretur aſſerere, libros Philonis nomine ſuperſtites genium Platonicum non ſpirare, quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet vir doctus, eos nec Judaicam, quatenus cum Platonica ei conveniebat, referre Philoſophiam. Quarum aſſertionum utramque Philonis lectione perſpicue refelli exiſtimo.

VI.

Dixi, Platonem fortaſſis pauca quædam ab antiquioribus accepiſſe Judæis. Nam plura accepiſſe vel omnia ille demum affirmarit, qui Platonis & antiquiorum doctrinæ Philoſophorum, & religionis Judaicæ ſit juxta ignarus. At quædam accepiſſe, probabilem fidem faciunt, conſpirans in doctrinis quibusdam naturæ lumini vix percipiendis veritas: tum antiquorum teſtimonia, qui Platonem jam cum Alexandrino Clemente φιλόσοφον ἐξ Ἑβραίων, jam ex Numenio Moſen Atticiſſantem, jam cum eodem Clemente ἐκ τῶν Μωϋσέως ὠφεληθέντα vocant, & paſſim ſimilibus afficiunt titulis. Huc refer alteram partem proverbii ἢ πλάτων φιλωνίζει, quod nihil aliud ſonat ac ſi dicas ἰουδαΐζει. Neque enim Philonis Judæi ſtudio atque opera, neque ex ejus ſcriptis Plato profecit, uti Chronologia inconſulta bonus putavit Donzellinus. Fertur etiam Plato Philoſophiæ cauſa in Orientem παρὰ τοὺς προφήτας pro-

fectus esse, ibique mysteria quibus Philosophiam suam exornavit, didicisse, quo de illius itinere veterum scriptorum testimonia consuli possunt, quæ collegit magno literarum detrimento nuper admodum è vivis ereptus doctissimus senex Ægidius Menagius Observationibus ad Diogenem p. 139. 140. editionis Wetstenianæ.

VII.

Dixi vicissim, Judæos Hellenistas longe plura accepisse à Platone. Quod non obscurum fore arbitror, si quis cogitet, quomodo non tantum sanas Philosophi doctrinas, quarum forte plerasque jampridem noverant, sed & errores, atque adeo una cum frugibus etiam scarabæos cum suis tabernaculis in horreum suum congesserint, inque Philosophiam suam receperint Judæi. Quod cum Philonis exemplo latius paulo post sim demonstraturus, hoc duntaxat jam addidisse sufficiat, nihil fuisse Alexandriæ Platonis nomine dogmatisque celebrius: quod infinitis Platonicorum, qui ex Alexandrina schola prodiere, exemplis, & aliis scriptorum veterum posset comprobari testimoniis, nisi jam, qui de eo dubitaret, esset nemo. Uti nec hoc à quoquam temere negatum iri confido, Philonem quoque fuisse Alexandriæ ibique scholas frequentasse Platonicas, & Platonis librorum lectioni subinde vacasse. Quorum postremum vel inde patet, quod Platonis verba non semel à Philone adduci deprehendimus.

VIII.

Jam videamus, ut verum sit quod affirmat doctissimus Jonsius, superstites Philonis nomine libros Platonicum genium minime spirare. Inprimis vero exploratum esse debet, per genium Platonicum non tam eloquii seu φράσεως quam sensuum seu διανοίας similitudinem, sive non tam dictionem Platonis & scribendi rationem à viro erudito innui, à qua Philonis libri longius fortassis dissident, etsi in illa quoque & in verbis eum non raro πλατωνίζειν observatum fuit; sed doctrinam potius & genium Philosophicum qui in Platonicis scriptis exhibetur à viro docto intelligi. Hunc igitur cum in Philonis scriptis referri Jonsius neget, operæ pretium est Philonis dogmata cum Platonicis paulisper conferre, & quam manifesto scripta Philonis genium spirent Platonicum, lectori ob oculos ponere.

IX.

IX.

Non sum prolixe immoratutus iis quæ de λόγῳ, mente, σοφίᾳ &c. Platonicæ doctrinæ consentanea apud Philonem passim occurrunt. Cum enim Plato ista à Judæis accepisse communiter credatur, & Sandius in Diss. de λόγῳ, quique eum refellendum sumsit Voigtius, loca Philonis huc facientia collegerint discusserintque, parum forte ad rem faciat, hic valde velle videri diligentem. Neque in eo industriam meam lectori probabo, ut Trinitatis vestigia eadem quæ in Platone viri docti solent ostendere in Philonicis scriptis similiter demonstrem, quod perquam facile factu esset. Neque persequar, quod Philo in libro de mundi opificio stellas animalia intellectu prædita esse affirmat. Nam tametsi idem à Platone quoque assertum fuit, dicent tamen alii eandem etiam Judæorum sententiam fuisse ex perperam intellecto Psalm. XIX. Illud vero præterire nec possum nec debeo, quod post Platonem Philo quoque docuit, hoc universum per plures administras potentias ad exemplar invisibilium conditum esse idearum. Cum plurima huc referenda in Judæi illius scriptis, libro de opificio mundi & aliis extent loca, tum insignis est, qui legitur libro de linguarum confusione his verbis: Εἷς ὢν Θεὸς ἀμυθήτους περὶ αὐτὸν ἔχει δυνάμεις ἀρωγοὺς καὶ σωτηρίους τοῦ γενομένου πάσας, αἷς ἐμφέρονται καὶ αἱ κολαστήριοι. - - δι᾽ ὧν τούτων τῶν δυνάμεων ὁ ἀσώματος καὶ νοητὸς ἐπάγη κόσμος τὸ τοῦ φαινομένου τοῦδε ἀρχέτυπον ἰδέαις ἀοράτοις συσταθεὶς, ὥσπερ οὗτος σώμασιν ὁρατοῖς. Qui Platonis legerit Timæum, idem quoque minime dubitabit, hoc loco à Philone Platonicam referri spirarique doctrinam. Ipse Philo in libro de mundo incorruptibili, Platonis verba, ne quis dubitet, in medium affert. Taceo quod idem alibi ex Platone ad Mosaicam philosophiam deflexit, λόγον vocando ideam mundi & in specie ideam sive imaginem hominis. Quid quod lib. I. de Monarch. Deum ita de ideis se stipantibus loquentem inducit, ac si Idearum nomen jam Mosis ætate apud Judæos cognitum celebratumque fuisset. Quo nomine Philonem merito ridet Petavius lib. IV. de Deo cap. 9. Et jampridem Photius cod. 105. notarat, eum ἁμαρτάνοντα ἐν πολλοῖς, ἰδέας τε ὑποτιθέμενον καὶ ἀλλάττα τῆς ἰουδαϊκῆς φιλοσοφίας συγγραφόμενον.

X.

Angelos quoque sæpius Platonicorum exemplo Philo λόγυς appellat. Sed & ex eorundem opinione angelos sive dæmonas ejusdem atque hominum animas generis esse docuit, & animalium vocabulo ac natura complexus est. Multa item alia de spiritibus cum Platone sensit, quæ ut compendio noscantur, adscribenda Petavii verba, quibus Philonis sententiam expendit libro primo de angelis capite primo. *Idem Philo in libro de somniis uti dignam gentili ac Platonico Philosopho, ita Scripturarum sacrarum ac Mosis & Prophetarum alumno minime congruentem opinionem explicat de quadruplici animarum specie, quarum alias dicit terra corporumque captas illecebris in ea descendere, ibique tanquam vinculis attineri: alias certis à natura constitutis terminis ac temporibus solutas efferri sursum, nec ad corpora amplius reverti, alias iterum in illa relabi. Postremas esse purissimas & optimas, quæ altius quiddam ac divinius sapientes nulla unquam terrenarum rerum cupiditate tactæ sunt: ac sunt velut præfecti quidam à summo Imperatore constituti, velut magni Regis oculi & aures, quæ intuentur & audiunt omnia. Hos Dæmones quidem alios Philosophos nominare, at Scripturam Sacram Angelos appellare solere, tanquam internuncios ac sequestres Deum inter Patrem ac filios, quod illius isti metu ac terrore consternati ad eum aspirare per sese non audent. Sic in libro de sacrificiis Abelis & Caini*, Angeli, *inquit*, exercitus sunt DEI corporis expertes, ac beatæ animæ. *In his germanum Platonicum pariter & Pharisæum agnoscis. Nam & Pharisæi transitum animarum ex aliis in alia corpora tenuerunt, ut autor est Josephus. Et Platonem una cum Thalete Pythagora & Stoicis refert Plutarchus heroas putasse animas esse corporibus perfunctas, ac bonos quidem esse bonas animas, malos autem malas: porro dæmones dixisse esse substantias animales. Cui simile quiddam ex Plotino refert Augustinus in libro IX. de Civitate DEI capite XI.* Hactenus Petavius.

XI.

Platonicam de animabus doctrinam nemo fere distinctius fusiusque exposuit Gallipolitano Philosopho Johanne Baptista Crispo, in opere de ethnicis Philosophis caute legendis. Nam ibi per 24. propositiones Platonis de anima opiniones digessit totidemque libris persecutus est. Ex quibus 24. Platonicis de anima propositionibus ausim affirmare vix unam vel duas esse,

quas

quas non in ſcriptis ſuis Philo ſimiliter aſſeruerit. De tranſitu animarum in alia corpora jam audivimus. Præexiſtentiam earundem non mirum eſt poſt Platonem Philoni placuiſſe, cum & recentioribus vulgo probetur Judæis, qui pſychodocheum quoddam perſuaſi ſunt eſſe in cœlo, in quo animarum reconditorio, quod Goph ſive Guph appellant, ubi nullæ amplius ſupererunt animæ, tunc demum futuram eſſe narrant reſurrectionem. Tripertitam eſſe animam hominis, cujus pars mens ſive ratio, pars ira, pars ſit concupiſcentia, Platonem ſecutus Philo his affirmat verbis p. 253. Τριμεροῦς ἡμῶν τῆς ψυχῆς ὑπαρχούσης, τὸ μὲν νοῦς καὶ λόγος, τὸ δὲ θυμός, τὸ δὲ ἐπιθυμία κεκληρῶσθαι λέγεται· Κηραίνει δὲ καθ᾽ αὑτὸ ἕκαστον ἰδίᾳ, καὶ πρὸς ἄλληλα πάντα κοινῇ, ἐπειδὰν ὁ μὲν νοῦς ἔσω ἀφροσύνας καὶ δειλίας, ἀκολασίας τε καὶ ἀδικίας σπείρουσι, θερίζῃ. Eandem diſtinctionem repetit libro allegoriarum legis primo & alibi.

XII.

Cum non in his tantum ſed & in aliis fere omnibus Platoni Philo conſentiat opinionibus, hæc tamen etſi non adeo multa ſpeciminis loco adducta arbitror jam poſſe ſufficere. Unum addere liceat, quod ex Platonica Philoſophia de quatuor virtutibus Cardinalibus Judæus iſte commentatur. Explicaturus enim totidem fluvios paradiſi ita diſſerit: *Animadvertendum eſt, tripertitam eſſe noſtram animam, habereque partes, rationalem, iraſcibilem & concupiſcibilem, quarum rationalis regionem capitis inhabitat, iraſcibilis vero pectus, ſicut concupiſcibilis inguina. Harum cuique appoſitam eſſe virtutem propriam, rationali prudentiam, iraſcibili fortitudinem, concupiſcibili temperantiam. Quarta vero juſtitia exoritur, cum tres animæ partes inter ſe conſonant, quæ conſonantia fit, dum penes præſtantiorem eſt imperium* &c. Quanquam conſtat alias quoque, antiquis Judæis minime ignotum fuiſſe virtutum Cardinalium quaternionem, uti ex Joſephi Maccabaico, & autore libri Sapientiæ VIII. 8. probari poteſt. Præterea eundem veteribus etiam Perſis, Pythagoræ, Peripateticis & Stoicis probatum eſſe novimus, ægre tamen credimus ita niſi à Platonico exponi potuiſſe.

XIII.

Judicet lector ex iis quæ jam allata ſunt, utrum vere Vir eruditus affirmarit, ſcripta quæ ſub Philonis nomine feruntur, genium Platonicum non

 ſpirare,

ſpirare, Philonemque Judaicæ tantum, non etiam Platonicæ peritum fuiſſe ſapientiæ. Nobis illa propemodum ſatis eſſe videntur ad veterum judicium à cenſura Jonſii liberandum, neque dubitamus in utroque Philoſophiæ genere celeberrimum cum Nicephoro pronunciare Philonem, & longe plura in Philoniis ſcriptis Platoniſmi veſtigia extare contendimus. Ut non minus conſtet Platonis placita paſſim in illis exprimi atque referri, quam manifeſtum eſt legentibus, Philonem in libro de mercede meretricis in ſacrarium non accipienda imitari quæ de voluptatis ac virtutis apud Herculem contentione Xenophon Platonis æmulus ex Prodico ſcripſerat. Aſſentimur igitur veteribus Criticis qui Philonem alterum Judæum Platonem pronunciarunt, neque miramur eorum nomina non expreſſa fuiſſe ab Hieronymo, cum hæc communis omnium ſententia fuiſſe videatur, Platonicorum imprimis, Amelii, Longini, Numenii & aliorum, qui in Johannis quoque Evangelio Platonicæ Philoſophiæ veſtigium ſibi videbantur deprehendere. Ut præſtantiſſimus Huetius affirmare non dubitet, Origenem etiam Philonis exemplo compulſum quemadmodum nimium indulſiſſe allegoriis, ita Platoni quoque nimium tribuiſſe. Lib. II. Origenianor. cap. 1. num. 4. Saltim certum eſt Chriſtianos Judæorum, Platonis placita ad ſuam doctrinam deflectere conantium, exemplum imitatos, de Platoniſmi cum Chriſtianiſmo conciliatione cogitaſſe. Inter illos vero Judæos longe præcipuum & celeberrimum fuiſſe Philonem, neque hoc negare quiſquam jure queat. Miramur itaque Jonſium, adductis Hieronymi Euſebiique de Philone Platonico teſtimoniis, addere quod id nusquam alibi legatur, paulo tamen poſt de Eratoſthene quod δεύτερος πλάτων dictus fuerit, Suidam unicum in teſtimonium adducere, ac ſi hujus unius ſuffragium Euſebiis Hieronymisque merito præferri poſſit. Præſertim cum de Platoniſmo Judæi Philonis Euſebio ac Hieronymo idem quoque ſuccinat Suidas, ſuccinant innumeri alii, ipſe denique Philo Platoniſmum usquequaque ſpirans.

XIV.

Reliquum eſt ut & illud poſtremo loco excutiamus, quod ait doctiſſimus Jonſius, proverbium περὶ Φίλωνος πλατωνίζοντος Philoni Judæo Alexandrino dubie ab antiquioribus Patribus applicari. Sed profecto fruſtra ſumus, cum non quiſquam ſit ex antiquioribus Eccleſiæ Doctoribus, qui dubie illud proverbium de Philone efferat. Niſi ad Auguſtinum forte vir eruditus reſpexit, cujus hæc ſunt verba lib. XII. contra Manichæum, capite undequadrage-

dragesimo. *Vidit hoc Philo quidam vir liberaliter educatus, unus eorum, cujus eloquium Græci Platoni æquare non dubitant.* Sed ita non video cur antiquiorem vocaverit Augustinum, cum non minus antiquus sit Hieronymus, qui confidenter proverbium illud Philoni Judæo applicat. Antiquior etiam sit Eusebius, qui Platonicæ Philosophiæ studium absque ulla tergiversatione Judæo tribuit Philoni. Porro de Judæo Philone loqui etiam sine dubitatione Augustinum ex ipsis illis verbis apparet, nam *unus eorum* est *unus Judæorum.* Capitis siquidem adducti hoc est initium, *Itaque etiam ipsi Judæi.* Præterea confidenter proverbium illud de Philone Judæo interpretantur Isidorus Pelusiota, Hesychius Illustris, Suidas, Photius, Nicephorus & alii.

XV.

Neque illud denique multum nobis negotii facesset, quod tametsi à Jonsio minime objectum, sententiæ tamen nostræ adversum esse possit videri. Observant Lipsius manuductione ad Philosophiam Stoicam lib. I. Diss. 16. & Dodwellus ad fragmentum Philippi Sidetæ p. 507. Philonem de quo agimus aliquando Stoicissare. Verum si cogites, quod idem observat Lipsius, Platonem quoque in non paucis ad Stoicos accedere sive consentire eorum decretis, non magis id nobis obesse poterit quam quod ab Eusebio affirmatum est, Philonem non modo *τὴν κατὰ πλάτωνα*, sed & *τὴν κατὰ πυθαγόραν ἐζηλωκέναι ἀγωγήν.* Facit enim huc quod Platonis quoque Philosophiam *τὰ πολλὰ τοῖς πυθαγορικοῖς δόγμασιν ἀκολυθοῦσαν* præter alios monet Aristoteles lib. I. Metaphys. cap. 6.

Θεῷ δόξα.

ADDITAMENTA.

1. Philonem Ebraice nescivisse, levibus admodum; Origenem non satis certis: Josephum novisse Ebraice, certissimis potest confici argumentis.
2. Ordo librorum Philonis perturbatissimus est in vulgatis Editionibus.

3. Inter-

3. Interpretationes Hebraicarum vocum V. T. quas latine vertit Hieronymus rectius Philoni quam Origeni adſcribuntur.

4. Male arguitur Philo ut allegoriis ſive ὑπονοίᾳ, quam Platonis exemplo appellat, nimium præ reliquis deditus. Non illius iſta, ſed ſeculi, ſed gentis ſuæ culpa fuit.

5. Ad LXX. Interpretes emendandos & judicium de eorum lectione ferendum, non parum ex Philone auxilii peti poteſt.

6. Non tamen usque quaque ejus lectione ſtandum, quia ſæpenumero verba Scripturæ videtur ex memoria, vel aliquantum interpolata recitaſſe. Quod item in veteribus Eccleſiæ doctoribus obſervari oportet.

7. Qui Helleniſtam vocant Philonem, aut nihil aliud dicunt quam Judæum illum fuiſſe Græce callentem, aut quod dicunt probare non poſſunt.

8. Salmaſius in ſcriptis de Helleniſtica fortius nomen quam rem impugnaſſe videtur.

9. Platonis Phyſica aptior fuit ad falſa decreta & ſubtiles noxiasque hæreſes in Judaiſmum invehendas quam Ariſtotelica. Idem jure ſummo erat metuendum Chriſtianis, ſed quod jampridem ſerum eſt monere.

10. Philo recte, Platonem imitatus, inter neceſſaria Philoſophiæ προπαιδεύματα refert Mathematicas diſciplinas.

11. Philonis Therapeutæ quodammodo reſpondent θεωροῖς Platonicis.

12. Philo etſi dialogos plures inſtar Platonis non compoſuit, paſſim tamen ἐλέγχει διὰ ζητήσεως τὰ ψευδῆ, ἀποδεικνύει δὲ διά τινος διδασκαλίας τὰ ἀληθῆ. Uti de Platone refert Alcinous cap. 6. Iſagoges. Idem non raro Platonis exemplo Homeri & aliorum Poëtarum teſtimoniis utitur.

Q. D.

Q. D. B. V.

SPECIMEN ELENCTICUM

HISTORIÆ LOGICÆ,

QUOD UNA CUM QUINQUAGENA

THESIUM LOGICARUM AC METAPHYSICARUM

BENEVOLO INDULTU AMPLISSIMI SPECTATISSIMORUM DNN. SCHOLARCHARUM COLLEGII

IN ACROATERIO GYMNASII HAMBURGENSIS PUBLICE DEFENDENDUM PROPONET

M. JOH. ALBERTUS FABRICIUS.

Die XXIV. JANUAR. HORIS A DECIMA ANTEMERIDIANIS.

ANNO CHRISTIANO MDCIC.

HAMBURGI,

Typis CONRADI NEUMANNI, Senatus atque Gymnasii Typogr.

LAUDATISSIMO SPECTATISSIMOQUE

COLLEGIO

AMPLISSIMORUM

DOMINORUM

SCHOLARCHARUM

INCLYTI GYMNASII HAMBURGENSIS,

SPECIMEN HOC TENUE ATQUE EXIGUUM NON INFICIANDUM
GRATI ANIMI MONUMENTUM PRO CONCESSA MIHI
PUBLICE DISPUTANDI FACULTATE

LUBENS MERITOQUE CONSECRO

M. JOH. ALBERTUS FABRICIUS.

Argumentum Speciminis Elenctici.

Quamvis homines universi ratione gaudent, atque hoc ipso præstant brutis animantibus §. 1. Logici tamen non sunt omnes. Rejicitur Keckermanni sententia historiam Logicæ repetentis ab Adamo. Sententia Hugenii affirmantis in Luna quoque aliisque stellis doceri Logicam § 2. Inter plurima scripta Adamo à variis tributa, quorum elenchus subjicitur, nulla mentio operis Logici. Locus Suidæ illustratus. Quid sint ἐπιστῆμαι λογικαὶ & ἄλογοι? §. 3. Prometheo inventionem Logicæ temere adscribi. §. 4. Minus adhuc constare Prometheum fuisse Noëmum, vel Adamum &c. Dissensum à viris Doctis, qui in fabulis Ethnicis mera sacræ historiæ vestigia videre sibi videntur. Promethei ætas incertissima. §. 5. Variæ de Prometheo Virorum Doctorum sententiæ conferuntur. Utrum propter Logicam hominibus proditam jugo Caucasi affixus sit bonus Prometheus? §. 6. Quamvis Moses eruditus fuit in omni sapientia Ægytiorum, hinc tamen non constat eum auxisse vel reperisse præcepta Logica. Neque id constat de Josepho Patriarcha. Cyniphes ac ranæ quibus puniti Ægyptii, pulchra emblemata Sophistarum. §. 7. Uti aliæ gentes ita Ægyptii

quoque per multa secula sine Logica artificiali degere potuerunt, uti sine Grammatica quoque & Rhetorica. Non contemnendus interim illarum disciplinarum repertarum usus breviter demonstratus. Quænam artes ac scientiæ primum inventæ excultæque videantur à populis sapientissimis. §. 8. Qualis fuerit sapientia Ægyptiorum qua Mosen eruditum fuisse Stephanus affirmat. Marshamus notatus. Illustratus locus Justini junioris in quæstionibus & resp. ad Orthodoxos. §. 9. Utrum ex eo quod Moses δυνατὸς ἐν λόγοις, possit evinci illum fuisse institutum in disciplina Logica? Etiam diu post Mosis tempora sapientes Ægyptum adierunt ad discendam Mathesin & haurienda arcana naturæ, non ad Dialecticam imbibendam. Locus ex historia Ecclesiastica Thomæ Hobbesii. Logicæ Hebræorum Scriptor notatus. §. 10. Utrum per λογεῖον Pontificis Maximi & Urim ac Thummim intelligi debeat peritia Logicæ, ut visum Jac. Schegkio, Petro Ramo, Zwingero & aliis, qui refelluntur. Simonis Patricii aliorumque de Urim & Thumim sententia. §. 10 Joh. Caramuelis φλυαρία, affirmantis Urim ac Thumim esse typum Thomæ Aquinatis ac Thomistarum. §. 11. Eusebii de Logica vetustissimorum Ebræorum locus. Ostensum, ipsi & aliis quibusdam veteribus Logicam nihil aliud esse quam Theologiam ac Metaphysicam. Gallorum Druidæ quales Logici §. 12. Quæ plura restant ad hanc historiam pertexendam facientia, in aliud tempus rejiciuntur §. 13.

I.

Historiam Logicæ traditurus, videor de universo genere humano agere velle: Quotusquisque enim hominum λόγου sive rationis particeps non est? Quorum singuli, cum ab ætate somno, morbove aut casu aliquo non disturbantur & impediuntur, ratione uti possunt, alii magis, alii minus, tanta quidem differentia, ut sæpe ambiguum esse videatur, plusne intersit inter sollertissimum ex mutis animantibus & stupidissimum hominem, quam inter hominem excordem ac Philosophum, qualis fuit Socrates aut Pythagoras. Neque tamen hinc cum Empedocle aliisque colligimus, ratione gaudere brutas animantes: neque persuasimus nobis, esse homines quosdam vere brutos, omnisque adeo expertes rationis. Naturæ enim humanæ consanguinea ratio neminem prorsus ab omni intelligentia vacuum reliquit, cui hominem esse largita est: ac vicissim nulli bruto tam se reddidit familiarem, ut Deum conditorem universi ex rerum creatarum præstantia, magnitudine, usu, proprie certoque colligere, agnoscere, colere ac concelebrare possit. Quod ita ab hominibus requiritur, ut in hoc potissime præstemus mutis animantibus, & homines, qui hoc non faciunt, coram immortali Deo excusatione cariturі, sive, ut Apostoli verbo utar, ἀναπολόγητοι futuri sint.

II.

Verum aliud longe est gaudere ratione, aliud esse Logicum. Quare ignoscent mihi, qui historiam Logicæ me ab ipsa generis humani origine cum * Keckermanno repetere volunt, si existimo æque absurdum esse affirmare, quod Adamus omnia, & quod nihil omnino perspectum habuerit. Licebit itaque mihi tantisper credere, Protoplastos aliud utique egisse quam Systemata elucubrasse Logica, scalas prædicamentorum tornavisse, figurarum modorumque schemata composuisse, sophismatis vel texendis vel retexendis insudasse, & fallacium conclusiuncularum crucem sibi ipsis ac posteris suis fixisse. Aut vero accredamus etiam Constantino Hugenio, Belgii Archimedi, qui in Cosmotheoro nuper post fata ipsius in lucem edito, non dubitat, in luna etiam aliisque stellis esse complures, qui uti alias quasvis disciplinas, ita Logicam quoque docent ac profitentur. At enim de illis æthereis Dialecticis, de quibus nescio an cuiquam ante Hugenium in mentem venit, quid dicam nihil profecto habeo. Id forte haud ab re aliquis suspi-

* Keckermann. præcognit. Logic. cap. 4.

carus fuerit, in Saturno, si quæ sint Scholæ Logicorum, eas admodum esse frigidas, aut forte meros ibi Scholasticos versari.

III.

Cum igitur in brevi hac historia de iis agere constituerim, non qui rationabiles sunt duntaxat, quod omnium esse hominum dixi; sed qui rationis usum ut ita dicam in artem & ordinem redigere cœperunt, certisque præceptis ac veluti adminiculis juvare, ac λόγοι hominis sui ipsius conscientiorem, ad vitandos errores, ad fallacias, fraudes, Sophismata aliorum observanda ac redarguenda circumspectiorem, quantumque ipse valeat intelligentiorem reddere conati sunt; nihil admodum occurrit ex monumentis rerum ante diluvium gestarum, quod huc a me vel trahi possit. Nam quantum recordor, ne fabularum quidem sutores, qui Adamo * & reliquis Pa-

* Scripta Adamo à variis nugivendulis tributa hæc sunt: *Apocalypsis Adami.* Epiphan. hæresi 26. Gnosticorum, num. 8. Equidem Pseudoclemens quoque in recognitionibus, Origenes aliique veteres Prophetam Adamum appellant, & Suidas de Adamo: τούτου προφητεῖαι, ἱερουργίαι καὶ καθαρμοὶ καὶ νόμοι γραπτοὶ καὶ ἄγραφοι &c. Non puto tamen hos omnes ad apocrypham Adami Apocalypsin respexisse. *Pœnitentia Adami.* Gelasius in decreto de Apocryphis dist. 15. can. Sancta Romana Ecclesia. adde Saliani Annales ad A. M. 930. ΒΙΟΣ ΑΔΑΜ apud Georgium Syncellum & Cedrenum in Chron. Nescio autem an facile adsentiendum viro erudito Joh. Baptistæ Cotelerio, cui in notis ad lib. VI. Constitutionum Apostolicarum cap. 16. p. 346. edit. Clerici, ubi Adami ἀπόκρυφα Pseudoclemens commemorat, per Apocalypsin, pœnitentiam & βίον Adami, unum idemque scriptum, non tria diversa notari videntur. *Liber Generationum Adami.* Vide Athanas. Kircherum in limine Obelisci Pamphilii & in arca Noæ p. 204. Julium Bartoloccium T. I Bibl. Rabbinicæ p. 80 *Genealogia Adami* conficta à Manichæis, explosa Augustino contra Faustum, & proscripta à Gelasio dist. 15. c. sancta Romana Sixto Senensi Bibl S lib. I. p. 46. Possevino in Apparatu &c. adde Clarissimi Bælii Dictionarium sive thesaurum potius Historico Criticum T I, p. 96. *Testamentum Adami.* memoratum Georgio Elmacino. *Psalmi duo*, unus post visam primum Evam, alter ab Adamo post peccatum pœnitente decantatus apud Joh. Eusebium Nierembergium lib. II. de origine Scripturæ cap. 13. ex Amadei Apocalypsi Mſ. Sed & inter Psalmos Davidis *Psalmum XCII.* Adamo tribuunt quidam Ebræi vide Midrash & Targum in Ps. 92. Targum in Cantic. I. 1. Meminit ejus sententiæ Camius quoque præf. in Psalmos, ut mittam quæ ex [illegible] Hebræis profert Christoph. Cartwrightus lib. I. cap. 4 mellificii Ebraici T. IX. Critic. Angl. p. 2959. seq. sed vide Heideggerum T. I. Histor. Patriarcharum p. 215. *Commen-*

triar-

triarchis tot libros tribuunt, Dialectici alicujus scripti meminere, etsi generatim dicunt literas, sapientiam, artes, per illos repertas excultasque esse

tarius de nominibus omnium animalium, quem ab Adamo scriptum esse non dubitat Js. Peyrerius Exercitat. de præadamitis lib III. cap. 3. p. 158. *Commentarius de omnibus & singulis mundanarum rerum virtutibus*, ex quo non modo Mercurius Trismegistus scientiam naturalem hausit, sed ex quo etiam mire profecit Thomas Aquinas libro de ente & essentia, si fidem habemus Thomæ Torquemadeo in Hexaëmero apud Kircherum. Aliud opus Historici argumenti videtur respicere Gotfridus Viterbiensis in pantheo suo his verbis: *Fertur Adam longas laterum formasse figuras, In quibus & rerum statuit describere summas, A quibus accepimus si qua vetusta damus.* Confer Joach Joh. Maderum de Bibliothecis antediluvianis pag. 11. Non desunt itidem qui duas illas celebres columnas ad Adamum referunt. Vide Hofmanni Lexicon Universale in voce Adam. sed si quid veri subsit illi de columnis traditioni, Josephi potius testimonio standum fuerit, qui eas tribuit posteris Sethi. *Pagina, sive* ut Hottingerus p. 22. Historiæ Orientalis mavult, *libri XXI*, quos Adamo adscribunt Kessæus aliique Arabes, quibus continebantur præcepta & traditiones in generationes secuturas, & interpr[illegible] literarum, pacta, statuta, promissiones & historiæ totius mundi. *Liber A*[illegible] quem sive Raphaelem sive Raaielem Angelum Adamo tradidisse fabulantur, [illegible]s à Cornelio Agrippa cap. 45. libri de vanitate scientiarum Georgio Veneto aliisque apud Thomam Bangium in Cœlo Orientis p. 120. *Liber Adami* quo Sabios uti refert Bartholomæus Herbelotus in Bibliotheca Orientali Gallice nuper vulgata voce Sab. scriptos characteribus literarum singularibus, idiomate quod accedit ad Chaldaicum. Idem liber est quem sub Adami nomine jactare Chaldæos Mandaitas Sabaitas & Christianos S. Johannis Baptistæ refert Abramus Ecchellensis in præfat. Concilii Nicæni & ad Catalogum librorum orientalium editum ab Hebed Jesu. *Traditio Adami* de mundo inferiore quibusque septem mille annis, cœlo quinquaginta annorum millibus renovando, apud Menassem Israëlidem in Conciliatore quæst. 30. in Genesin. Alias ejusdem farinæ apud Ebræorum Magistros obuias prætereo, qualem habes apud Maimonidem lib. III. More Nebochium cap. 29. Sunt etiam qui *librum Ietzira* sive de Creatione ad Adamum referri affirmant, ut post Andr. Masium commentatio in Josuam & Waltonum in prolegom Bibl. Bangius p. 4. Cœli Orientis & Heideggerus p. 481. historiæ Patriarcharum. Sed notum est eum non Adamo sed Abrahamo etsi haud minus falso ac perperam tribui à Judæis. Vide Joh. Morinum Exerc. Bibl. p. 372. seq Hottingerum in specimine Pseudepigraphias V. T. p. 9. seq. Petrum Lambecium p. 52. seq. prodromi Hist. literar. Spitzelium τον μακαρίτην in specimine Bibl universalis, Clarissimum Placcium de pseudonymis p. 134. & Bartoloccium T. I. Bibl. Rabbin. voce Abraham. Omitto *Alphabetum Adami* editum ab Angelo Roccha commentar. de Bibl. Vaticana p 79. 82 88 295. & postea ab aliis, etiam à Bartoloccio T I p. 80. tum alias literarum formas sub Adami nomine vulgatas ab Hephurno, Laurentio Schradero & Claudio Dureto, exsibilatas à Bangio in cœlo

Equi-

Equidem apud Suidam legas Adamum ἐπιστήμας λογικάς καὶ ἀλόγους reperisse, quod Hieron. Wolfius vertit: *scientias tam disertas quam mutas.* Æmilius Portus: *tam verbis expressas quam nullis verbis declaratas.* Rectius ni fallor reddi possit: *Tam eruditas sive liberales quam vulgares sive sellularias.* Nam uti λογικὴν παιδείαν non pro Dialectica disciplina sed pro omni genere eruditionis accipi apud veteres, tritum est ac pervulgatum, sic τέχναις sive ἐπιστήμαις λογικαῖς opponi βαναύσους sive sellularias, non minus notum est vel ex Galeni protreptico sive adhortatione ad artes. Quantum vero fidei huic sive Suidæ sive alterius nescio cujus apud Suidam de Adamo asseverationi habendum sit, aliis dijudicandum relinquo. Certe si id tam generaliter accipi debet, ut nullæ non artes, nullæ non disciplinæ ab Adamo inventæ traditæque dicantur, hoc gratis confictum esse temereque asseri nemo sanus negaverit. Non deerunt tamen qui Noæ mentionem hoc loco à me fieri requirent mirificis ducti argumentis, quæ audire nescio an operæ pretium est, refellere certe nullius est negotii.

IV.

Ajunt nempe *Platonem in Philebo maximam inventorum & cœlitus delatorum præceptorum Logicorum laudem tribuere Prometheo, hic autem, non esse dubitandum quin Noachus vel alius aliquis ex Patriarchis fuerit, dici enim vixisse anno post conditum mundum* 1500. Sed neque in Philebo neque in Protagora Platonem Prometheo inventorum præceptorum Logicorum laudem tribuere video, etsi ignem quem de cœlo ille surripuisse dicitur, sapientiam esse innuit, quod alii etiam veteres passim faciunt, ut Themistius, qui craterem rationis ac prudentiæ à Jove traditum in homines effudisse Prometheum affirmat Oratione XIX. Et apud Æschylum Tragicum Prometheus ipse vinctus,

Nunc sed, inquit, *hominum incommoda*
Audite, quos ego mentis exsortes prius
Expergefeci mentis ad prudentiam.

Orientis p. 100. seq. * Sed & Lambecius p. 5. prodromi Histor. literar. non modo literas Ebraicas, verum puncta quoque vocalia ab Adamo reperta esse contendit. Possim similiter nullo negotio scripta reliquorum Patriarcharum nominibus afficta recensere: sed nimis id alienum est ab hoc loco, rectiusque à me fiet in libello de Pseudepigraphis Propheticis, quem jam pridem publice promittere me memini in prolegomenis ad librum Sapientiæ p. 235.

Mox

Mox ipſe oſtendit, quale iſtud fuerit, quod homines docuit, genus prudentiæ, non utique diſputandi, finiendi, Syllogiſmum faciendi peritiam, ſed agri colendi, literas, aſtrologiam, religionem. Quæ poſtquam recenſuit, ſubjungit:

Πᾶσαι τέχναι βροτοῖσιν ἐκ Προμηθέως
Quantum eſt hominibus artis, à Prometheo eſt.

V.

Age autem demus locupletiſſimis teſtimoniis conſtare, quod Logicæ præcepta reperta ſint à Prometheo, numquid continuo perſuadebimur hunc Prometheum eſſe Noam vel unum ex Patriarchis? Nihil profecto minus. Neque mihi probatur illud plurium Chriſtianorum quantumvis doctiſſimorum ſtudium, qui in omnibus fabulis Ethnicis quærunt & invenire ſibi videntur Noæ, Abrahami, Moſis & ſimilium veſtigia. Puto etiam parum conducere honori & autoritati ſacræ Hiſtoriæ, ſi Noam Bacchum evincas, vel Priapum Moſen. Similiter ingenioſius quam verius dictum eſſe exiſtimo, quod Prometheus Madero eſt Adam, viro ſummo Samueli Bocharto Magogus Japheti filius, aliis Moſes, ut celeberrimo Huetio, aliis denique uti Cornelio à Lapide in Sirachidem p. 44. ipſe Chriſtus vel certe typus Chriſti in crucem acti. Quod ſi exigua ſimilitudinis ſpecies idem ſtatim eſſe faciat, quid denique eſt ex quo non quidlibet poſſis efficere, præcipue ſi ingenium ſollers, atque haud vulgaris eruditio accedat. Tum nullius quoque momenti eſſe videtur argumentum, quod à temporis ratione ducit Keckermannus. Quæſo enim, ſi Prometheum eodem tempore vixiſſe credidere aliqui non ſatis acuti Chronologi, quo vixit Noah, num ideo eundum Noam eſſe conſequitur? Quis porro ſanus in fabulis accuratam expectet temporum rationem, quæ utinam non tam ſæpe vacillaret in rebus geſtis veris ac certiſſimis? Nonne id facere hoc eſt terris Utopicis gradus latitudinis & longitudinis aſſignare? Pleriqui autem Chronologi, cum in ætate Promethei mirum quantum inter ſe diſcrepent, in hoc fere conveniunt quod Prometheum Nöemo longe juniorem fuiſſe affirmant, etſi iis conſultis bene multis, quo denique tempore ille vixerit, parum omnino certum exploratumque eſſe videatur.

VI.

Quid vero ſi nullus unquam fuerit Prometheus, ſed fabula ejus tota conficta ſit, quod per rationem, conſilium, providentiam quam humano

generi largitus est Deus, quamque προμηθεια Græcis appellari tralatitium est, nullæ non artes repertæ sunt, mortalibusque innotuerunt. Vel si cum Augustino Steucho Eugubino lib. IX. cap. 4. de perenni Philosophia Prometheus nobis dicatur ipse Deus universi hujus artifex? Ita non magis Prometheus iste fuerit Noah, quam Pandoram Hesiodi, Evam esse mihi persuaserim. Quid si Dionem Chrysostomum audiamus; cui dissertatione octava p. 137. Prometheus est Sophista quidam immodico gloriæ studio correptus, nunc quidem tumente illi & crescente hepate quoties laudibus in cœlum tollitur, nunc iterum deficiente cum contemptum se illudatumque conspicit? Quid denique si Dodwello Hibernorum doctissimo adsentiamur, qui in Libro Anglico de uno sacerdotio & uno altari p. 332. negat fabulam Promethei alio spectare nisi ad dissuadendam hominibus Mysteriorum ἐξόρχησιν, quam per ignem de cœlo surreptum tamque graviter in Prometheo punitum adumbraverint veteres? Cuicunque autem sententiæ subscribimus, id saltim certum compertumque esse arbitror ex ante dictis, minime constare quod Noah in præceptis Logicis inveniendis aut locupletandis operam suam posuerit. Mali quoque ominis fuerit dicere, Promethei præcordia ob Logicæ artem humano generi traditam vulturi laceranda objecta, ipsumque Jovis jussu per Vulcanum in jugo Caucasi, quod Strobilon Arrianus in periplo Ponti Euxini appellat, catenis ferreis affixum fuisse.

VII.

Sed Josephum certe Israëlidem & Mosen Legislatorem, Logicorum primiceriis accensere porro ab eodem Keckermanno jubemur his verbis: *Mosi imprimis non pœnitendam Logicorum præceptorum inventionem & auctionem quis tribuere possit ex eo quod Actor. VIII. 22. dicitur eruditus fuisse in omnibus disciplinis Ægyptiorum, quod & de Josepho Ægypti illo magno principe rectissime quis dixerit, qui anno Mundi circiter* 2229. *vixit.* Quis vero non putet hæc affirmanti jam ante exploratissimum esse debuisse, inter disciplinas Ægyptiorum, temporibus Josephi ac Mosis eximium quendam fuisse Logicæ locum? Quod si concedas, mox miraberis quo argumento Logicorum præceptorum non pœnitendam inventionem Mosi adscribit vir doctus, qui inter Ægyptiorum disciplinas illum antea edoctum fuisse ipsemet contendit. At profecto ostendi haud potest, Ægyptios illa ætate Dialecticam docuisse & professores Logicæ aluisse. Etsi lubenter assentior Origeni, cui per cyniphes ac ranas, quibus Ægyptii vexati sunt, Sophistica pseudo Dialecticorum acumina, & vana logodiarrhœa scite adumbratur, quæ non minus molestiæ sæpenu-

penumero crearunt optimis ingeniis, quam Ægypto Mosis temporibus minuti cyniphum aculei, vel tædiosæ ranarum coaxationes.

VIII.

Si dicis gentem sapientissimam non potuisse per secula complura carere disciplina tam insigni tamque necessaria, nihil agis. Nam & sine Grammatica & Rhetorica multis seculis floruere gentes maximæ & laude sapientiæ clarissimæ. Neque hinc vel Logicæ vel Grammaticæ vel Rhetoricæ inutilitas omnis evincitur. Nam qui peregrinas linguas, cumprimis eas quarum usus jam intermortuus est, ut græcam vel latinam, addiscere cupiunt, ii Grammaticis præceptis ægre carent: Qui dicere volunt copiose & ornate, invenire facile, digerere feliciter, eloqui apte, iis Rhetorica non mediocri subsidio esse potest: Qui denique vel aliorum perspicere ac convincere errores, vel sua placita ordine perspicue atque accurate proponere, confirmare, ac contra aliorum objecta tueri desiderant, his quin præclara sit adjutrix Logica, negari nequit. Sed qui vernacula duntaxat utebantur, iis non magis Grammatica opus erat quam nobis ad addiscendam linguam Germanicam. Solidam præterea eloquentiam duntaxat & rectum usum rationis, quantum ad vitam conducit, æstimantibus, natura jam ad necessitatem abunde prospexisse videbatur, in quorum utroque videmus idiotas ab omni literarum usu alienos sæpe non infelicius Logicis versari. Ac certe ut ait Euripides

Cum recta causa suppetit, semper quidem
Recte loquendi perbenigna occasio est.

Hinc verissimum videtur, certe verisimillimum, apud sapientissimos quosque populorum illas primum artes ac disciplinas repertas usuque excultas fuisse, sine quibus vitam hominum vel minus vitalem vel inhumaniorem esse necesse fuit. Quales sunt præter agriculturam varia opificia, Geometria ad fines regundos, Architectura, literæ, Medicina & Astronomia. His apud gentes veri cultus divini expertes mox accessere religionis simulacra, varia genera superstitionum fraudumque, quibus vel Reges sibi in aliorum animos hominum, vel in Reges ipsos imperium sibi sumpsere favri impostores. Quo referendæ sunt artes Magicæ Ægyptiorum, de quibus in Exodi libro frequens mentio occurrit.

IX.

Quærenti igitur quid in animo habuerit Stephanus apud Lucam affirmans Mosen *ἐν πάσῃ σοφίᾳ Αἰγυπτίων* in universa Ægyptiorum sapientia eru-

ditum fuisse, respondet Philo Judæus libro de vita Mosis primo p. 470. *Numeros quidem & Geometriam, universamque Musicam, rhythmicam, harmonicam, metricam tum contemplativam, tum per instrumenta vocesque promentem se modis variis, Moses accepit ab Ægyptiis doctoribus, & insuper occultam Philosophiam descriptam literis ut vocant hieroglyphicis, hoc est notis animalium quæ ipsi venerantur etiam pro numinibus.* Idem Philo non duntaxat Assyrias literas & sideralem scientiam edoctum Mosen ibiden affirmat, sed addit etiam Græcos τὴν ἄλλην ἐγκύκλιον παιδείαν Mosi instillasse, quod postremum miror unde hauserit, & confictum esse non ambigo. Neque vero Justinus Junior quæstione CXXV. ad Orthodoxos negat Mosen ab Ægyptiis didicisse Astronomiam, Geometriam, Astrologiam artesque alias, quæ ab his dependent. Fallitur itaque vir eruditus Joh. Marshamus, qui in Canone Chronico p. 142. Justini verba obiter inspecta sic accipit, ac si οὐ μετῆλθεν vertendum sit, *non assecutus est, non didicit*: Cum ex tota quæstione illa pateat reddi debere: *Quare non prætervectus est, quare non discere omisit* Moses disciplinas Ægyptiorum, quorum sapientia tum temporis imposturas sive διδάγματα πλάνης tradebat & complectebatur. Recte autem responsum ab eodem Justino fuit, Mosen quorum scientiam habuit, ab eorum usu deinde abstinuisse: Quin addere licet, illa scientia optime usum ad fraudes Magorum manifestas faciendas, eludendas, explodendas, ut in eodem divino Exodi libro perscriptum videre est.

X.

Ecquis vero ex dictis non intelligit, de Logica disciplina ab Ægyptiis Mosi vel Mosis ætate aliis per Ægyptios tradita altum ubique apud veteres scriptores esse silentium, atque ex Stephani apud Lucam verbis nihil omnino afferri posse, quo Mosen de præceptis Logicis augendis nedum inveniendis cogitasse confirmetur? Neque hilum huc facit quod à Stephano Moses δυνατὸς ἐν λόγοις καὶ ἔργοις eodem in loco dicitur, nihil enim frequentius est quam viros insignes, & tum in dicendo tum rebus gestis præstantes simili elogio mactare, sine ullo respectu ad disciplinæ Logicæ argutias, ut innumeris exemplis Auctorum ad hunc locum ostendit vir acutissimus Alexander Morus. Non magis credibile est vel Abrahamum vel Josephum Patriarcham Dialecticæ in Ægypto vacasse, aut præceptorum Logicorum autorem Ægyptiis fuisse, quos longis temporibus post multi sapientum ad Mathematicas disciplinas imbibendas & ad naturæ discenda mysteria, nemo facile ad percipiendam ab iis Logicam adiisse legitur. Quam in rem non absurde mihi scriptum esse videtur

detur in ſatira Malmesburienſis Philoſophi Thomæ Hobbeſii, facetrimis alioqui ſalibus perſperſa & poſt autoris obitum ſub ſpecioſo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ titulo vulgata verſ. 339.

Pythagoras, Thales, Plato, plures, non petiere
Ægypti fraudes, nec ſacra Niliaca.
Nec demonſtrandi præcepta, nec officiorum,
Sed menſurandi quicquid in orbe fuit.
Quis Græcos reliquas artes docuit? quis elenchos?
Quis morum normam juſtitiaque dedit?
Socratis inventum Dialectica dicitur eſſe. &c.

Denique Clemens quoque Alexandrinus libro ſexto ſtromateon ſive Miſcellaneorum ſacrorum p. 633. ſq. de Philoſophia recentiorum Moſe Ægyptiorum fuſius agens, ejusque partes recenſens, nullam Logicæ mentionem facit. Forte igitur non erat cur nuperus * Logicæ Hebræorum ſcriptor iſtud argumentum de Moſe in omni Ægyptiorum ſapientia erudito reliquis à Keckermanno adductis firmius eſſe exiſtimaret ad tantam antiquitatem Dialecticæ vindicandam.

XI.

At ecce nova Logicæ diſciplinæ in ipſis Reip. Judaicæ primordiis haud inficianda veſtigia. Quis enim neſcit *Theologis ** veteris Teſtamenti commendatum λογεῖον & in eo Urim ac Thummim, quod nonnulli interpretantur perſpicuitatem & veritatem, quarum ſane magiſtra eſt ars Logica, quam non eſt cur negemus in ſcholis Levitarum quoque fuiſſe pro ratione ejus temporis traditam, quamvis certum ſit, Theologos Vet. Teſtamenti tantopere Logica artificiali non eguiſſe, ut hodie Theologi in Teſtamento Novo.* Ac profecto in notiſſimarum rerum ingnoratione verſari eum oportet, quem celebratiſſimum illud divinis literis Urim & Tummim fugit. Quid vero proprie fuerit, quæ ejus ratio, qui conſulendi iſtud qui denique ad interrogata reſpondendi modus, id forte non erraverit aliquis qui dixerit univerſos hodie juxta cum bene ignaris ſcire. Fatentur id de ſe Judæi ipſi (vani ſæpenumero ſcientiæ etiam quam non habent jactatores) uti Camii, Abrahami Sebæ & Sa-

* Joh. Julius Struvius in rudimentis Logicæ Ebræorum p. 7. Jenæ 1697. 4.

** Keckermannus l. c. ſimiliter Jac. Scheckius, Petrus Ramus, & in theatro vitæ humanæ Theodorus Zwingerus T I. p. 1179.

*** Vide Joh. Lightfoot, Opera poſthuma nuper edita p. 76.

 lomo-

lomonis ben Melech testimoniis ostensum Max. Rev. Carpzovio est p. 20. ad jus Regium Guil. Schickardi, quo in loco varias Judæorum Christianorumque interpretum sententias atque in his Spenceri quoque expositionem fuse refert rejicitque vir doctissimus. Contra vulgatam Rabbinorum sententiam de literis in rationali in syllabas & verba extuberantibus, quibus oraculum exhibitum legi posset, objiciunt ipsi Gemaristæ, quod literæ Tsade & Teth non affuerint inter literas nomina tribuum compingentes, quarum si usus esset in responso exhibito, quomodo defectus iste suppleretur? Simon vero Patricius Episcopus Eliensis commentario ad Exodum Anglice ante anni spatium edito per Urim & Tummim nihil aliud denotari putat, quam quod gemmæ pectoralis fulgidissimæ esse debuerint, reliqua autem universa, quæ ad pectorale referebantur annulos catenasque, perfecta esse oportuerit, (Tumim enim perfectionem proprie notat) antequam gemmæ insererentur. Nihil præterea diversum fuisse Urim & Tumim à rationali, probare conatur ex capite Exodi undequadragesimo, quo gemmæ quidem τῦ λογίυ nulla vero τῦ Urim ac Tumim mentio inter vestes sacerdoris summi occurrit. Parum vero huic viri acutissimi sententiæ videtur convenire cum communi traditione Judæorum, qua Urim & Tumim sub templo secundo defecisse affirmant annis antequam Josephus antiquitates Judaicas conderet ducentis. Hoc enim tempus innuit Josephus ipse libri tertii capite 9. Cæterum Spenceri opinionem præter Natalem Alexandrum, Hermannum Witsium aliosque singulari libro ante duodecim annos impugnavit Philippus Riboudealdus, cujus argumenta breviter exponit Imbonatus in Bibliotheca Latino Ebraica p. 209. seq.

XII.

Quid vero oraculum Urim & Tummin ad Logicam? aut num Logicæ etiam usus Hebræis perditus sub templo secundo? quem vereor ne etiam in nobis desiderent alii, si ita colligamus. Neque quicquam juvat quod pectorale istud λογεῖον sive λόγιον LXX. Interpretes appellant, quia ita dici potuit à ratione sive numero tribuum Israëliticarum cui duodecim gemmæ in illo περιστηθίῳ summi Pontificis respondebant. Quod vero Urim & Tumim δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν dicunt iidem Interpretes, Sirachides capite XXXIII. ἐρώτημα δήλων ubi δικαίων perperam legunt quidam codices pro δήλων, quæ vox de hoc oraculo plus simplici vice extat apud Epiphanium de vitis Prophetarum; quis inde artem Logicam exsculpserit? Egregia vero ratio: *perspicuitatis & veritatis Magistra sane est ars Logica.* Sane, sed oracula non fundit, non sapit ultra hominem. Non potest respondere διὰ τῶν δήλων quæ

quæ vox Hesychio & Suidæ per ὁράσεις exponitur. Non poteſt δηλοῦν res futuras, non poteſt in rebus ambiguis & hominum captum ſupergredientibus ἀλήθειαν tradere. Longe profecto acutius Johannes Caramuel graphicorum nugatorum ſubtiliſſimus in præfatione Logicæ Moralis per Urim ac Thumim Thomam Aquinatem Orbis Scholaſtici Solem ejusque Genuinos, Thomiſtas ſignificari annotavit. Quem hoc nomine meritiſſimo deridet Magnif. Doctoris ac Patroni noſtri Joh. Friderici Mayeri Logica Pontificiorum ἄλογος p. 90. quam ego ante hoc quadriennium, præſentibus binis Sereniſſimis Principibus in illuſtri Academia Kilonienſi ſub Max. Rev. autore reſpondentis partibus functus publice defendi. *Non tamen eſt cur negemus in ſcholis Levitarum quoque fuiſſe traditam Logicam.* Imo permagna ratio eſt, quia nihil afferri poteſt cur id affirmemus. Non licet in rebus facti meris niti conjecturis, neque rem probare vel extra controverſiam ponere eſt argumentari à baculo ad angulum. Sed quid ſi dixerit aliquis traditam tunc fuiſſe Logicam in ſcholis Levitarum *pro ratione ejus temporis?* Numquid vero hoc ad rem quicquam fecerit, donec oſtendas illis temporibus omnino traditam eſſe? Niſi enim hoc fiat, profecto gratis & temere ſcholis Leviticis ætatis Moſaicæ certum quoddam genus diſciplinæ Dialecticæ vindicatur.

XIII.

Equidem gravis & eruditus ſcriptor Euſebius libro undecimo præparationis Evangelicæ pluribus contendit, tripertitam Philoſophiam ſive diſtinctionem Philoſophiæ in tres partes, Moralem naturalem & rationalem, uti philoſophiam ipſam, Græcos ab Hebræis accepiſſe. Singulari deinde capite Logicam Hebræorum quam vocat perſequitur, quod eſt quintum in Græco-latina editione, in latinis tertium, & inſcribitur περὶ τῆς παρ' ἑβραίοις λογικῆς πραγματείας. Ita autem agit Euſebius, ut facile intelligas, non de fæce gentis ſed de antiquiſſimis Ebræis illum agere, de temporibus Salomone longe antiquioribus, de Moſe ipſo, quo nihil potuit dici ad Keckermanni ſententiam accommodatius. At nihilominus parum illi in Euſebio poſitum eſſe præſidii exiſtimo. Nam ut in præſens omittam, quod aliis forte non audiendi videbuntur quidam Eccleſiæ veteris doctores, quantumvis doctiſſimi ac diſertiſſimi, cum Græcos ab Ebræis, quos aſpernabantur, contemnendi viciſſim illis, omnia accepiſſe ſcribunt: paucis duntaxat monebo Logicæ vocem longe alio ſenſu quam quo nos eam accipimus, & niſi vocabulis ludere juvet, accipere debemus, ab Euſebio poni & accipi. Id vero me tacente ſola illius capitis apud Euſebium lectio vel mediocriter attentos perdocere poteſt. Quid igitur eſt Logica ex mente Scriptoris hujus præſtantiſſimi? Nihil

Nihil certe aliud quam contemplatio Dei rerumque divinarum, quam à Philosophorum Græcorum scholis Logicis longe diversam doctrinam præ se ferre, ipse statim sub initium capitis innuit. Atque ita Logicæ etiam ac Dialecticæ vocem pro Theologia ac Metaphysica usurpatam esse ab externis quibusdam Scriptoribus reperio, ne quis simile aliquid in Eusebio velut nimium insolens mirari possit. Imo nobilissimi quidam ex Philosophis, cum tres Philosophiæ partes ponerent, unam Ethicam, Physicam alteram, tertiam rationalem; id ita diserte exposuere, ut per rationalem intelligerent eam, quæ incorporea, Deum, genios, animam contemplatur, ut docet Macrobius in extremo libri secundi commentariorum ad somnium Scipionis. Sic Galli veteres habebant Eubages suos sive naturalis Philosophiæ doctores, tum Bardos, doctores Ethicos sive morales, denique Druidas Logicos rerum divinarum consultos. Eodem sensu tripertita Philosophiæ distinctione utitur Eustathius ad Iliad. ϛ. οὐδεὶς οὐδὲ τῶν τὰ ἄνω περιεργαζομένων οὔτε τῶν περὶ φύσιν, οὔτε τῶν περὶ ἤθεσι παρῆλθε τὴν Ὁμηρικὴν σκηνὴν ἀξεναγώγητος. *Nemo facile Philosophorum neque eorum qui superos & res divinas curiose indagant, neque Physicus, Ethicusve, Homerum ita neglexit, ut ad illum velut ad gratissimum hospitium non libenter diverteret.* Hinc intelligitur quo sensu Plato lib. septimo de Rep. p. 441. seq. Dialecticam velut invisibilium atque divinarum rerum Magistram commendat, & alibi negat quemquam sine Dialectica esse sapientem; quemadmodum eadem τὰ θεῖα εὑρίσκουσα dicitur Asclepio * Tralliano in commentario Ms. ad Arithmeticam Nicomachi Geraseni. Confer etiam Plotinum Enneadis primæ libro III. p. 21. ubi Dialecticam à Logica vulgari velut longe inferiore conceptis verbis ac nominatim distinguit.

XIV.

Reliquum jam esset perpendere, quomodo Logica sensu vulgari, vel ita ut Rhetoricam & Grammaticam ambitu suo contineat, Ethicæ ac Physicæ contradistinguatur à Socrate, Platone, Aristotele, Stoicis & Epicuro: hinc dispicere accuratius rationemque ejus dignoscere, quod fatetur vir doctus *Theologos V. T. minus eguisse Logica artificiali quam Theologos sub N. T.* Denique subjungere plurima alia quæ ad Historiam Logicæ à genuinis ejus incunabulis ad nostra usque tempora pertexendam restant, & quæ post Keckermannum, Vossium, Rapinum & alios qui id argumenti attigere, viros insignes, forte non usquequaque protrita observari possent. Sed cum illa in aliud tempus rejicere chartæ temporisque ratio jubeat, vel pauca isthæc quæ jam allata in medium sunt, speciminis loco sufficere, & cum bona lectoris venia finem præsenti Exercitationi heic a me imponi posse existimo.

* Vide Ism. Bullialdum p. 194. ad Theonem.

Sequitur

Quinquagena thesium Philosophicarum.

1.

Qui propter inutiles tricas Sophistarum omnem usum Logicæ ac Metaphysicæ aspernantur, similes sunt Asclepiadi omnem usum herbarum ob Magicas vanitates abroganti, vel Augustino susque deque habenti Astrorum cognitionem universam, propter inanem superstitionem Astrologorum.

2. Quamvis non nisi rerum ignoratione potest errari, non est tamen consequens ut continuo erret quisquis aliquid nescit. Augustin. c. 17. Enchirid. ad Laurentium.

3. Error est cum rem nos recte percipere putamus, quam non recte percipimus, vel quod nimium nobis arrogamus, vel ex negligentia aut impatientia, vel ex stupiditate ingenii vel ex obstinatione aliisque affectibus aut præconceptis opinionibus præpediti, & autoritati hominum in errore versantium plus justo tribuentes. Confer. Joh. Clerici Logicam parte II. cap. 11. & quibus plura debere se lubens fatebitur vir doctus, Johannis Lockii ingeniosissimi Britanni librum anglice plus vice simplici editum & mox gallice in Batavia recudendum de intellectu humano lib. IV. cap. 19. Malebranchium de inquirenda Veritate &c.

4. Recte Aristoteles: *Eum qui plura novit, plura sequuntur dubia.* Hoc vero falsissimum erat, nisi doctissimum quemque & sapientissimum longe plurima adhuc fugerent.

5. Erudite idem Aristoteles: *Gradus ad scientiam rerum, ipsa primum dubia observasse.* Sed propterea neque Cartesianum esse fuerit necesse, multo minus Scepticum sive Pyrrhonium ne ad tempus quidem.

6. Mirum est Scepticos finem sibi proposuisse *ἀταραξίαν* (vide Sextum Empiricum lib. I. cap. 4. Pyrrhon. Hypothes. &c.) cum nihil magis videatur contrarium esse mentis tranquillitati quam perpetua nec intermissa de universis rebus dubitatio.

7. Gradus assensus hi esse possunt: Nescire. Dubitare an fieri forte possit. Dubitare an fortasse sit. Suspicari. Affirmare probabiliter. Affirmare certo ac defendere. Negare contrarium, impugnare, irridere, persequi.

8. Gradus negandi aliquid, possunt esse hi, respondentes iisdem quos

jam posui: Nescire. Dubitare an sit. Dubitare an fieri possit. Suspicari falsum esse sive propendere in negationem. Negare probabiliter. Negare audacter & affirmare ac tueri contrarium, id vero quod neges impugnare, explodere, persequi.

9. Sæpe versari videas in summo gradu affirmationis & negationis qui primos adeoque infimos nunquam mente attigerunt.

10. Nondum à viris doctis ne ab ipso quidem Cartesio Geometrice demonstratum est, in cogitatione actiones esse quæ absolutam libertatem pro suo principio habent, neque solum in ea reperiri visionem quæ determinetur per ideas. Bredenburgius in confutat. tractatus Theologico politici p. 99.

11. Uti in voluntate hominis potest esse quædam ἀπολίθωσις atque obstinatio malis sese ingurgitans bonaque respuens, ita potest etiam in intellectum hominis cadere ejusmodi ἀποθηρίωσις sive νέκρωσις νοητικὴ ac λογικὴ ut verissima & manifestissima neget atque impugnet. Confer Arrianum lib. I. Epictetear. dissertation. cap. 5.

12. Fieri potest ut homo sibi eodem tempore imprudens persuadeat duo contradictoria. Vide Acontii strategemata Satanæ lib. III. p. 106 127. sq. & ejusdem Epistolam apud Virum Clariss. Thomam Crenium parte II. animadvers. philolog. & Histor. p. 135.

13. Facile accidit ut argumentum vel mediocriter probabile quod me jam non movet, moveat alios vel etiam me alio tempore: ac vicissim me aliosque non moveat demonstratio. Ex qua re imbecillitas humani intellectus magnaque quæ ad assensum accedit voluntatis autoritas convincitur.

14. Paucissimi vel nulli forte sunt homines qui mentis acie tam firma valent ut demonstrationum vi semper teneantur, & propter illas (præsertim si subtiliores sint) semper firmiter assentiantur demonstratis conclusionibus.

15. Quamvis nihil sit demonstratione certius ac præstantius, nimis tamen plæclare de homine sentire, adeoque respectu fructus male veritati consulere videntur, qui pro ea solas volunt afferri demonstrationes & argumenta apodictica.

16. Recte Proclus p. 176. in Platonis Timæum: *ὁ πάντα ἀπόδεικτα νομίζων αὐτὴν ἀπόδειξιν ἀναιρεῖ. Qui nihil non demonstrari posse contendit, ipsam tollit demonstrationem.*

17. Syllogismus aptior est ad investigandos errores & veritatem jam notam perspicue declarandam, quam ad eruendas novas atq; incognitas veritates.

18. Spes est, extitura denique ingenia præstantissima, qui Algebræ usum in aliis etiam rebus magis magisque ostendent quam in magnitudinibus.

19. Om-

19. Omnis certe ratiocinatio in hasce tres operationes animi (non in duas priores tantum, ut Hobbesius in computatione sive Logica sua affirmat) recidere videtur, additionem, subtractionem & æquationem in quibus ipsis occupatam esse Algebram notum est.

20. Divisio ex uno multa, definitio ex multis unum efficit, ut acute observarunt Pythagorici. Sic Jamblichus libro tertio de secta Pythagorica p. 63. edit. Scultelli, qui excerpta duntaxat illius libri latine edidit. Integer sed itidem latine tantum nec optime Holstenio judice translatus extat in inclyta Johannea Bibliotheca hujus urbis: Græce obvius in Bibl. Augustissimi Imperatoris nec in una Bibliotheca Angliæ, Galliæ, Italiæ.

21. Qui bene distinguit, bene docet. Sed non bene distinguit qui nimis in distinguendo subtilis est, cujusque chartæ Morhofio τῷ μακαρίτῃ p. 844. poëmatum, non insulso joco, articulari morbo laborare videntur. Ejusmodi homines rem non distinguere sed comminuere, *κατάγνυναι, κερματίζειν, κατακερματίζειν* dixit Plato in Menone p. 337.

22. Qui Scholasticorum scripta cum pomis Sodomiticis conferunt, similiantuntur longe à veritate repulsò. Externa enim species pomorum illorum suavis & grata fertur, cum Scholastici e contrario nihil habeant quo se extrinsecus commendent, dictione usi barbara, methodo spinosa & hispida. Si introspexeris, bona forte quædam sed pauca offendes, quæque rara nantes in gurgitibus vastissimis.

23. De ejusmodi scriptis merito valet illud Velleji Paterculi: *Pene magis necessaria prætereunda, quam supervacanea amplectenda.* Non, certe, ac si mens sit juvenes à necessariis discendis dehortari, sed monere ut illa ex libris hauriant sanioribus. Nam ut ait castissimus & sapientissimus juvenis Michaël Verinus:

Cum tanta heu miseris penuria temporis instet,
Cur, Dine, in nugis tempora longa teris?

Quare si usquam, in Scholasticorum certe scholis homini sano ex Gelliani Neoptolemi consilio *Philosophandum est paucis, nam omnino, non placet.*

Quin tu aliquid potius nobis quorum indiget usus
Viminibus mollique paras detexere junco. *Virgil.*

24. Quærenti cur termini, præter barbarum sonum, ineptiorem sæpe sensum fundentes, nihilominus mire arriserint Scholasticis ingeniis, rationem minime ineptam reddit Lucretius lib. I. v. 642. 643.

Omnia enim stolidi magis admirantur amantque
Inversis quæ sub verbis latitantia cernunt.

25. Pons

25. Pons asinorum dicitur à Scholasticis ratio generalis inveniendi medium terminum, juxta versiculos asinis haud indignos;

Fecana, *Cageti*, *Dafenes*, *Hebare*, *Gedaco*,
Gebali stant, sed non stant *Febas*, *Hedas*, *Hecas*.

Ubi in novem vocabulis barbaris medium terminum totidem modis extrema sive subjectum & prædicatum propositionis concludendæ respicientem indicantibus, literæ consonantes B. C. D. prædicati consequens, antecedens, repugnans, F. G. H. subjecti consequens, antecedens, repugnans subinnuunt: Vocales priorum duarum syllabarum E. A. subjectum & prædicatum propositionis, cujus medius terminus inveniendus est: Vocales denique quatuor, syllabæ postremæ, A. E. I. O. in sex vocibus trisyllabis, quibus solis modi concludentes per respectum medii ad extrema indicantur, ostendunt ejusdem propositionis quantitatem & qualitatem, A universalem affirmativam &c. Dum autem vocatur pons asinorum, nonne monemur eo homines ad inveniendum medium terminum carere posse? Continet tamen non indignam homine, rationis medii termini inveniendi analysin ab Aristotele pridem demonstratam.

26. Quatuor vocales A. E. I. O. quibus diversam quantitatem & qualitatem propositionum innui notissimum est, in tribus Syllogismi propositionibus transponi possunt quatuor & sexaginta vicibus, unde in qualibet figura totidem modi prodirent, nisi earum paucissimos duntaxat concludere observasset Aristoteles. His si addas totidem modos indirecte concludentes, ita ut major terminus sit conclusionis subjectum, jam habebimus in quavis figura Modos CXXVIII. Patet inde quanto labore constiterit Philosopho, Modis asyllogisticis rejectis genuinos seligere, eorumque regulas constituere.

27. Visum tamen est plures modos concludere quam in vulgatis Peripateticorum libellis Logicis proponuntur. In prima figura v. g. quis ausit rejicere hunc syllogismum?

DA *Quicunque non est stultus, ille sapit,*
RO *Socrates vel quidam homo non est stultus*
J *Ergo Socrates vel quidam homo sapit.*

Neque hoc argumentum procedit tantum beneficio materiæ, quia omnes syllogismi hac forma gaudentes concludunt. Similiter possunt rite formari Syllogismi in BARBERA, CELERENT & FEREO ut à Bendlero nuper & ante eum ab aliis annotatum est. Sed forte his acutior Aristoteles observavit syllogismos istos si recte resolvantur & disponantur, non dare locum novis modis,

modis, ſed cum vulgo jam receptis coincidere. Majoris enim ſubjectum infinitum in illis argumentis ita efferri debet:

Quicunque eſt homo minime ſtultus, ille ſapit,

Socrates eſt ejusmodi homo minime ſtultus, Ergo.

Sic etiam in argumento Chriſti Servatoris, verba: *Quicunque non eſt ex Deo, verbum Dei non audit*, in ſyllogismo poſita æquipollent hiſce: *Quicunque eſt homo ex Deo non exiſtens, verbum Dei non audit*, hinc patebit minorem propoſitionem prodire affirmativam: *Vos eſtis ejusmodi homines, Ergo.* Neque objicere licet hac ratione omnes negativas propoſitiones ubivis poſſe in affirmativas permutari. Quantum enim novorum illorum modorum fabricatores peccant quod minorem propoſitionem infiniti prædicati in negativam mutare non dubitant, tantum peccarent, ſi e negativis vellent alibi pro lubitu affirmativas procudere.

28. Ex quinque indirecte concludentibus Modis primæ figuræ hi duo *Boralip* & *Fapesmo* reliquis præferendi videntur.

29. Etſi eximium, non ſolum tamen eſt principium concludendi *Dictum de omni & nullo*. Quoniam vero Ariſtoteles id propemodum unice magni feciſſe videtur, non dubitavit rejicere hos ſimilesve ſyllogismos, qui ex principio: *quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*, aliis non male concludere videbuntur in prima figura ex meris particularibus: *Quoddam animal volat, Quoddam vivens eſt animal, Ergo Quoddam vivens volat.* Vel ita: *Quoddam animal non volat, Quoddam vivens eſt animal, Ergo Quoddam vivens non volat.* Cæterum ex puris negantibus particularibus nihil prorſus ſequi certum exploratumque eſt.

33. Nimis acutus fuit auctor Epicriſeos Theologicæ ad quæſtiones de gratia & redemptione univerſali contra Dallæum (Groning. 1658. p. 415. ſeq.) cum vitioſæ formæ accuſavit hoc argumentum: *omnes & ſinguli credere jubentur Chriſtum pro ſe eſſe mortuum, Ergo Chriſtus pro omnibus & ſingulis eſt mortuus.* Similis argumentatio Chriſti: *Deus eſt Deus Abrahami Iſaaci & Jacobi, Ergo Abraham Iſaac & Jacob vivunt.* Utriusque vero ſyllogismi rectitudinem oſtendit analyſis facillima: *Quicunque credere jubentur Chriſtum pro ſe mortuum fuiſſe, ſunt illi pro quibus Chriſtus eſt mortuus. Atqui omnes & ſinguli, fideles & infideles, jubentur credere Chriſtum pro ſe eſſe mortuum. Ergo omnes & ſinguli, fideles & infideles, ſunt illi pro quibus Chriſtus eſt mortuus. Quorumcunque Deus eſt Deus, illi vivunt, atqui Abrahami, Iſaaci, Jacobi Deus eſt Deus, Ergo Abraham, Iſaac, Jacob vivunt,*

31. Quarta figura Galenica vulgo dicta (autore ni fallor Averroe) in

 Galeni

Galeni operibus quæ hodie extant non traditur. Exempla tamen illius in iisdem occurrere non nego, quæ passim etiam apud alios veteres reperire est. Ut in Platonis Alcibiade: *Quæ justa sunt honesta sunt, quæ honesta sunt bona sunt. Ergo quæ justa, bona sunt.* τὰ δίκαια καλά, τὰ καλὰ ἀγαθά. τὰ δίκαια ἄρα ἀγαθά. quibus verbis in prima figura argumentatum fuisse Platonem scripsit Alcinous, Galeni figuram ignorans cap. 6. de doctrina Philosophi. Sed tales syllogismos post Aristotelem, Theophrastum & Eudemum Boëthius quoque ad primamfiguram refert libr. II. de Syllogismo Categorico.

32. Falluntur Guil. Camerarius Scotus, Caramuel & alii qui perfectiorem prima figura esse Galenicam contendunt. Cæterum modi ejus hi directi sunt quatuor: *Attala*, *Galene*, *Pirabi*, *Viredo*, reguntur. Indirecti quinque: Non *Calativ*, *Tibaris*, *Trecismo*, *Sesapmo*, *Carenes*.

33 Græcis recentioribus, ut Athanasio Byzantino Rhetori aliisque, Nomina Modorum primæ figuræ sunt Γράμματα, ἔγραψε, γραφίδι, τεχνικός. Secundæ: ἔγραφε, κάτεχε, μέτριος, ἄχολος. Tertiæ: ἅπασι, σθεναρός, ἰσάκις, ἀσπίδι, ὁμαλός, φέριστος. Quod ad imitationem latinorum recentium excogitarunt, ab antiquis enim & ipso Aristotele nomina Modorum ignotantur.

34. Modi propositionum infiniti sunt; non tantum quatuor, *necessarium*, *possibile*, *contingens*, *impossibile*, sed quot adverbia qualitatem declarant, v. g. *bene*, *sapienter*, *astute*, *juste*, *impudenter*, *absurde* &c. Vide Ammonium & Magentinum ad lib. περὶ ἑρμηνείας. Non deest tamen ratio quare paucos illos potissimum & unice delegerit Aristoteles.

35. Enthymema & exemplum nihil aliud esse quam Compendia syllogismi & inductionis, affirmat vir supra laudes lib. 5. de augmentis scientiatum cap. 2. certe non firmiter probant, nisi Syllogismo legitimo & inductione integra nitantur. Licet tamen in topicis etiam ab exemplo citra inductionem argumentari, atque id sæpe faciunt Rhetores: Non tamen ita argumentatus est Paulus, cum Abrahami justificati per fidem exemplum nobis proponit in Epistola ad Romanos, sed ad inductionem tacite provocavit, haud quemquam alio modo quam quo justificatus est Abrahamus, atque adeo per fidem justificari, ut probe observavit Cornelius Martini in libello aureolo de analysi formæ.

36. Non solum scire artis est, sed est quædam etiam ars docendi, ut ait Cicero lib. II. de legibus. Hanc vero tradere cujus potius quam Logici est officium?

37. Locorum Topicorum fons amplissimus & fœcundissimus, omnium-

que

que velut Compendium quoddam eſt qui à conjugatis petitur. Vide artem conjugativam Johannis Melleti Helvetii.

38. Sophiſmatum omnium locupletiſſimum & ad quæ omnia fere reduci poſſunt, eſt ignoratio elenchi, ut jampridem ab Ariſtotele obſervatum eſt. Cæterum varia illorum genera minus protrita expoſui ante hos octo annos in diſſertatione de cavillationibus Stoicorum, ſive Stoicaſtrorum potius. Genuini enim Stoici Philoſophi, artificii illius veternoſiſſimi nodos aſpernabantur, ut ex Arriano, Antonino, Seneca perſpicuum eſt.

39. Primæ Philoſophiæ Ariſtotelis vix προθεωρίαν vel partem προθεωρίας ſervavit Metaphyſica Scholaſticorum, quæ poſtquam Pneumaticam velut ſeparatam diſciplinam à ſe disjunxit, à Logica non magis differre videtur Jacobo Thomaſio τῷ μακαρίτῃ quam Lexicon linguæ à Grammatica.

40. Neque videtur abſurda eſſe iſta ſententia Philoſophi acutiſſimi. Plerique enim recentiores nihil magis ſolliciti fuerunt, quam ut in Metaphyſica utcunque exponerent terminos Philoſophicos, qui magnam partem jam ab Ariſtotele libro quinto Metaphyſ. explicantur.

31. Per *ſcientiam Entis quatenus ens*, Ariſtoteles intelligit habitum theoreticum demonſtrativum de Deo vero ente angeliſque divinæ eſſentiæ ἀποσπασματίοις. Reliquas enim res utpote analogata ignobiliora minus univoce entia dici, ſolumque Deum ὄντως ὂν eſſe ſupponit Ariſtotelis minime profecto Athei Metaphyſica.

42. Scholaſticis vero *diſciplina de ente quatenus ens*, eſt fere diſciplina inſtrumentalis de ente quatenus natura ejus abſtracta conſideratur à Deo & rebus creatis, ita ut utriſque univoce communis eſt quatenus etiam entitas * complexa, accidentalis, potentialis & rationis intelligi, & intelligendo abſtrahi poteſt.

43. Qui de Deo etiam & Angelis tractationem veluti partem ſpecialem Metaphyſicæ ſuæ ſubjecere Chriſtiani, potuiſſent eodem jure ſubjicere Phyſicam & Matheſin ſed & Ethicam & quicquid eſt diſciplinarum. Nulla enim non agit de ente aliquo conprehenſo ſub generali illo ſenſu quem voci entis Scholaſtici impoſuerunt.

44. Quemadmodum cauſa exiſtentiæ actualis omnium rerum extra Deum eſt, quod eam Deus eſſe vel fieri vult, aut permitit: ita ut aliquid poſſit eſſe, cauſa eſt quod hoc ut ſit fiatque, Deus velle aut permittere poteſt.

45. Si Deus ſit corporeus, non eſt infinitus. Contradictorium enim eſt dari extenſum infinitum actu, non minus quam dari numerum actu infinitum. Atqui incorporeum eſſe Deum, ex natura colligimus, ex Scriptura credimus, & perſuaſi ſumus.

46. Ex

46. Ex præcipuis duobus necessariis conceptibus de Deo summo, primus est quod ipse non est ab alio, alter quod ab ipso sunt universa quæ sunt fuerunt & futura sunt.

47. A negatione unius conceptus materialis ad negationem alterius materialis, vel conceptus formalis, non valet consequentia.

48. Suppositalitas nihil videtur addere reale individualitati ab eadem realiter distinctum.

49. Principium individuationis est perfectio qua aliquid est integrum Metaphysice id quod est. Sic v. g. Petrus individuum humanum est distinctum à Paulo quia est homo perfectus. Etiamsi mutilatus sit, tamen est homo integer mutilatus, integritate Metaphysica.

* 50. Contemtoribus veræ sanæque Metaphysicæ vel obiter tantum illam ac primis duntaxat labris degustantibus probe perpendenda hæc Viri Sapientissimi Baconis Verulamii verba præf. ad libr. de augmentis scientiarum; *Si quis judicet doctrinam omnem referendam esse ad usum & actionem, recte sapit; verumtamen facile est isto modo prolabi in errorem illum quem fabula perantiqua perstringit, in qua cætera corporis membra litem ventriculo intenderunt, quod neque motum præberet ut artus, neque sensum ut caput, quamvis interea alimentum coctum atque confectum ventriculus ille in reliquum corpus divideret. Plane eodem modo, qui in Philosophia & contemplationibus universalibus positum omne studium inane atque ignavum arbitratur, non animadvertit singulis professionibus & artibus exinde succum & robur suppeditari. Atque certe persuasum habeo hanc ipsam haud minimam causam esse cur felicior Doctrina progessus hucusque retardatus sit, quod opera hisce fundamentalibus scientiis navata sit tantum in transitu, neque haustus pleniores inde epoti. Nam si arborem solito fructuosiorem fieri cupias, de ramis medicandis frustra cogitaveris, terra ipsa circa radicem subigenda & gleba latior admovenda, aut nihil egeris.*

Δόξα Θεῷ.

* Vocabulis barbaris peto veniam. Nempe, ut ait ille,
Versibus exponi Tragicis res Comica non vult.

Exer-

EXERCITATIO THEOLOGICA INAUGURALIS DE

RECORDATIONE ANIMÆ HUMANÆ POST FATA SUPERSTITIS,

QUÆ

INDULTU MAXIME REV. FACULTATIS THEOLOGICÆ IN ILLUSTRI ACADEMIA KILONIENSI,

SUB PRÆSIDIO

VIRI MAGNIFICI SUMME REVERENDI ATQUE EXCELLENTISSIMI

D. JO. FRIED. MAYERI, Lipſ.

AUGUSTISSIMI REGIS SUECIÆ PER UNIVERSAS GERMANIÆ PROVINCIAS ET REVERENDISS. ABBATISSÆ QUEDLIMBURGENSIS COSILIARII IN SACRIS PRIMARII, SS THEOLOGIÆ PROFESSORIS ORDINARII ET H. T. FACULTATIS THEOLOG DECANI, PASTORIS AD S JACOBI APUD HAMBURGENSES ET SCHOLARCHÆ,

DOMINI PATRONI, PRÆCEPTORIS ET HOSPITIS IN PARENTIS VICEM VENERANDI

PRO LICENTIA

IMPETRANDI SUMMOS IN THEOLOGIA HONORES

PRID. CALENDAR. OCTOBR. HORIS ANTE ET POMERIDIANIS, *PUBLICO EXAMINI SUBJICIETUR*

A

M. JOH. ALBERTO FABRICIO, Lipſienſi,

PHILOSOPHIÆ MORALIS ET ELOQUENTIÆ IN GYMNASIO HAMBURGENSI PROFESSORE PUBLICO.

KILIÆ,

Literis BARTH. REUTH, Acad. Typ. Anno M DC XCIX.

INCLYTÆ CIVITATIS
LIPSIENSIS
MAGNIFICIS
CONSULIBUS
AC
PROCONSULIBUS,
SYNDICIS AMPLISSIMIS
GRAVISSIMISQUE ÆDILIBUS
ET PRÆTORIBUS,
AC CÆTERIS QVOTQVOT SUNT,
NOBILISSIMI ORDINIS
SENATORII
VIRIS ANTIQUA FIDE, RERUM
GERENDARUM PRUDENTIA AC DEXTERITATE SPECTATISSIMIS.

PA-

PATRIÆ PATRIBUS
EXOPTATISSIMIS,
DOMINIS PATRONIS
AC MÆCENATIBUS
VENERANDIS.

De recordatione animæ post fata commentatus, potuissem videri jam in vita omnem vitæ memoriam deposuisse, si obscœna Patriæ oblivio me caperet. Igitur quamvis in florentissima Hamburgo alteram veluti Patriam divino beneficio reperi, non tamen natus sum tam infelicibus oris, ut Lipsiæ Vestræ natales me debere pœniteat. Potius frequens ac suavissima recordatio subit animum meum, annorum plurium in eadem jucunde & suaviter, inter amicos exactorum, & positi Lipsiæ tirocinii in literis, sub ductu Magistrorum optimorum, præstantissimorumque. Quidni autem vel peregrino homini, qui duntaxat per breve tempus ibi versatus esset, illamque lotum gustasset, jucundum sit sæpe memoria repetere hoc civitatum decus, non tam ædium elegantia qua plerisque Germaniæ opidis & urbibus præstat, quam humanissimo vitæ genere, Magistratuum gravitate ac prudentia, dexteritate doctorum, discentium copia industriaque, civium & incolarum politissimis moribus æstimandum In qua non minus flos mercaturæ viget, quam ad hanc velut ad mercaturam bonarum artium maximam ac locupletissimam undique confluunt & cum uberrimo fructu domum revertuntur avidi doctrinæ ac sapien-

tiæ ſtudioſi. Ad quam denique æque diligenter velut ad commune quoddam farreum ac granarium omnigenæ eruditionis ex univerſa Europa convehitur quicquid ubique gentium literis prodidere doctiſſima ingenia, quam frequentes ad eam concurrunt ex variis longeque diſſitis regionibus mercatores omne genus mercium ſecum adportantes. Qui itaque fieri poſſet, ut ego hanc eandem patriam meam tot beneficiis per tot annorum decurſum memoriæ meæ commendatam non ſemper cum ſerio voto perennis felicitatis meminerim, ullave dies turpem ejus oblivionem animo meo afferat. Quamobrem tanto minus vitio mihi verteris, Optimi Patriæ Patres, ſapientiſſimi Lipſienſis civitatis Dii tutelares ac πολιοῦχοι, quod Vobis, quorum prudenti conſilio ſalutem patria debet, gratam hanc ejusdem memoriam, obſervantiamque ſimul in vos meam, conſecrata præſenti de recordatione animæ poſt fata diſſertatione inaugurali, teſtatam facere auſus fuerim, exiguo quidem & tenui, at certo ac publico documento. Quod ſi æqui bonique conſulueritis, ſolitoque veſtro in literas favore proſecuti fueritis, non mediocriter mihi gratulabor, quemadmodum viciſſim nullam occaſionem patiar elabi, qua Vobis de obſervantiſſimo meo in Vos animo conſtare queat. DEUS Ter Opt. Max. Vos quam diutiſſime Patriæ ſervet, felicitatique civitatis veſtræ addat perennitatem! Scripſi Kiliæ VI. Cal. Octobr. Anni Chriſtiani cIↄ Icc Ic.

Magnificorum Ampliſſimorumque
Nominum Veſtrorum

Cultor obſervatiſſimus

JOHANNES ALBERTUS FABRICIUS.

J. N. D. N. J. C.

PROLEGOMENA

De differentia memoriæ humanæ a memoria brutorum.

C*um universa hominis structura ac conditio admiratione dignissima sit, & animus inprimis, ac quibus hic gaudet facultates, de Conditoris sapientia ac bonitate luculenter testentur; tum nihil est admirabilius memoria, cujus specie quadam quantumvis gaudent etiam bruta animantes, humano tamen generi longe nobiliore perfectioreque ratione concessum est, ut non modo præsentium sensu bonorum tangatur, sed & præterita memori mente recolere, eorumque memoria oblectare se, mala vero quæ acciderunt, ut imposterum evitentur, provide meminisse queat. Norunt igitur homines, cum recordantur, se recordari, idque facere se non raro cogitant, præterea quicquid ex rebus p.rceptis volunt, possunt memoriæ mandare, sive ut Plauti verbo utar, memorare memoriter, adeo ut solertia* Simonidis *& aliorum, artem quoque memoriæ repererit. Quod si imagines vel species nonnullæ forte se cogitationi nostræ subduxerunt, eas repetere, & postliminio vindicare nobis, atque in memoriam revocare possumus, quam reminiscendi facultatem brutis negatam esse, jam olim notavit* Aristoteles *in libello sive tmemate Operis Physici, quo agit de memoria ac reminiscentia. Eidem memoriæ ut succurratur, notæ sunt literæque ab hominibus inventæ, aut divino potius beneficio, ut omnia, nobis traditæ: Quid enim sunt tot libri, tot præclara virorum doctissimorum monumenta, nisi memoria quadam visibilis rerum omnis generis præstantissimarum? Ut vero eruditus, ut quam plurima expertus, ut sapiens denique habeare, memoria polleas oportet. nec quicquam est Viro immemore ad res gerendas vel etiam ad amicitiam & communem vitæ consuetudinem ineptius, ut recte dixerit* Cicero *memoria non modo Philosophiam, sed omnis vitæ usum, omnesque artes una maxime contineri. Neque solummodo ad conservandam, veluti in brutis, aut ad oblectandam vitam mirifice facit, quod memores sumus, sed est hac quoque*

plerarumque virtutum scaturigo ac fundamentum; nam nec grati esse, nec obedientes, neque justi, neque prudentes adeo sine memoria possemus, neque ullus esset prolapsis in crimina sine memoriæ beneficio locus pœnitentiæ. Quamobrem etiam in sacris literis omnia fere officia piorum ad memoriam referri intelligimus, nihil enim frequentius monemur, quam ne DEI, vel præceptorum ejus, fœderisque nobiscum initi fœda nos capiat oblivio. Cohel. XII. 1. Deut. IV. 9. & 23. Num XV. 39. Sirach. XLI. 23. *ex Viri magni emendatione:* αἰσχύνεσθε ἀπὸ λήθης Θεοῦ καὶ διαθήκης. Pudeat vos Dei aut legis ejus oblivisci. *Vulgo legitur* ἀληθείας Θεοῦ διαθήκης. *Sic, ut gratum se Deo testetur Davides,* Benedic anima mea, *inquit*, Domino, neque obliviscere, quantis te beneficiis affecerit. Ps. CIII. 2. *Peccatores ad pœnitentiam his verbis invitat DEUS* Apocal II. 5. Memento unde excideris, & ad sanitatem redi, ac priora opera facito. *Denique* Paulus *Apostolus summum Christiani hominis officium* Timotheo *commendaturus, memoriæ potissimum opus ipsi esse affirmat:* Recordare JEsum Christum ex mortuis excitatum, Davidis prognatum semine, ut fert Evangelium meum. 2. Timoth. II. 8. *Quam fidelis porro testis, quam justi Judicis partibus fungitur memoria, quanta voluptate perfundit animum, cum recte facta retentat, & cogitatione complectitur: quanta vicissim crux, quam gravis tortor est improbis, quibus & turpitudinem criminum, & severitatem Dei Legislatoris, & amissorum bonorum præstantiam, magnitudinemque pœnarum, quas transgressoribus præceptorum suorum minatus est, uno obtutu & clarissime ob oculos ponit.*

Quæ universa, cum vel plane non sint in animantibus mutis, vel ita certe, ut longe infra humanam conditionem subsidant, tum triplici potissimum nomine memoria illarum ab humana vincitur, etsi in brutis quoque recordandi virtutes, cum in se spectantur, omnem supergrediuntur admirationem. At enim cum in mutis animantibus totam recordationem absolvi constet consimili spirituum animalium motu in cerebro, quo inexplicabili ratione ideæ per sensus externos non visum duntaxat sed auditum quoque olfactum & reliquos percepta, in phantasia retinentur, & non vigilantes modo afficiunt, sed per insomnia quoque vel delectant vel terrent: è contrario in homine præter hæc omnia est sublimior intellectus, Phantasiæ ipsius ephorus quidam atque epoptes, qui eam modo corrigit, modo confirmat, modo erroris arguit, actuque in se ipsum reflexo ac reducto perspectum habet, res vel verba à sensu communi percepta & phantasiæ ope comprehensa, à se firmiter retineri & in usum vitæ servari. Deinde brutorum memoriæ tradi nihil potest, præter res quæ sensibus ipsorum externis percipiun-

cipiuntur, cum homo possit etiam memoriæ ipsius & meditationum de DEO, & sensibus externis etiam in alia re interim occupatis, abstractarum à quacunque re sensili contemplationum meminisse Denique in homine longe major est quam in brutis memoriæ vis atque perpetuitas, quod non tam de præsenti vita intellectum velim, etsi quod ad hanc quoque attinet, inter omnes animantes, ne canibus quidem atque elephantis camelisque exceptis, homo meminit & facillime, & firmissime, & diutissime, notissimaque sunt omnium ætatum memoriæ humanæ incredibilis ac felicissimæ exempla: Sed hæc præ ceteris ingens hominum prærogativa est, quod cum mutis animantibus mors ut vita sic etiam memoriæ omnis interitum afferat, è contrario membrorum nostrorum compage per mortem soluta atque infracta, turbatis & interclusis spirituum animalium meatibus, cerebro ipso putente, nihilominus animus noster corpori superstes recordatur, & corpus quidem, at una cum eo actarum rerum retinentiam, ceu arguit Lucretius, *neutiquam deponit, imo servat ac tuetur, corpori olim resuscitato iterum jungendus, atque in corpore deinceps eandem æternum servaturus. Quod postremum, cum magni imprimis momenti & multorum disquisitioni obnoxium sit, missis ceteris memoriæ humanæ prærogativis,* De recordatione animi humani post fata superstitis *in præsenti diatriba agere institui, magis semper operæ pretium esse ducens de sua ipsius post mortem, quam de sui apud alios memoria esse sollicitum. Ita autem universum negotium DEO propitio absolvam, ut initio demonstraturus sim, ex Philosophia & rationis sanæ scitis nihil solidi posse proferri, quo vel superstitem esse post fata, vel recordari mentem hominis negetur, labefactetur, infringatur, cum vicissim plurima sint quæ utrumque non obscure suadeant & ostendant. Deinde ad sacrarum literarum ductum & recordari animum ab excessu à corpore, & qualis ejus sit tum sejuncti ac divulsi, tum resuscitato cum corpore iterum uniti memoria, perspicue evincam & explicabo.*

Tu vero, DEUS Optime, memento misericordiæ Tuæ, ac benignitatis Tuæ, quæ sunt ab omni æternitate. Peccatorum juventutis nostræ, & delictorum nostrorum meminisse noli, secundum misericordiam Tuam memento nostri, Domine, propter bonitatem Tuam, Ps. XXV. 6. 7. 8.

ARGU-

ARGUMENTUM DISSERTATIONIS.

PARTIS I. SECTIO I.

Recordationem animæ poſt fata ex rationis ſcitis à priori demonſtrari non poſſe, & ſatis eſſe Theologo, ſi oſtendatur, à Philoſophis non poſſe demonſtrari contrarium.

SECT. II. Recordationem animæ humanæ poſt fata rationi non repugnare, per partes ac diſtincte oſtenditur.

SECT. III. Nulla certa experientia conſtare, quod animæ humanæ poſt fata non recordentur, ubi de pacto eorum, qui amicis ſuperſtitibus poſt mortem ſe de ſtatu animæ ſuæ rationem reddituros promiſerunt, nec ſunt reverſi.

SECT. IV. Probabilius eſſe, ac tutius credi, quod animæ humanæ poſt fata recordentur, ſi vel maxime ex Scripturarum Divinarum teſtimonio de hoc nobis non conſtaret.

PARTIS II. SECTIO I.

Etiamſi non probabile videretur rationi, animos poſt diſceſſionem à corpore recordari, tamen hoc firma fide tenendum & certiſſimo aſſenſu complectendum eſſe, quia in Sacris literis diſerte traditur. Brevis conſpectus præcipuorum argumentorum, quibus probatur Scripturæ teſtimonium eſſe divinum & omni exceptione majus.

SECT. II. Ex Oeconomia generali Religionis antelegalis, Moſaicæ & Chriſtianæ, tum ex variis locis utriusque fœderis clariſſime confirmari teſtatumque eſſe, quod animæ humanæ poſt fata recordentur.

SECT. III. Qualis ſit, & circa quænam verſetur memoria animæ humanæ, tum à corpore ſeparatæ, tum in reſurrectione ipſi iterum unitæ.

SECT.

PARTIS I. SECTIO I.

Recordationem animæ post fata ex rationis scitis a priori demonstrari non posse, & satis esse Theologo, si ostendatur, à Philosophis non posse demonstrari contrarium.

Quemadmodum anima nostra ut ante innumerabiles ætates existeret ac memoria gauderet, non fuit necesse, ita neque quicquam a ratione potest inveniri, quo animam necessario post fata æternum superesse & recordari demonstretur. Tota igitur res in solidum à libera Conditoris voluntate dependet, potestque haud dubie Deus animam, quamvis nihil habet à quo intrinsecus corrumpatur, quando ipsi ita visum est, iterum vel continuò post sejunctionem à corpore, vel interjecto tempore aliquot annorum seculorumve dissolvere. Hoc autem nolle Deum, quænam est demum Philosophia quæ docere nos certo & sine ulla contrarii suspicione queat, cum Dei bonitati non repugnet, tot pulcherrimas res creatas quotidie corrumpi, & admirandi hujus pleniqne Majestatis ædificii, mundi dissolutionem consentientibus etiam gentium Philosophis expectemus: tum perbrevis erroribusque obsitæ vitæ nostræ actiones sive bonas beata immortalitate pensandas, sive malas sempiternis castigandas suppliciis, miratur potius ratio, quam profitetur, ex justitiæ Divinæ contemplatione demonstrare se posse. Vicissim nihil profectò habet Philosophia quo Epicureos vel Atheos certos reddere queat se non falli & in gravi errore versari, cum animæ immortalitatem atque adeo recordationem post fata audacter inficiantur, ridentque nos, qui de contrario persuasi sumus. Quo enim argumento ostendunt Deum constituisse, ut in morte, quemadmodum corpus, similiter & anima hominis intereat, vel Deum, etiamsi velit, non posse animos à morte ac dissipatione integras conservare. Quod probe intelligens *Plato* in *Timæo*, cum nihil videret quo Spiritus à Deo conditos natura sua immortales esse certam fidem faceret, DEUM tamen

hoc illis concedere potuisse, atque adeo concessisse, felicissima conjectura suspicatus, ipsum ita eos affantem inducit: *Dii Deorum, quorum ipse & conditor sum & genitor, opera siquidem vos mea estis, dissolubilia quidem natura, me tamen ita volente indissolubilia.* Hæc *Plato*, qui in eodem Dialogo optat se de divino hoc consilio quo certior reddatur oraculo aliquo confirmari: & in *Phædone* fatetur se minus etiam de animarum immortalitate dubitaturum, si verbo Dei veluti firmiore quodam fundamento ac tibicine niteretur. Cum itaque nobis divino beneficio non desit *βεβαιότερος* ejusmodi sermo Propheticus & Apostolicus, Deo aspirante editus, & Dei voluntatem nobis clarissime patefaciens, ex quo certissime compertum habemus animam nostram ab excessu ex hoc corpore superfuturam recordaturamque: nihil profecto amplius poterunt à nobis etiam ii qui Scripturarum divinitatem negant, desiderare ac requirere, quam ut primum quidem ad liquidum perducamus, nihil posse a ratione excogitari, quo animarum humanarum interitus atque omnimoda oblivio post fata, certa atque indubitabili ratione constet. Hoc enim cum fecerimus, quid quæso restat ad assensum ab iis extorquendum, si deinde præmissis breviter ad Divinitatem Scripturarum confirmandam argumentis, divinum ex iisdem consilium de memoria animæ post discessum ex hoc corpore servanda, dilucide exponamus. Inprimis autem, antequam ad Scripturæ testimonium perveniretur, a ratione contrarium demonstrari non posse necessario dispiciendum judicavimus, ex sententia *Lutheri τοῦ μακαρίτου* T. I. Altenburg. p. 896. Wiewohl die Vernunfft das Licht und die Wercke GOttes nicht verstehen noch aus sich erreichen kan / also / daß sie in affirmatoriis gantz grob und ungewiß richtet / so ist doch in negativis was ein Ding nicht ist / ihr Urtheil und Verstand gewiß. . . . Was nun der Vernunfft entgegen ist / ist gewiß / daß es GOtt vielmehr entgegen ist / denn wie solte es nicht wider die göttliche Wahrheit seyn / daß wider die Vernunfft und Menschliche Wahrheit ist.

Quibus verbis addimus hoc testimonium *Augustini* l. I. cap. 21. de Genesi ad literam: *Hoc indubitanter tenendum est, ut quicquid sapientes hujus mundi de natura rerum veraciter demonstrare potuerint, ostendamus nostris literis non esse contrarium, quicquid autem illi in suis voluminibus contrarium Sacris literis docent, sine ulla dubitatione credamus id falsum esse & quoquomodo possumus, etiam ostendamus. Atque ita teneamus fidem Domini nostri, in quo sunt absconditi omnes Thesauri sapientiæ, ut neque falsa Philosophia loquacitate seducamur, neque simulata religionis superstitione terreamur.*

Sectio

SECTIO II.

Recordationem animæ humanæ post fata, rationi non repugnare, per partes ac distincte ostenditur.

Perspicuum est, rationem sive ejus interpretem Philosophiam, si demonstrare se posse profitetur, mentem hominis, postquam a corpore soluta est, non amplius recordari, haud inanibus conjecturis vel vanis suspicionibus, sed argumentis exploratis atque evidentibus evincere debere, quod mens a corpore non sit aliquod distinctum ὑφιςάμενον ut Græci appellant, neque ex se cogitet, aut se ipsam moveat, sed ex corporis compage resultans veluti quædam Aristoxeni harmonia, à corpore solo moveatur, adeoque etiam corpori minime sit superstes, sed corporis in morte corruptionem necessario sequatur mentis destructio, vel si maxime superstes post fata sit animus, tamen non cogitet amplius nec recordetur. Quod si enim neque omnia hæc, vel nihil horum manifesto atque evidenter à ratione ostendi potest; absurde profecto agunt Athei qui in re tanti momenti incertas potius & imperitas conjecturas, quam religionem, tantis argumentis, tot tantisque testimoniis nixam ac munitam, cum maximo periculo suo sequi malunt. Singulis autem ad examen revocatis probeque expensis, intelligemus utique eos, qui mentes humanas post fata recordari non tantum negant, sed instar Epicureorum rident ac cachinnantur, cœco affectu actos, vel fallacibus collectiunculis delusos, non vero claris, certis & exploratis rationibus convictos hoc facere.

Atque ut ab eo potissimum initium faciamus, quod incredibile ipsis imprimis videtur, menti esse propriam quandam & distinctam a corpore & animali natura ὑπόςασιν, quo demum argumento hoc inficiantur? Cum multis Philosophis longe verisimilius visum fuerit etiam brutis tribuere ejusmodi animas corpori superadditas, quam hoc negare homini. Quod si à mutis animantibus ad homines firma ipsis videtur collectio, & quia brutorum animas nullam habere separatam subsistentiam consentimus, nec hominum habere ipsi affirmant, concludamus vicissim illos destitui ratione, quia hac carent bruta, certe religione destituuntur juxta cum brutis. At enim constat ne ipsis certissime, mentem hominis quæ etiam sensibus aliunde occupatis Deum vel cæteras res non sensiles cogitat, quæ delectatur contemplatione Dei, eum offendere extimescit, precibus placare studet, & cum eo intime jungi optat, hanc inquam hominis mentem constat ne & unde nam constat illis nihil aliud esse quam tenuem quendam vaporem sanguinis in

pectore vel cerebro agitatum brevique expiraturum? Aut perſpectum ne eſt ipſis ſolis, Deum vento mox evanituro tam nobilem ſui ideam committere voluiſſe, nec potuiſſe animum condere, qui corpori in hac vita eſſet conjunctiſſimus, præſtantior eo tamen, nec iiſdem cum ipſo obnoxius detrimentis? Quod igitur tam prolixe & inſolenter jactat *Lucretius*, animum hominis ſi propria ſubſiſtentia gauderet, non una cum corpore variis modis affectum, auctum, labefactatum iri, haud magis firma demonſtratio eſt, ac ſi contenderes oculum meum, dum per tubum proſpicit, non niſi tubi quandam modificationem eſſe, quia pro vitri claritate vel caligine, recta vel inepta formatione longius acutiusque aut obtuſius video, quod quam ſit ineptum ac ridendum genus argumentationis, nemo eſt qui non intelligit. Neque dubito veteres Philoſophos, ſi tubi uſus ipſis cognitus perſpectusque fuiſſet, hac ut pote accommodatiore ſimilitudine potius uſos fuiſſe, quam cum dixerunt non oculos, aures & cæteros ſenſus percipere,

Sed per eos animum, ut foribus ſpectare recluſis.

Quod in caſſum quidem ac Sophiſtice, valde petulanter tamen idem Lucretius exagitat, cum ait, ſi pro foribus ſint lumina noſtra,

Jam magis exemtis oculis debere videtur
Cernere res animus, ſublatis poſtibus ipſis.

Quid igitur ſi ipſi opponamus complures in agone conſtitutos, qui majore gaudio, alacritate, fiducia atque adeo robore mentis uſi fuiſſe comperti ſunt, quam antea unquam, cum integris corporis viribus & optima valetudine fruerentur? Quid ſi alios qui in ſummis exquiſitiſſimisque ſuppliciis nihil de animo remiſerunt, ſed lætiores fortioresque extiterunt? Quid ſi *Epicurum* denique ipſum objectem, quem inter acerbiſſimos morbi, quo vexabatur, dolores, læto & forti animo ad extrema usque fuiſſe ferunt, exhilaratum memoria inventorum ſuorum & ſpe gloriæ apud poſteros ex iiſdem conſequendæ. Ex quo ipſo patet animum hominis licet ſæpiſſime a corpore moveatur tamen diverſos prorſus atque proprios in ſe motus excitare poſſe, nec raro excitare, atque adeo eſſe *αὐτοκίνητον* ut recte ſenſit *Plato*, & nullo uno ſolido argumento contrarium demonſtrare potuerunt Epicurei. Et quomodo quæſo potuiſſent, cum nulla Philoſophia explicet, qua ratione vel cogitare valeat corpus, vel animi operationes per atomos etſi maximæ rotundas mobilesque efficiantur. Quamvis vero fateor me non tantum mihi tribuere, ut cum eruditiſſimo *Bentlejo* negem vel ab omnipotentia ipſa produci poſſe corpus quod cogitet, quia tamen manifeſte in me ſentio cogitans aliquid, quod

quod jam desiderat quæ refugere corpus, jam refugit quæ desiderare corpus maximopere videtur, quicquid illud demum sit, sive materia quædam subtilissima, sive Spiritus, cujus ideam fateor me non satis percipere, saltem quo minus à crasso illo & corruptioni obnoxio corpore diversum adeoque *αὐτοκίνητον* sit, nullam à ratione demonstrationem afferri posse certus sum. Jam libenter audiam argumenta quibus certissime & necessario evincatur hoc tam mirandum diversumque a corpore, ex se cogitans, per se subsistens seque movens, quod animum sive mentem vocamus, simulac in morte discidium à corpore patitur etiam una cum ipso corrumpi, imo statim & velut in momento, cum ad corporis corruptionem longius temporis spatium requiratur, perdi ac dissipari. Neque vero ex natura mentis ipsius, neque ex voluntate DEI Conditoris contradictionem implicat, animum esse corpori superstitem, ut licet universum fere genus humanum, sapientissimos certe ex hominibus, de mentis suæ immortalitate persuasos, falli potuisse dicturi forte sint Epicurei, certo tamen falsos esse nequeant ostendere. Quod si dignissima admiratione mentis humanæ apotelesmata, si desiderium ingens & spes immortalitatis omnibus propemodum hominibus communis, si amor jungendi se cum Deo qui est in nobilioribus animis, & certa de mutuo Dei in nos amore ac bonitate fides & persuasio, nullum apodicticum pro eorum post fata duratione argumentum præbere possunt, hoc saltem efficient etiam apud iniquos judices, ne in alteram partem temere & sine argumentis evidentissimis nec inficianda experientia concludatur. Donec igitur hæc in medium protulerint Epicurei, quod nunquam facturi sunt, donec ostenderint animi essentiam ita pendere à corpore, ut sine illo ne per momentum subsistere queat, nunquam profecto homini sano persuadebunt, ut cum sempiternæ salutis suæ periculo, propter incertas illorum suspiciones, certum esse putet, inter se & brutam animantem nihil esse discriminis, nisi quod consistit in forma & oratione. Quamobrem cum ex his manifestum sit, nihil omnino habere Philosophiam, quo mentem hominis mortalem esse demonstret, longe est liquidius, nullo argumento ostendi posse, eandem, si superstes sit corpori, nihil omnino cogitare. Apage vero illam Demonacteam animæ immortalitatem, de qua *Demonax* apud *Lucianum* interrogatus utrum mens immortalis esse videretur, *etiam*, inquit, *sed ita quemadmodum universa*. Quod revera idem erat ac si immortalem esse inficiatus fuisset. Quemadmodum enim corpus à morte non in nihilum redigitur, dissolvitur tamen ac corrumpitur, atque in principia sua redit, sic & anima ex mente Demonactis, quod ille mira *ἀκυρολογίᾳ* immortalitatem vocabat. Jam vero probatum dedimus, non posse

demonstrari, quod anima post discidium à corpore non tantum omnino aliquid maneat in hoc universo venti & tenuis auræ instar dispersum ac dissipatum, sed quod non maneat anima, distincta quemadmodum à corporibus sic etiam ab animabus & spiritibus aliis. Non potest igitur demonstrari animam post fata non cogitare, quia hoc non magis intelligi potest quam ignem non lucere. Ut ego sæpius miratus sim Psychopannychitarum ridiculum somnium, qui somnum bene longum animabus tribuere non dubitavere, neque intellexerunt hoc perinde esse, ac si mortales illas affirmassent, vel Arabicorum hæresi, geminoque *Stoffii* errori subscripsissent. Quod si autem cogitare animam sine corpore non posse, audacter & assidue objectant Epicurei, quoniam in hac vita non sine corpore nos cogitare constat, nos quidem hoc argumenti genus solidum & indubitatum esse prorsus negamus, cum non modo Deus Angelique ad cogitandum nullo utantur corpore, sed & in nobis sint cogitationes, ubi corpus quodammodo vacare & otiari videtur, & ubi nos cum percurrerimus omnes januas carnis nostræ, ut loquitur Augustinus, non invenimus tamen, qua earum res istæ, de quibus cogitamus ingressæ fuerint. Jam si nec hoc invictis rationibus demonstrari potest, quod anima hominis postquam ex corpore discessit, cogitet, quid demum adversus reminiscentiam ejus memoriamque certi atque explorati afferri queat, minime profecto video. Quid enim potius vel facilius cogitet mens quam quod jam ante & sæpius cogitavit, & quinam ille est fluvius λήθης sive oblivionis, in quo universæ animæ post fata ita immerguntur, ut omnium præteritarum rerum meminisse prorsus desinant?

SECTIO III.

Nulla certa experientia constare, quod animæ humanæ post fata non recordentur, ubi de pacto eorum, qui amicis superstitibus post mortem se de statu animæ suæ rationem reddituros promiserunt, nec sunt reversi.

Fortasse non erraverit, qui affirmet, præcipuum momentum, quod gravissime plurimos permovet, aut in illam sententiam jam prolapsos mirifice confirmat, ut animas & superstites corpori & post fata recordari audacter negent, nullum esse aliud, quam quod nullas, postquam ex corpore discesserunt, vident superesse, adeoque hoc jam sufficere existimant, ut illas corruptas dissipatasque arbitrentur. Ob eandem causam & Deum negant Athei, &

& *Sadducæi* Angelos, & multi etiam hodie malos Dæmonas, prudentia se in hoc inprimis pollere putantes, quod toti sunt oculati, credunt quod vident. Jam si de re sensili ageretur, non esset adeo absurdum hoc eorum judicium; quoniam autem non modo sensibus percipi anima nequit, sed etiam in longe dissita loca avolare Deo ita dispensante supponitur, adhuc ineptior est illorum argumentatio, qui animas, quoniam non sentiunt post fata, etiam superesse inficiantur, quam si amicum peregre profectum propterea in nihilum abiisse concluderem, quia non velut antea mecum versatetur. Fallum itaque est, Epicureos, cum animas post discessum à corpore superstites negant, ad experientiam provocare posse, etsi per omnem vitam, nulla ipsorum sensibus occurrit anima à corpore separata. Sed video in hoc aliquos hærere, & argumentum firmum ab experientia ductum nactos se arbitrari, cum legunt & olim & nostra ætate fuisse homines, qui cum de statu animæ suæ qualis post discessionem à corpore futurus esset solliciti, dubiis extricare se satis non possent, convenerunt inter se, invicemque receperunt, uter prior obiturus esset, eum alteri, quid demum post fata cum anima ageretur, diligenter expositurum. Factum autem fuisse, ut is, quem primum mori contigerit, non fuerit reversus, neque hilum reddiderit de hoc tanti momenti negotio amicum certiorem. Unde protinus concludunt vana esse somnia, quæ de animarum recordatione atque immortalitate jactantur, nihilque certius, quam & vitam & memoriam omnem ab anima in discessu à corpore deponi. Nam & *Julium Canum* virum inprimis magnum à Cajo Cæsare supplicio destinatum refert *Seneca* libro de animi tranquillitate c. 14. cum jam duci juberetur, tristibus amicis talem virum amissuris, promisisse se observaturum, num animus post fata sensu ac memoria valeret, ac si quid explorasset, circumiturum amicos, & indicaturum quis esset animarum status. Sed postquam in Cajana clade obiisset, quem unquam circumivit? Quem de animarum immortalitate & recordatione post fata certiorem fecit? Frustra etiam Patrum nostrorum ætate *Baranzanus Barnabita* pollicitus est *Mottavo Vayero* celebri sceptico Gallo se post fata rediturum & de memoria animæ post sejunctionem à corpore nunciaturum. Nam ut ipse Vayerus tum alibi tum in libro de animæ immortalitate testatum reliquit, nunquam reversus est *Baranzanus*, nunquam vel verbulo *Vayerum* hoc maxime desiderantem monuit.

Ita ne vero ex hoc licebit certo colligere, nihil prorsus esse animas, & quia una itemque alia quæ reverti receperat, fefellit fidem, hinc dicemus certa experientia nobis exploratum esse, quod neque sentiant neque recordentur quicquam, simulac à corpore discesserunt. Quid si temeraria fuit illorum

illorum repromisso, facta de re quæ in potestate ipsorum futura non erat, si vel omnino superfunt animæ, ac reminiscuntur. Quid si non erat illis per naturam suam integrum, in sensus hominum agere ipsis omni corporeo medio destitutis? Quid si animus de se ipso sollicitus sibique metuens, post fata non potuit quæ aliis recepisset curare? Quid si vel piis mentibus statim post discessum e corpore est tam bene, tam contra male impiis, ut cum hominibus in hac vita, nisi Deo singillatim easdem ad illos ablegante, nihil prorsus iis sit commercii? Nam & Plato quoque aliique Philosophi inter Ethnicos conjecerunt animas simulac è corporibus excessere, continuo nudas trahi ad severissimos judices, quibus de gestis in vita redditura sunt rationem, quod dum ipsis est faciendum necessario, non mirum, si vadimonium deserere non liceat, ut amicos circumeant, eosque affentur. Quod si objicias DEUM pro sapientia & bonitate sua non prætermissurum fuisse hanc de tanti momenti re mortales monendi occasionem, si non animarum memoria & subsistentia omnis cum discidio à corpore penitus aboleretur, respondeo nihil fuisse & esse ad illam quidem veritatem Atheis atque Epicureis persuadendam, hoc ipso quem desideras modo ineptius. Fac enim Cani vel Baranzani animas reversas fuisse, incertum est an vel eos ipsos ad quos accessissent dubitatione & errore inveterato liberassent & de animarum vita post præsentem certos reddidissent, qui forte nec oculis nec auribus suis credituri totamque rem pro phasmate ac spectro atræque bilis effectu habituri erant. *Si Mosem & Prophetas non audiunt, ne quidem si quisquam ex mortuis resurgat, habebunt fidem* Luc. XVI. 31. Quid vero alii vel eadem ætate viventes vel post tot secula demum nati, num ipsis affirmantibus continuo credidissent? Num de eorum narrationis veritate nullum ipsis dubium, nulla falsi & commenti suspicio oborta fuisset? Cur igitur tot testibus non credunt, qui simile aliquid vel sibi vel aliis accidisse magno consensu referunt & affirmant? Cur rident, cum legunt *Marsilium Ficinum* ex simili pacto post fata *Michaëli Mercato amico* suo vigilanti contemplationibusque Philosophicis intento perspicuum de animi sejuncti à corpore recordatione, testimonium perhibuisse? Cur tinguntur, cum in memoriis Rochefortii vident ex convento & pactione ejusmodi reversum post mortem Rambulletum, removentem vela, lecto amici assidentem, Comitique Precio nunciantem, quod proxime ipsi in prælio esset, ceu etiam factum postea est, occumbendum? Quare tot alia ejusdem generis exempla per *Henr. Morum* ac *Josuam Glanvilium* in Sadducæismo confutato & *Erasmum Francisci* in Proteo Orcino sive infernali, aliosque hujus commatis scriptores ingenti numero collecta pro totidem fabulis & otiosorum

rum

rum vel insanorum meticulosorumve commentis habent? Cur denique ita se gerunt, ut tametsi vel ipsi reversas sentirent animas vel omnes alii sentire se affirmarent, tamen illud præfracte negaturi & risu excepturi esse videantur?

Sectio IV.

Probabilius esse, ac tutius credi, quod animæ humanæ post fata recordentur, si vel maxime ex Scripturarum Divinarum testimonio de hoc nobis non constaret.

Cum itaque ostensum sit, nullum omnino certum argumentum afferri posse à Philosophis, quo vel animam corpori superstitem esse recordarique post fata haud posse, aut DEUM hoc facere vel nolle vel non velle, vel non posse denique demonstrent, nulla quoque explorata experientia hoc confirmet: Quis non fatebitur, unumquemque hominem sanum, cui salus sua cordi est, etiamsi non sit de contraria veritate apodictice persuasus, neque Scripturæ agnoscat Divinitatem, tamen assensum firmum opinioni manifesto incertæ & periculosæ de animarum recordationisque ipsius in morte interitu, utique semper denegaturum, neque unquam de illa nisi cum metu atque horrore cogitaturum, nedum aliis persuadere illam conaturum, contrariamque veritatem derisurum aut calumniaturum, aut denique spe mortalitatis animorum, in voluptatibus criminibusque se impie volutaturum. Inprimis si porro cogitet, gentes prope universas, certe sapientissimas, atque in singulis viros quosque optimos & cordatissimos, omnibus regionibus, temporibus, conditionibus, sibi vel certo persuasisse, vel saltem conjiciendo promisisse genus quoddam vitæ melioris ac diuturnioris post hanc perbrevem & multis bonis calamitosam: si præterea expendat ingens desiderium animæ sapientum hominum, quo morti se eripi & amore in perpetuum Deo uniri non minus optant quam sperant, si cogitet quam difficile durumque creditu sit, omnis misericordiæ ac bonitatis fontem DEUM, tam nobilem Creaturam, tot præclaris dotibus à se præditam mentem, in discessu à corpore, quo maxime cum summo bono conjungi optat, eodem tempore quo flagrat ardenti in DEUM amore, non modo deserturum, sed spe omni sua frustratam temere dissipaturum, inque avitum nihilum redire jussurum. Si porro conscientia propria attestante negare nequeat, justum esse apud DEUM, ut malitia immedicabilis sceleratissimorum hominum, quæ sæpe impunita in his terris abit, promeritas det pœnas sitque aliquando melior & nobilior con-

ditio proborum quam impiorum, quod sæpe in hac vita contra evenire videt: Si denique ante oculos ipsi versentur tot tamque illustria exempla atheorum præfractissimorumque omnis religionis irrisorum, qui quod diu negarunt & albis dentibus riserunt, alio tempore non inficiandis conscientiæ stimulis agitati, cum summo terrore, sed intimo sensu & Deum & animos suos superstites corpori, vitamque & memoriam post fata servaturos, agnoverunt & professi sunt. Hæc, inquam, & similia si assidue ac diligenter cogitet homo sanus, fieri non poterit, ut Epicureorum sententiæ manifestissimis argumentis non evidentissime demonstratæ serio assensum præbeat; contra vero animos post sejunctionem à corpore superesse & recordari, quemadmodum si probus est optabit, ita si sapiens libenter credet, cum ratio eum doceat, rem homine Deoque dignissimam, tot testimoniis, tot argumentis minime absurdis nixam, nullo damno, nullo periculo, etiamsi falsam esse possibile foret, credi, magna autem temeritate maximoque periculo, si ceu omnino videtur, vera est, negari, sperni ac derideri.

Partis II. Sectio I.

Etiamsi non probabile videretur rationi, animos post discessionem à corpore recordari, tamen hoc firma fide tenendum & certissimo assensu complectendum esse, quia in Sacris literis diserte traditur. Brevis conspectus præcipuorum argumentorum, quibus probatur Scripturæ testimonium esse divinum & omni exceptione majus.

Quemadmodum jam ostendimus, animarum recordationem post hanc vitam seposito etiam tantisper Sacrarum literarum testimonio, non modo à Philosophia argumento evidenti nullo posse labefactari, sed rationi ipsi hominis esse argumenta non pauca, quæ illam probabilem ac credibilem reddant: ita nunc porro declarandum venit, solum unius Scripturæ testimonium sufficere nobis debere, ut firmum indubitatumque assensum illi sententiæ præbeamus, etsi ratio nihil videret probabilitatis, modo non aperte & evidenter queat ab ea demonstrari rei falsitas & absurditas, quod ab ea fieri non posse jam tum evicimus. Certe circa res facti testibus αὐτόπταις & Historicis cordatis in narratione conspirantibus fidem habemus, licet inopina & paradoxa tradere videantur, ridemusque eos qui adversus clara testimonia suspicionibus & argumentatiunculis agere non dubitant. De genio quorundam popu-

populorum longe à nobis dissitorum, de forma, colore, habitu corporis, victu, cultu, religione moribusque ac consuetudinibus, quam incredibilia passim referuntur, quæ tamen pluribus ac fide dignis testibus, diverso tempore, variis locis, miro consensu confirmata, longe ineptius negantur, quam longius videntur à nostris moribus habitu & ingenio dissidere. Quot & quanta in rebus naturalibus observata sunt, quæ omnem profecto fidem superant, & ridicula primum, mox admiranda, denique verissima apparent illis qui ea diligentius scrutari ducunt operæ pretium. Hæc qui continuo & audacter inficiantur, quia nihil simile vel vident, vel cogitatione complecti possunt, si non stupidi vel insani, certe mediocris ingenii vel temerarii homines merito videbuntur. Quodsi hominum testimonia non spernimus, DEI etiam majus est, quod de anima nostra perhibet, ipse conditor & conservator, cui soli opus non est, ut testimonium perhibeatur de homine, quia ipse novit quæ in eo sunt, cum nobis etiam multa in corpore nostro obscura sint, etsi mille cadaveribus dissectis, manifesto indicio, etiam corporis nos nostri naturam prorsus ignoraturos fuisse, nisi Anatomiæ ope eam utcunque perspicere licuisset. Quoniam vero nulla hactenus est excogitata anatomia mentis, sed hæc sensus nostros refugit, imo sibi ipsi minus etiam perspecta est, quam oculis nostris cor quo vivimus, vel interior stomachi nostri portio, superest ut de mentis nostræ natura non hominum testimonio stemus, sed DEI. Simulac igitur constat DEUM testari, quod anima hominum post fata superfit, & memoria gaudeat, ulterius de eo vel dubitare, vel id plane negare, hominis fuerit non leviter impii & arrogantis. In Sacris literis autem Prophetarum & Apostolorum verbum DEI contineri, & quæ in illis diserte affirmantur, ac credenda proponuntur, totidem esse clarissima divina testimonia, non modo supponimus Christiani, & intime persuasi sumus, sed speramus etiam melioribus argumentis cuilibet testatum hoc facere nos posse, quam quæcunque ad autoritatem & fidem præstantissimorum Historicorum vel Physicorum scriptis faciendam afferri vel solent vel possunt. A novi fœderis libris initium facimus, qui velut ex non inficiandis testimoniis æqualium & proximæ ætatis scriptorum certo constat, scripti sunt illis temporibus, autoribusque, quibus in Ecclesia feruntur, scripti vero ab hominibus rudibus & minus eruditis, & præmium laboris in hac vita egestatem, ignominiam, calamitatum omne genus, mortem denique truculentam ferentibus, summa simplicitate Vitam Christi contemtissimam, & mortem ignominiosam referunt. Nihilominus illorum verbis ea inest sublimitas, efficacia & virtus, doctrinæ quam serio & summa cum πληροφορίᾳ proponunt, tanta sanctitas

& cohærentia, ut per tot seculorum spatium sapientissimos quosque in sui non admirationem modo sed assensum quoque rapuerint. Resurrectionem, ascensionem Christi in Cœlos, divinasque hominis in crucem affixi prærogativas, divina ab eo humano generi parta & acquisita dona, miracula denique alia, velut res obvias & facile credendas, ita sine fuco describunt, ut longe absint ab eorum moribus, qui aliquid fingunt. Talis præterea est eorum narratio, ut non modo omnibus perpensis, neque ex compacto egisse, neque sibi contradixisse reperiantur, sed & examinatis rebus ipsis, & Historia Christianismi, prout ex ipsis Ethnicorum & Judæorum monumentis de eo constat, refelli fraudisque convinci non possint, neque ab adversariis sagacibus & eloquentia atque eruditione claris unquam potuerint. Citius enim aliquis ostenderit, nihil omnino in omni historia esse verum, quam Christum, cujus corpus exanimum hostes diligentissime asservabant, & cujus morte universi ejus discipuli incredibiliter perculsi ac prostrati erant, ex mortuis non resurrexisse. Quorsum enim Christi corpus? Et unde ille postea Apostolis animus? Unde tanta inter tot persecutiones multitudo Christianorum? Prædicunt iidem Apostoli ex Christi ore, Hierosolymam desolandam & funditus evertendam, prædicunt Evangelium ubique terrarum prædicandum, ne de aliis jam dicam: Et hæc quanto minus verisimilia tunc conjectu videbantur, certius & exquisitius postea ab eventu comprobata sunt. Sub pœna capitis proposita per tot annorum centurias Apostolicis dictis fidem habere ubique terrarum prohibitum fuit, & tamen tanta erat vis paradoxæ illorum simplicitatis, omnem fucum & fraudem procul habentis, ut infiniti non e vulgo duntaxat, sed ex doctis quoque & sapientibus, mori citius, quam eorum dicta non tanquam divina observare maluerint, sensimque magna orbis pars Christianismum amplexa fuerit, nec hodie amplecti dubitet. Ipsi denique Christi discipuli, quomodo fieri potuisset, ut sine ulla vel præmii vel honoris spe pro suis ipsorum commentis tanta alacritate martyrium subire parati fuissent? Ut nemo unus ex tanto illorum numero fraudem, tanta præmiorum, tanta veniæ spe fateretur, cum illi præcipue nulla vi, nulla potentia, nullis opibus, vel pertimescendi essent, vel obstringere sibi alios valerent? Jam novi fœderis Scriptores, qui se divinam veritatem scripto consignare testantur, & ab imposturæ suspicione tantum absunt, assidue testimonium perhibent Mosi ac Prophetis, eosque divinitus inspiratos profitentur, jubentque eorum scripta cum suis conferre, ut ex illorum consonantia utrorumque veritas & divinitas perspiciatur. Non itaque dubitare licet, Deo inspirante editos esse Mosis & Prophetarum, virorum vitæ sanctimonia & tot miraculis

in

in totius gentis Israelitieæ conspectu insignium libros, cum illos tum alia tum præcipue perspicua de Christo vaticinia eventus divinos esse docuerit. Fateantur igitur infideles, donec Spiritus S. in ipsorum quoque animis hanc veritatem firmius obsignet, spiritumque in libris antiqui & novi instrumenti loquentem, divinam veritatem esse ipsis intime testatum faciat, fateantur, inquam, nobis Christianis firmas rationes non deesse, quibus ducti in Prophetarum & Apostolorum scriptis divina nobis testimonia exhiberi, credimus & persuasi sumus.

Sectio II.

Ex Oeconomia generali Religionis antelegalis, Mosaicæ & Christianæ, tum ex variis locis utriusque fœderis clarissime confirmari testatumque esse, quod animæ humanæ post fata recordentur.

Propemodum inutile ac supervacuum videri posset, ex divinis literis singula quædam testimonia colligere, quibus recordationem animæ humanæ post fata confirmemus, cum universa compages religionis, in sacris libris sive veteris sive novi fœderis traditæ eandem clarissime probet ac supponat. Hoc ut omnibus perspicuum sit, œconomiam antelegalem, Mosaicam & Christianam paucis considerabimus, & quomodo hæ singulæ negata animarum recordatione negari & ipsæ commentisque accenseri, è contrario veritate & divina illarum origine agnita necessario credi & inter capita testatissima religionis pro certo & explorato haberi debeat, ostendemus. Ante lapsum hominis tota hæc quæstio locum non habuit, quia non potest demonstrari, hominem, si non peccasset, moriturum fuisse, imo cui mors tum demum, cum peccaturus esset, infligenda erat, is non erat illi futurus obnoxius, antequam invidia Diaboli peccatum, & per peccatum mors in genus humanum irreperet. Homini lapso statim post denunciatam gravissimam mortis pœnam, promissum est semen Mulieris, à quo caput serpentis esset conterendum. Jam Adam mortuus est, & posteri ejus fatis concessere. Finge vero animas post mortem non superesse, vel superstites non recordari, quis fuit vel usus vel sensus ejus promissionis respectu Adami, & omnium qui ante Messiæ adventum obierunt? Patet igitur, fœdus Adamiticum necessario beneficium aliquod Adamo & posteris per Messiam conferendum ambitu suo complexum esse. Hoc vero quale fuerit in hac vita, ostendi non potest. DEUS igitur,

qui non est Deus mortuorum, promisit se per Messiam fore DEUM Adami &posterorum ejus, etiam postquam animæ eorum corporibus solutæ essent. Neque vero promisit aut exhibuit iis tam ingens beneficium, ut qui tunc cum illo fruerentur, lapsus sui promissique divini prorsus ignari atque immemores essent. In ipso igitur fœdere primo Adamitico Deus statim complexus est, taciteque supposuit animarum humanarum post fata recordationem. Jam si placet pergamus, & fœdus cum Noacho & Abrahamo à DEO initum inspiciamus, quorum utrumque non est ab Adamitico distinguendum & separandum, cum illud supponat vel renovet, adeoque licet in Noachico exigua vestigia rei, de qua agimus, extent, tamen cum promissio Adamo facta ad Noachum quoque pertineat, ipse quoque animam post fata superstitem & memoria gaudentem Deo authore speravit & credidit. Unde autor *Epistolæ ad Hebræos* cap. XI. v. 7. 13. 14. 15. 16. hunc annumerat iis *qui fide præditi obierunt, promissaque procul conspicati crediderunt & amplexi sunt, se in terra hospites ac peregrinos esse, patriamque cœlestem requirere se sunt confessi.* Quod clarius etiam constat de Abrahamo, cui non modo iteratæ de Messia repromissiones factæ fuerunt, sed quem idem quoque scriptor divinus ait *expectasse fundamentum habentem urbem, cujus artifex opifexque DEUS est*, quod ne forte in alium sensum trahi possit, mox per hanc urbem *Cœlestem Patriam* intelligi diserte exponitur. Ex eo quoque quod Deus se Deum Abrahami Isaaci & Jacobi vocat, Christus ipse animas post fata superstites vivere atque adeo recordari probat Matth. XXII. 32. Porro Oeconomia Mosaica tametsi pleræque ejus promissiones præsentis fere vitæ bonis absolvuntur, nihilominus non modo supponit fœdus Adamiticum, atque adeo animarum immortalitatem ac reminiscentiam, ut notavit vir magnus in jure feciali divino p. 131. Sed & bonis præmia, malis pœnas ultra præsentem vitam, etsi rarius & tectius minatur ac pollicetur, quæ sine recordatione animæ post discessionem à corpore intelligi nullo modo possunt. Confer *Joachimi Hildebrandi* librum de vitæ æternæ ex Pentateuchi & naturæ lumine probatione. Certe Moses ac Prophetæ serio hortantur ad pietatem, quam Paulus ait habere promissa hujus & futuræ vitæ 1. *Timoth.* IV. 8. Unde etiam Judæi putabant se in Scripturis V. T. habere vitam æternam, Christo hanc eorum sententiam probante *Joh.* V. 39. Quid vero evidentius lectis eorum scriptis, quam Jobum, Davidem, Salomonem, Prophetas denique omnes, & universos saniores Judæos animarum post fata vitam atque reminiscentiam certo credidisse, atque hoc inter præcipua religionis suæ capita, ac veluti fundamenta habuisse, cum impios rebus secundis affluentes propterea cum psalte vocant

homi-

homines hujus vitæ, quorum portio est in hoc ævo, ipsi nimirum alteram meliorem, & ævum futurum sperantes atque expectantes, in quo visuri sunt vultum DEI in justitia, & expergefacti satiabuntur similitudine ad faciem ejus, læti futuri bonis quæ sunt in dextra ejus in æternum. *Psalm* XVII. 15. 16. Ut autem Christianam denique religionem pluribus probemus certo supponere, quod animæ supersint ac recordentur, tanto minus nobis necessarium videtur, quanto magis obvium hoc est ex se intelligere unicuique, quem vel prima elementa Evangelii non prorsus latent. Omnia enim promissa, omnes minæ eodem contentæ irritæ sunt, frustra passus est Christus, frustra è mortuis resurrexit, miserrimi mortalium sunt Christiani, nisi alia est post hanc præsentem vita felicior, qua cum Christo erimus. Ab hac autem si tollas recordationem, tolles præcipuum lumen ac splendorem misericordiæ divinæ, quæ in hoc præcipue apparet, quod iis qui se miseros peccatores fuisse recordantur, tantam gloriæ & beatitatis magnitudinem per Christum benignissime concedit. Sin in judicio extremo, quod Christus futurum esse docet, si in pœnis sempiternis, quas impiis minatur, memoriam eripias hominibus de quibus judicabitur, justitiam Dei totamque judicii rationem mirifice obscurabis. Si denique ponas in altera vita nullius nos rei recordaturos esse, quid prodest fides vel obedientia, si non majorem tunc habebo conscientiam mei, quam cujusvis alius hominis, etiam improbissimi atque infidelissimi? Verum quo minus hac de re ulla supersit dubitatio queat, subjungam hoc loco quædam novi fœderis dicta, quibus animas post fata recordari perspicue docetur & affirmatur. In parabola de Lazaro & divite Christus non modo introducit divitem de fratribus sollicitum, sed & Abrahamum eundem his affantem verbis: *Memineris, fili, & te tuis bonis in Vita tua, & Lazarum malis esse defunctum. Nunc & hic in solatio, & tu in dolore es.* Luc. XVI. 25. Idem Optimus Servator generis humani, *Multi*, inquit, *mihi dicent in illa die: Domine, Domine, nonne tuo nomine vaticinati sumus? & tuo nomine Dæmonia expulimus? & tuo nomine multa prodigia effecimus?* Matth. VI. 22. Cui adde quod alibi affirmat, *Austri Reginam & Ninevitas surrecturos olim cum Judæis, eosque damnaturos, quod illa ex ultimis terris venerit auditum Salomonis sapientiam, Ninevitæ autem ad Jonæ præconium mores correxerint, cum Judæi non dubitarint filium DEI longe quovis Salomone ac Jona præstantiorem spernere!* Luc. XI. 31. 32. Neque vero huic reminiscentiæ animarum in altera vita adversatur, imo eam non mediocriter confirmat, quod apud Matthæum legimus, justos Domino, bona ipsorum opera in extremo die olim celebranti, dicturos, *quando te, Domine, vidimus esurientem*

tem ut paverimus, aut sitientem, ut potum dederimus? quando autem te vidimus hospitem, ut acceperimus? aut nudum, ut vestierimus? quando autem te vidimus ægrum, aut vinctum ut inviserimus? Ex responso enim Christi paret, illos memoriam factorum suorum non exuisse, sed quæ pauperibus præstiterant beneficia, ea Christo à se fuisse exhibita, præ modestia non agnovisse. Non minus expedita est ad geminum impiorum in judicio dictum responsio Matth. XXV. 44. seqq. Sed & in divina Apocalypsi, animæ Martyrum qui propter DEI sermonem, propterque testimonium quod habebant, truculentam mortem obierant, ingenti voce clamant, & eorum quæ in vita sibi contigerant minime oblitas se fuisse ostendunt: *Quousque tandem, O Domine sancte atque vere, non ulcisceris ac vindicas sanguinem nostrum de terræ incolis?* Apoc. VI. v. 10. Hisce Coronidis loco adjungam locum insignem scriptoris *libri Sapientiæ*, qui tametsi ad *Salomonem* Autorem minus certo refertur, neque est è numero librorum Canonicorum sive ἐνδιαθήκων, tamen de sententia Ecclesiæ Judaicæ illius temporis, ex autoris pii & sapientissimi verbis, idoneum nobis testimonium præbere potest. Ita vero ille de Justorum impiorumque recordatione post hanc vitam C. VI. 1. seq. *Tunc stabunt magna cum fiducia Justi in eorum conspectu qui eos presserint eorumque labores labefactaverint. Quo illi viso gravi metu percellentur, & eorum inopina salute attoniti dicent apud se poenitentes & præ spiritus angustia gementes: Hi sunt quos nos aliquando risui habuimus, & contumeliosis dicteriis. Dementes! qui eorum vitam putavimus insaniam, & exitum inhonestum. Ergone beatis annumerati sanctorum consortes sunt? Ergo nos a veri via deerravimus, neque nos justitiæ lumen collustravit, neque nobis sol ortus est prudentiæ. Perniciosis injustitiæ viis plane incedentes, invias peragravimus solitudines, ignari Dominicæ viæ. Quid nobis superbia profuit? Quid divitiæ cum arrogantia contulerunt? Præterierunt omnia illa tanquam umbra &c.*

Sectio III.

Qualis sit, & circa quænam versetur memoria animæ humanæ, tum à corpore separatæ, tum in resurrectione ipsi iterum unitæ.

Quamvis in præsenti vita memoriæ nostræ ratio neque consistere, neque intelligi posse sine cerebro videtur, ac fit plerumque per imagines corporeas quæ in phantasia conservantur, male tamen negavit Avicenna ullas rerum

rum ſpecies, quas mens contemplatur, & de quibus cogitat, in eadem, poſtquam eas actu conſiderare deſinit, permanere. Hoc enim verum ſi eſſet, non modo omnis memoriæ expers anima eſſet, ſed omni intelligendi habitu deſtitueretur, quod paulo obſcurius ac ſpinoſius expreſſit *Thomas* in quæſtionibus quas diſputatas inſcripſit, quæſtione decima de Mente, artic. 2. Tom. VIII. Opp. p. 567. his verbis: *Sin intellectu poſſibili non conſervarentur aliqua ſpecies, ſed ſola habilitas convertendi ſe ad intellectum agentem, æqualiter remaneret homo habilis ad quodcunque intelligibile, & ita ex hoc quod homo addiſceret unam ſcientiam, non magis ſciret illam quam alias.* Cum igitur animadvertere liceat in nobis, etiam cum adhuc gaudentes corpore memoria utimur, eſſe aliquid memoria ſenſili ſuperius, idque veluti regens moderansque, atque adeo ipſum recordatione imprimis valens: hoc ipſum in mente eſſe, ac permanere, & poſt fata etiam hominis in illa conſervari, nobis merito perſuademus. Poſſe autem recordatione gaudere animum à corpore ſejunctum, neque hoc magis naturæ ejus repugnare, quam cogitationem quamcunque ſpiritus corpore deſtituti, jam ſuperius Angelorum exemplo oſtendimus: in DEO enim, cui & ipſi memoria in S. literis frequenter tribuitur, fateor eſſe omnium quæ ſunt quæque fuere & quæ futura trahuntur, longe perfectiorem intelligentiam, quam quæ cum memoria vel humana vel Angelica debeat conferri ac comparari. Conſiderantibus porro ad divinarum literarum ductum, qualis futura ſit animi noſtri poſt diſceſſum è corpore recordatio, id primum occurrit, eam non fore obſcuram ac confuſam, veluti torpentium ac dormitantium, ſed vero vividam, claram, perſpicuam ac diſtinctam. Talis enim niſi eſſet, inſomnii potius quam memoriæ nomine appellanda foret. Qua vero ſpecie res ſint tunc obverſaturæ menti, num per ſe ita quemadmodum Angelis, num per verba linguæ quam in vita callebamus, (quod minus videtur) num alia denique ratione, quam in præſenti haud licet cogitare: Quis eſt tam audax & arrogans ut tacentibus Scripturis divinis ipſe inexpertus hoc definire non dubitet? Firmam tamen & ſtabilem illam animarum noſtrarum recordationem futuram eſſe colligimus, ita, ut quorum ſemel, ſolutæ à corpore, meminerunt, illa haud facile oblivioni traditura videantur, quia minus tunc quam in hac vita diſtrahi eas, & ad alia ſubinde per ſenſuum varietatem diverti contingit. Quid autem eſt, quod mentes ſeparatæ à corporibus potiſſimum meminiſſe, atque ut ita dicam, in ſe revocare quam facillime videntur? Equidem nihil magis recordari eas veriſimile eſt, quam fuiſſe veſtitas corpore, atque in eo vitam vixiſſe. Hoc enim ſi poſſunt obliviſci, cum præſertim ex eo ſubſequens ipſarum conditio pendere

ponatur, nullam omnino esse illarum memoriam, quod ad res præsentis vitæ attinet, vel ex se est evidentissimum. Unde sæpius mirari subiit *Pythagoræ* & *Platonis* Scholam, quæ animos nostros jam olim, antequam in hanc vitam venirent extitisse, & scientiarum ac doctrinæ omne genus, genus quoddam recordationis esse, ausa fuit comminisci. Nihil enim hac opinione esse vanius, vel inde patet, quod nemo unus hominum, prioris alicujus vitæ recordatur, nemo se olim, priusquam in hanc vitam nasceretur, vixisse commeminit, solum forte si excipias *Pythagoram*, aliorum credulitati imponentem, qui memoria tenuit se pridem fuisse *Euphorbum Panthoi* filium, si Diis placet Homericis. At ne fabulas moremur, quin animi una cum hac vita etiam varia quæ in eadem sensuum ope perceperunt, vel meditando assecuti sunt, in memoriam revocare possint, nulla dubitandi ratio esse videtur. Qui enim dixerit rerum corporearum nullas posse species in intellectu hærere incorporeo, idem non modo terram nostram sed solem quoque, Lunam, lucidissima sidera ab Angelis ignorari ponet, absurde potius quam verisimiliter. Harum itaque rerum & animos nostros meminisse posse, & facile ac libenter meminisse credimus, longe maxime autem earum, quarum contemplatione vel usu ac consuetudine imprimis & intime in hac vita fuere delectati, sive sint res sensiles, sive ab omni materia ac corporea natura remotæ ac repulsæ. Subibit igitur mentes nostras à corporibus separatas memoria DEI, tum Angelorum, Parentum, Amicorum, Conjugum, liberorum, sed & hostium atque inimicorum, & quæcunque nobis in his terris vel jucunda vel molesta præ cæteris acciderunt. Denique menti nostræ obversabuntur actiones in hac vita nostræ, bonæ & malæ, & qua conditione coram facie DEI fuerimus, cum ex corpore discederemus. Quæ universa non temere & inani conjectura à nobis affirmantur, sed ut perspicax lector ex se nullo negotio intelliget, singula S. literarum testimoniis superiore capite in medium allatis, facile confirmari ac muniri queunt. Tametsi vero consideratio defunctorum infantum, hominum furiosorum, aliorumque, quorum vel nulla propemodum est memoria, vel omnis ante mortem turbata aut obliterata, non paulo ea quæ hactenus dicta sunt difficiliora explicatu reddere possit videri, tamen ad hæc quoque non est cur velut ad Objectum Caput Gorgoneum protinus obstupeamus. Nam videmus sæpe furiosos, vel memoria ad tempus privatos, etiam in hac vita illam postliminio recuperare, ut nulla sit ratio, cur mens sibi vel corpori spiritali reddita, illam licet aliquando interceptam recipere non valeat: Præterea ostendi nequit, quare infantum mentes corpusculis superstites non possint, cum ex illis excesserunt, meminisse, quod in his terris vitam teneri infantis, per bre-

breviſſimum licet temporis ſpatium, egerint. Cum vero in reſurrectione defunctorum corporum, quod ſolum perpendendum nobis reſtat, animæ denuo corporibus iisdem, ſed jam immortalibus, potentibus, ſpiritalibus ac cœleſtibus teſte Apoſtolo unientur, ſane Chriſti, Lazarique reſuſcitati, & aliorum Virbiorum exempla perſpicue nos docent, memoriam quam mentes à corporibus ſejunctæ ſervaverunt, in iterata unione non impediri aut labefactari, ſed potro confirmari ac continuari. Hæc duntaxat videtur inter utramque Conditionem intercedere differentia, quod non in ſola mente amplius tunc memoria hærebit, ſed uti in hac vita, ita poſt iteratam unionem quoque; at modo præſtantiore ac nobis forte minus jam perſpecto, ad memorandi actum Corpus reſuſcitatum concurret, illumque adjuvabit.

Sectio IV.

De affectibus ex memoria iſthac in mente orientibus, & num recordatio illa beatis pudorem mœroremque, damnatis gaudium movere poſſit.

Experientia compertum eſt, ſolere ex memoria rerum vel lætarum vel triſtium in nobis oriri varios affectus, amorem, gaudium, ſpem, deſiderium, odium, triſtitiam, pudorem, metum ac ſimilia: quare operæ pretium eſt jam deinceps paucis conſiderare, quoniam animos noſtros rerum in hac vita geſtarum meminiſſe poſt fata, hactenus evicimus, utrum in eadem etiam ſimiles affectus cieri contingat, an è contrario memoria in ipſis nihil tale poſſit efficere? Licet autem, quam diu in hoc corpore verſamur, magnus eſt Spiritibus animalibus, & ſanguini noſtro in affectibus locus, nec minus corpus noſtrum per illa πάθη movetur, quam concitatur, turbaturve mens ac ratio, ut adeo affectus ſine corpore ne intelligi quidem, nedum eſſe ac ſubſiſtere poſſe videantur: Quicquid tamen dixetis, nihil certi atque explorati afferes, quo menti à corpore ſejunctæ, cui memoriam concedis, affectus omnes inde promanantes eripias. Præcipue cum Angeli quoque corporis expertes, divinis literis teſtibus, gaudio ferantur ſuper ſeria pœnitentia peccatoris, & myſtetia divina introſpicere geſtiant, & peccata abominentur. Nihil itaque impedit idem quoque eſſe in animo poſtquam è corpore exceſſit, & alia quidem ratione ac in corpore, revera tamen in illo locum habere affectus, quemadmodum hoc certiſſime futurum, plurium conſenſu & lubentius conceditur, & intelligitur facilius poſtquam corpori olim in die extremo reddita mens reſtitutaque fuerit. Concludamus igitur pro diverſo ſtatu animarum ſive beato ſive miſero, affectibus etiam illas patere. Nam quis dubitet piorum animas

gaudio affici, quoties in fide decessisse se recordantur, desiderio tangi corporis in die extremo iterum recuperandi, firma spe lactati, hoc certo futurum, quia DEUM id promisisse meminerunt. Similiter amori quoque locum esse non ambigimus, & benevolentiæ in preces effusæ pro Ecclesia, pro Cognatis, pro Amicis. Nam si vindicem Dei oculum adversus hostes ac persecutores implorant animæ sub altari, si dives in Gehenna sollicitus est de salute fratrum suorum, num credibile videtur beatas animas neque vota suscipere, neque petere à DEO, ut ii, quibus in vita bene cupierunt, & ipsi veniant in felices hasce sedes gloriæ ac gaudii, in quibus jam se constitutas esse sentiunt. Quod uti Sacris literis congruens esse jam docuimus, ita Ethnicos quoque idem sola natura duce suspicatos testatur *Veturia* apud *Dionysium Halicarnassensem* libro antiquitatum Romanar. Octavo filium suum Marcium allocuta his verbis: *Si quis locus animas corpore solutas excipiat, non ille subterraneus & caliginosus meam capiet, nec oblivionis qui dicitur campus, sed ille sublimis & purus æther, in quo Deorum filios & Heroas ponunt: quibus illa pietatem tuam renunciabit, & gratiam sibi honoremque habitum, proque iis semper a Diis petet mercedem tibi, & præclara præmia.* Male tamen colligunt qui hinc beatas animas invocandas esse affirmant. Aut enim temere fingunt illas omni loco præsentes esse, atque ita divinam prærogativam iisdem tribuunt, idololatriamque committunt: aut ineptis ambagibus ridendoque circulo comminiscuntur, DEUM hoc illis manifestum facere, quod ab hominibus rogentur, ut ipsæ orent Deum: aut formant nescio quod speculum omniscientiæ, nullo testimonio Scripturæ, nulla ratione nixum, imo cum utrisque haud obscure pugnans; aut denique fateri coguntur, uti calamitates suas non videri 4. *Reg.* XXII. 20. ita preces suas à beatis illis mentibus non audiri, hoc est gratis ac frustra effundi. Quod perpendentes Israelitæ, ad DEUM potius vota sua referebant, *nam Abrahamus quidem*, inquiunt, *nescit nos, & Israel non agnoscit nos, tu autem DEUS parens, ut vindex es noster jam olim præditus hoc nomine. Es.* LXIII. 16. Porro, cum Angeli gaudeant de peccatore pœnitentiam agente, quin animæ quoque piorum lætaturæ sint, aliis subinde ad beatorum numerum accedentibus, negari non potest. Imprimis autem gaudio perfundendæ videntur, cum ex amicis vel cognatis vel discipulis atque auditoribus intelligunt adesse, quibuscum sempiternas laudes concinant immortali Deo. *Ecce hic sum, Domine, & ii quos mihi dedisti.* Quod vero in altera vita mentes se mutuo cognoscent, clamor concors animarum sub altari, & parabola de divite ac Lazaro, tum Elias ac Moses Christum in monte accedentes & res ipsa Ethnicis quoque probabilis visa, dubitare nos non sinunt. Quare

non

non est necesse, ut corporibus demum in die extremo restitutis hoc fieri posse cum Athanasio & aliis quibusdam priscis Ecclesiæ Doctoribus affirmemus. Non enim corporis habitu sed *διερατικῷ ψυχῆς ὄμματι perspicaci mentis oculo* unusquisque alterum cognoscet, utpote futurus *ἰσάγγελος* ceu probe observat scriptor vetus sermone de defunctis, qui ambulat sub nomine Johannis Damasceni. Corpore autem in resurrectione cum anima iterum unito, non tam certior erit hæc agnitio, quam facilius à nobis hodie concipitur, qui corpori immersi sumus, erit tamen plenioris uberiorisque gaudii materia & argumentum. De cætero, quoniam diximus malarum quoque actionum olim à se perpetratarum animas meminisse, & inimicorum, & quæ molesta in his terris sibi contigerunt, uti divitis exemplo patet easdem recordari, nec minus cognatorum peccatis indulgentium: non abre quæri posse videtur num hujusmodi rerum memoria tristitiam, pudorem, sollicitudinem & similes moestiores affectus in beatis mentibus movere queat? Hoc enim si fieri concedatur, non mediocriter illæ in beatitate sua turbabuntur & mœrore afficientur, atque ita non poterunt esse omnibus lætitiis læti, neque videbuntur jam perfrui illa conditione, qua DEUS promisit se abstersurum & suppressurum omnes lacrymas eorum, omnibus illos liberaturum incommodis, ubi non modo esuries, sitis, æstus, mors, clamor, fatigatio: sed & dolor & luctus penitus debent exesse atque exulare. Apoc. VII. 16. 17. XXI. 4. Fatendum igitur est, beatas mentes cum peccatorum suorum meminerunt, non pudore & luctu amplius perturbari, sed ad laudes grato atque humillimo animo Divinæ misericordiæ decantandas magis magisque incitari, & quod tot & tanta peccata sibi propter Christum remissa sint, tanto impensius gaudere, ac tanto majore amore in DEUM ferri. *Cui plurimum ignoscitur, plurimum amat.* Luc. VII. 47. In judicio extremo autem non videntur justificatorum peccata coram Angelis & hominibus propalanda, cum DEUS diserte restatus per Prophetam sit, nunquam commemoratum iri crimina peccatoris pœnitentis. Quod si vel maxime etiam futurum esset, ut singula ipsorum etiam peccata tunc publicarentur, uti plurimi non ex recentibus duntaxat & nostris, integroque libro Jonas Heulerus, sed multi quoque veterum senserunt: nihilominus tunc quoque nec luctus aut dolor neque ignominia in illis locum habitura erunt, longe potius gavisuris, quod ex tot tantorumque criminum remissione tam ingens cœlo terrisque appareat divinæ Clementiæ magnitudo. Memoria malorum, quæ illis in hac vita acciderunt, nullum ipsis mœrorem, sed gaudium potius afferre potest, cum nobis etiam in corpore constitutis dulcis sit præteritarum calamitatum recordatio, & quanto molestiores contingunt, tanto magis olim juvat meminisse. Cum denique Cognatorum impietatem memoria repetunt animæ beatæ, vel

etiam intelligunt eos venisse in locum tormentorum, non ita credendum est abiis impios quantumvis cognatos amari, ut non magis delectentur justitia DEI, & innumerabili multitudine Angelorum & beatarum mentium, quibus veluti totidem fratribus sociatæ & æternum junctæ, profitentur justum Dominum, & justa judicia ejus. Nullo igitur mœrore ærumnoso, aut sollicita tristitia etiam hæc illas suorum recordatio occupare aut turbatas reddere potest. E contrario in damnatis animis quicquid recolit memoria, nihil nisi pudorem, tædium, luctum, indignantem feramque pœnitentiam, metum, furorem, invidiam, impatientiam, dolorem, desperationem denique affert, auget, servat, ut ex multis Scripturæ locis est evidentissimum.

Sectio V.

De usu ac momento hujus doctrinæ, atque adeo totius exercitationis Conclusio.

Hieronymus Cardanus libro de animæ immortalitate negat ad bene beateque vivendum conferre, ut credas animas corpori fore superstites, imo virtuti magis favere opinionem contrariam, Stoicis meliores fuisse Epicureos, Sadducæos Pharisæis, Plinium Seneca. Hæc *Cardanus* magni sed insolentis homo ingenii, & quod ipse ex Astrorum contemplatione de se fassus est, religionum contemtor. Si vero idem singulari libro laudandum sumsit Neronem, alio Socratem traducendum, non mirabimur, si jam Stoicis præferat Epicureos, Sadducæos Pharisæis, Plinium Senecæ. Quod autem ex hoc infert opinionem de animarum mortalitate virtuti magis favere, tam impudens est, ut *Claudius Berigardus* vir minime superstitiosus in circulo Pisano XX. de mente humana Cardanum hinc ejusdem improbitatis arguat qua fuit *Vaninus*. Sed qui utriusque scripta legerit, idem quoque non dubitabit ex *Cardano Vaninum* profecisse, & quæ in Dialogis aliisque suis scriptis parum pie tradit, hæc una cum arrogantia quam passim spirat ex *Cardano* suo hausisse. Videbimus itaque potius quam falso colligat Cardanus, quod ad virtutem colendam parum vel nihil omnino faciat, animas corpori superstites credere. Si vel maxime concedamus Stoicos & Pharisæos minus virtuti dedisse operam quam Epicureos & Sadducæos, quod si de omnibus & singulis dicatur, aperte falsum est, si de quibusdam, non magis probat Epicureorum & Sadducæorum doctrinam amplius virtuti favere, quam si ex eo quod Christiani quidam quovis Ethnico pejus vivunt, hinc colligeres absurdissimas superstitiones gentium magis favere virtuti quam sanctissima Christi præcepta. At si vel maxime, ut jam professus sum, demus Stoicos & Pharisæos minus virtuti operam dedisse, quam Epicureos, id neutiquam evincet firmam fidem

fidem & certam persuasionem de immortalitate animarum & recordatione post fata, non esse egregium incitamentum ad colendam virtutem, pietatem, sapientiam, nedum eandem virtuti adversari: hoc forte inde colligi poterit, superficiariam, dubiam & labantem de animarum immortalitate fidem non esse satis firmum fundamentum, cui solida virtus superstrui atque inædificari possit, præsertim si ita ponantur animæ post corpora superesse, ut in alia corpora migrent, atque ita prioris vitæ memoriam exuant & abjiciant. Stoici vero non modo in proxima *ἐκπυρώσει* vel immutatione universali, cui solum Jovem superstitem restare affirmabant, animas omnes perire, atque in principia sua prima reverti arbitrabantur, sed etiam tam dubie de qualicunque animarum vita post hanc vitam disserunt, ut illam non satis certo credidisse videantur, & generalibus verbis illam describunt, ut non credidisse propemodum idem fuerit, uti pluribus locis eorum in medium adductis ostendit *Gatakerus* in notis ad hæc verba *Marci Antonini* L. IV. sectione 21. *Animæ si perennant, quomodo eas ab æterno ceperit aer? Quomodo vero, quæ ab ævo tam immenso in ea condita sunt corpora, terra capit? Sicut enim hic corpora, ubi ad spatium aliquod temporis in terra permanserunt, mutata & dissipata, cadaveribus aliis locum concedunt, ita & animæ in aerem translata, ubi aliquamdiu ibi perstiterunt, mutantur, funduntur, succenduntur, in seminalem universi rationem recepta, locumque hoc pacto faciunt aliis intra sedes easdem insuper recipiendis. Hoc respondere licebit, si pro concesso sumatur, animas corporibus esse superstites.* De Pharisæis autem quid dicemus, non modo magnam partem hypocritis, sed etiam Metempsychoseos dogma professis, ut ex Josepho constat? Horum plerique nec satis ipsi persuasi erant de animarum immortalitate, etsi in labris hæc illis nascebatur fides atque opinio, quam deinde doctrina de recidivatu earundem in alia corpora usque adeo obscuraverant atque disturbaverant, ut præcipuum illius pondus ad virtutem commendandam, recordationem nempe prioris vitæ sustulissent. Qua remota & detracta non mirum est universæ de immortalitate animarum Doctrinæ nullam omnino vim esse in hominum animos ad virtutem colendam movendos & incitandos. Quid enim ad me attinet anima mei penitus oblita, quid quæso amplius, quam alia anima quælibet? Ubi autem terrarum sunt mentes in alia corpora translatæ, quæ prioris vitæ meminisse queant? Quamobrem *Helmontium* aliosque, qui nuper è lacunis Cabbalisticis Judæorum, illam nobis pridem explosam, Metempsychosin recoxerunt, semper pessime de virtute, pessime de veritate ac pietate, pessime de humano genere meritos esse duxi. Etsi vero ex bona indole vel institutione *Plinius* aliquis, qui animas immortales esse inficiatus est, vitam honestam duxit, non hoc ei suasit

falsa

falſa de mente ſua perſuaſio, quia negari non poteſt multos idem cum illo ſentientes vel ideo omni generi voluptatum & flagitiorum impotenter indulſiſſe: Sed natura tam felice uſus, ut vitiorum ſenſerit fœditatem & moleſtiam, vel tranquillitatis ſuæ cauſa & bonæ famæ ſtudio ab illis per ſe abſtinuit. Quam in ſententiam *Seneca*, *Licet Deus non eſſet*, inquit, *tamen non peccarem, ob peccati vilitatem.* Et *Cicero* ex *Panætio*: *Satis enim nobis, ſi modo in Philoſophia aliquid profecimus, perſuaſum eſſe debet, ſi omnes Deos hominesque celare poſſimus, nihil tamen avare, nihil injuſte, nihil incontinenter eſſe faciendum.* Sed jam olim pronunciavit Poeta, multis in millibus non facile unum reperiri, qui virtutem pretium ſui eſſe putet, & qui non ſpe aut metu moveatur, quod Senamus apud *Joh. Bodinum* in Colloquio *ἀνεκδότῳ* Heptaplomere de abditis rerum ſublimium arcanis, ad Epicureos referens, *multos*, inquit, *Deorum contemtores, plures etiam qui nihil à beluis niſi figura differrent, Epicureum tamen adhuc reperi neminem, id eſt qui Deos nulla præmiorum ſpe religioſe coleret, qui frugaliſſime ac temperatiſſime viveret, qui continentiam, juſtitiam, fidem, morum integritatem, ut Epicurus, amplexaretur, mortales tamen animos crederet, nec ullum ab immortali Deo negotium cuiquam impendere arbitraretur, qui demum ſummum hominis extremumque bonum non in corporis voluptatibus, ſed in animi excelſi tranquillitate ſerena collocaret.* Si vero ſpes vitæ futuræ & pœnarum metus ita firmiter animo inhæreat, ut argumentis ſupra adductis & Scripturæ potiſſimum teſtimonio nixi non dubitemus mentes noſtras poſt fata ſupereſſe, & ita quidem ſupereſſe, ut geſta præſentis vitæ memoria teneant, & vel recte factorum recordatione æternum oblectentur, aut criminum patratorum & tunc obverſantium conſcientia perpetuo fatigentur & affligantur: quin hæc fides, ſi certa, ſi vivida, ſi conſtans ſit, & apud homines in vitia pronos idonei freni inſtar eſſe ad eos à vitiis retrahendos, & melioris indolis homines mirifici calcaris inſtar in curſu virtutis alacriores, in calamitatibus confidentiores & lætiores reddere poſſit, manifeſtum eſſe videtur. Quare etiam *Sirachides*, quoddam veluti alexipharmacum adverſus omne genus peccatorum lectoribus ſuis præbiturus, *Recordare noviſſima*, inquit, *& nunquam peccabis.* Quæ verba, ipſius pace paulum interpolare, atque iiſdem hanc exercitationem concludere liceat: *Memento memoriæ tuæ poſt fata duraturæ & nunquam peccabis.*

Δόξα Θεῷ.

FINIS.

Jo.

JO. FRID. MAYERUS,
LIPSIENSIS.
S. TH. D. ET PROF. ORD. FACULTATIS THEOL.
H. T. DECANUS.
AD
DISPUTATIONEM INAUGURALEM
VIRI NOBILISS. ATQUE PRÆCLARISSIMI
DOMINI
JO. ALBERTI FABRICII, LIPS.
PHIL. PRACT. ET ELOQV. APUD
HAMBURGENSES PROFESS. PUBLICI.
PRIDIE CALENDAR. OCTOBRIS.
IN
AUDITORIO THEOLOGORUM
SOLENNITER BONO CUM DEO HABENDAM
PROGRAMMATE HOC,
DE PACTO ADPARITIONIS POST MORTEM
ERUDITOS OMNES QUOS KILONIUM ALIT
DECENTER INVITAT.

JESU FORTUNANTE.

Placuit Facultati nostræ oppidio erudita atque solida Celeberrimi Dn. *Jo. Alberti Fabricii* de *Recordatione animæ post fata superstitis* dissertatio, dignamque illam judicavit, quam pro Summo in Theologia gradu, meo sub moderamine defenderet. Inter legendum ego oculos cum primis fixi *in Pactum istud, quo mortalium alter alteri promittit, si vivis excedat prior, se de animæ separatæ statu superstitem edocturum esse.* Video *Clariss. Virum* brevius tantummodo illud attingere, mihi autem (ad Programmatis tamen carceres damnato) prolixius stipulationem isthanc prosequi animus est. Duo vero mihi expedienda sumam, referam fide aliorum quædam hujus promissi exempla, & in naturam pacti talismodi inquiram sanctius.

Nimis liberales esse Pontificios in largiendis animarum separatarum visionibus pariter atque adparitionibus, facile concedet, qui vel leviter ipsorum inspexit annales, adeo ut vix credam hodie idoneum ullum inter ipsos esse ad suscipiendæ Canonisationis axiomata, cui non tanta oculorum contigerit acies in animas corpore solutas. Provoco in præsenti ad *Philippum Nerium Congregationis Oratorii Fundatorem* Anno 1622. a Gregorio XV. inter Divos relatum, quo de Antonius Gallonius ejusdem Congreg. Presbyter in *vita Nerii* p. 105. *Vincentius, qui vitam Philippo Magistro usus cum pietate duxerat, Philippo itidem eo ipso momento, quo obiit, sese ostendit, quem ille nubes penetrantem propriis oculis intuitus est. Incidit ea res in annum Domini millesimum quingentesim*[illegible]*uagesimum septimum. Sub idem tempus Marius Tosinus nomine, vir pietati deditissimus, ut obiit, eidem confestim apparuit, cumque eum bis nominatim maxima voce inclamasset, cœlum luce clarissima circumfusus illo ipso vidente ascendit.* Memoranda & mihi hoc loco est *Magdalena de*

Pazzis Anno 1669. per Clementem IX. Sanctarum ordini adscripta (vide Acta canonisationis Petri de Alcantara & Magdalenæ de Pazzis autore *Dominico Capello*, *ex Patritio a S. Jacobo Carmelita*, qui vitam illius scripsit) ita vero hic Lib. III. de vita Magdalenæ cap. 2. n. 9. p. 191. *Diversarum pariter animarum, mortalis exutarum corporis vinculis statum vidit, aliarum gloriosum, aliarum pœnalem in purgatorio, infelicissimum aliarum in inferno. Animam vidit Matris suæ carnalis, anno 1590. mense Septembri, 15. post obitum die, cœlestibus gloriosam annumerari matronarum catervis. Itevum anno 1589. 5. Junij, in Cœnobio S. Mariæ ab Angelis, animam sororis unius post quindecim a morte horas, incorruptibili conspexit inter virgineos cætus amiciri chlamyde, in præmium voluntariæ, ejusdemque constantis in vita patientiæ, nec non æstimationis, qua thesaurum appretiata fuerat sibique applicarat sanctarum Ecclesiæ Indulgentiarum. Anno 1598. circa finem mensis Octobris animam pariter conspexit mire gloriosam, Sororis Mariæ Bagnesi, aureo circumdatam amictu, in mercedem charitatis, & humilitatis. Anno 1588. 3. Februarij alterius sororis suæ animam intuita est, admiranda cinctam gloria, meritis opulentam, in medio Angeli sui tutelaris, & S. Miniati, cui, dum viveret singulariter extiterat devota.* De adparitionibus & colloquio cum anima damnata conf. eundem *Lib. II. c.* 13 *n.* 13. & plura jam dicemus.

Fingenda talia erant in errorum solatium, mendaciaque mendaciis tegenda, ne perplueret. Veritate etenim cœlesti Pontificii Doctores, in purgatorio, operum meritis, Sanctorum idololatrico cultu, aliisque erroribus asserendis destituti, ad animas confugiunt, vel è cœlo vel purgatorio vel inferni faucibus ipsis reduces, illarumque se tuentur revelationibus. Confer usus illos quos ex credita & defensa animarum separatarum visione & adparitione in Ecclesiam Papæam redire, collegit Lojolita Herbipolensis *Petrus Thyræus* peculiari *de adparitione Spirituum* libro & capite cum primis XIII. p. m. 51.

Inde æquo non solummodo animo admittunt, sed toties repetendo proponunt in exemplum aliis, inire pactum, ut vinculis corporis soluta amici anima post mortem adpareat, & doctoris quæ animæ post mortem sit conditio, munere defungatur. *Marsilii Ficini* & *Michaelis Mercati* Fabricius meus adduxit. Debemus id *Baronio* ad Annum Christi 411. fol. m. 341. Accipite in præsenti, quomodo Annalium Parens illud a voluptate animi & certi-

certitudine ccommendet: *Sed quod in his versetur oratio, patere quæso, lector, ut exemplo Evangelici patris familias, qui profert de thesauro suo nova & vetera, veteribus recentia conjungamus: Erit enim ut ex his quæ breviter dicturi sumus, magnam capias animi voluptatem. Haud namque inexplorata referam, sed quæ complurium eruditorum virorum scimus assertione firmata, immo & a religiosis viris ad populum pro concione sæpe narrata. Ego vero a quo accepi, auctorem proferam, nempe integerrimæ fidei virum Michaelem Mercatum Miniatensem S. R. E. Protonotarium, probitate morum atque doctrina spectatum: Ipse enim narravit de avo suo, eodem quo ipse nomine nuncupato, Michaele Mercato Seniore, cui cum Marsilio Ficino nobilissimi ingenii viro summa intercedebat amicitiæ consuetudo, parta & aucta philosophicis facultatibus. In quibus Platonem ambo affectabantur auctorem.*

Ex *Vicentii Beluacensis* speculo ejusdem generis pactum refert *Antonius Dauroltius* Jesuita Catechismi Historialis cap. VIII. Tit. XVIII. de adparitione Damnatorum Ex. 2. p. 227. *Circa annos Domini mille nonaginta, ut refert Vincentius, in civitate Nannetis duo clerici, nondum patientibus annis presbyterii, literis affatim instructi, inter se multum amici, hoc pactum inierunt, ut qui prior eorum moreretur, alteri vel vigilanti vel dormienti appareret, infra triginta dies. Data acceptaque corporali fide, non multo post tempore, unus eorum obiit. Trigesimo autem die, adstitit alteri vigilanti, & nescio quid operis molienti mortuus, vultu exangui, & pallido, qui prior vivum compellans: Agnoscis me inquit, Agnosco, respondit ille, & miror, quod ita tarde apparueris. Ille prius moram excusans, tandem veni, inquit, & adventus meus si volueris, tibi fiet commodus, mihi autem omnino infructuosus, nam sempiternis datus sum suppliciis. Ego, ait alter, juvabo te orationibus multis, jejuniis & eleemosynis. At ille respondit, sine pœnitentia sunt judicia Dei, in inferno, dum rotat astra polus: Dum pulsat litora pontus, pro criminibus meis puniar, si totus Mundus mihi remedia exquireret, æterna tamen, & innumera pœnarum genera patiar, & ut aliquam ex meis rationalibus pœnis cognoscas, en una, protendit manum sanioso ulcere stillantem. Videturne tibi, ait ille, levis? Cumque ille levem sibi videri referret, ipse mortuus curvatis in volam digitis tres guttas defluentis tabis super eum jaculatus est, quarum duæ tempora, tertia frontem contingentes, cutem sicuti ignito jaculo penetraverunt, foramen nucis capax efficientes. Illo magnam pœnam esse doloris clamore protestante, hoc, inquit mortuus, erit tibi quam diu vixeris & pœnarum mearum grave docu-*

documentum, & nisi neglexeris, salutis tuæ singulare monimentum. Vade ergo, dum licet, muta habitum simul & animum, & esto Monachus Redonis apud S. Melanium. Cumque ad hoc vivus respondere nollet, mortuus eum oculi vigore perstringens, si dubitas, inquit, miser converti, lege litteras istas, & hæc dicens, manum protendit tetricis notis inscriptam, in quibus Satanas, & omne inferorum Satellitium Ecclesiastico cœtui gratias de tartaro emittebant quod cum ipsi in nullo voluptatibus suis deessent, tantum numerum animarum subditarum paterentur ad inferna descendere prædicationis injuria, quantum nunquam viderint retro acta secula. His dictis, loquentis adspectus disparuit. Et audiens, omnia vendens & dans pauperibus, sanctum Menalium adiit & Monachus ibi factus, optime conversatus est.

Neque præterire possum, vulgatum illud passimque in Pontificiorum scriptis decantatum apud *Jac. de Voragine* cap. 158. *Petrum de Natalibus* L. 10. cap. 8. *Pelbartum de Themeswar* in Pomario sermone XIII. Part. æstival. f. 148. *Magister Silo quendam suum scholarem ægrotantem obnixe rogavit; ut post mortem ad se rediret & statum suum sibi renunciaret. Post aliquot igitur dies sibi apparuit cum capa de pergamento toto de sophismatibus descripta, & intus flamma ignis tota contecta. Qui requisitus à Magistro quisnam esset, ait: Ille utique sum qui ad te redire promisi. Qui de statu suo requisitus, ait: Hac capa plus super me ponderat, & plus me premit, quam si unam turrim supra me haberem. Et est mihi data, ut eam portem pro gloria quam in Sophismatibus habui. Porro flamma ignis qua operta est, pelles sunt delicatæ & variæ quas ferebam, quæ flamma me cruciat & exurit. Sed cum Magister illam pœnam facilem judicaret, dixit eidem defunctus, ut manum extenderet, & sic facilitatem suæ pœnæ sentire posset. Cumque manum extendisset, ille guttam unam sui sudoris dimisit, quæ prædicti Magistri manum sagitta citius perforavit, ita quod cruciatum mirabilem sensit. Et ait: Talis totus est ignis. Ille igitur Magister ex illius pœnæ acerbitate perterritus saculum deliberavit deserere, & religionem intrare. Unde mane Scholaribus congregatis, hos versus composuit:*

Linquo coax ranis, cras corvis, vanaque vanis,
Ad logicam pergo quæ mortis non timet ergo.

Et hic sæculum deserens ad religionem confugit.

SIR-

SIRLONEM paciſcentem Magiſtrum vocant alii, quem de *Voragine* SILONEM nominaverat, *Simonem* vero *Pariſienſem* fuiſſe per literas monuit *B. Thomaſium* Præceptorem olim noſtrum *Thomas Reineſius* die 21. Auguſti Anno 1660.

Tantum autem huic relationi tribuetunr, ut diſputaturus pro gradu in Univerſitate Oxonienſi Opponentem Sophiſmatibus ſe infeſtantem terrorem non levem injicere quid? proſternere protſus ſola Silonis diſcipuli facta mentione cogitaverit. Debeo id Antonio a Wood in Hiſtoria Univerſitatis Oxon. Lib. I. p. m. 21.

Hac autem Fabula (neque enim alio eam nomine ſignandam arbitror) ad Oxonieſes brevi, ut in pervetuſtis quibusdam ſcriptis reperio, delata, tanta eos formidine perculit, ut Scholaris quidam exercitia pro Gradu præſtiturus, Opponentem, argumentis fallacibus utentem, his palam verbis redargueritt, profecto profecto Domine Sophiſta, ſi ita precedis, proteſtor coram hac concurſione, quod non tibi dabo reſponſum! Quæſo Domine, memento diſcipuli magiſtri Silonis, Pariſiis &c. ſubinnuens nimirum, quod ſi doloſis ejusmodi ratiocinius inſanire pergeret, conſimilis pœna diſcrimen adiret.

Tædet referre plura, ex quibus de ſtipulationis veritate (petulantia Monachorum adductus) vix ambigo, ſi quid adparuit, id omne Diabolicis tribuo illuſionibus, cætera quæ de purgatorii flammis &c. narrantur, fraudibus & impoſturis Monachorum originem debent, quibus ad palliandos errores ſeducendamque aut in ſervitio continendam plebem, medium hoc peropportunum viſum fuit, atque his rationibus crevit mendacium, hiſtoriæque induit naturam credentium otio.

At ſeponamus iſta, & in indolem hujus pacti penetremus penitius: *Integrumne ſit homini Chriſtiano, ſacris innutrito literis, citra offenſionem Summi Numinis & Salutis ſuæ præſentiſſimum diſcrimen, tale vel appetere vel inire pactum?*

Totus ego in negantium diſcedo partes. Maxime enim injurioſum id mihi videtur (1) in honorem Sacroſancti Numinis qui Creaturis omnibus inviolabilis & ſacroſanctus eſſe debet. Veritas etenim falli & fallere neſcia DEI

DEI Op. Max. temerario & profano ausu vocatur in dubium, & nisi illi succurras argumentis quæ in sensus incurrant, fides verissimo abjudicatur.

Namque aut Spiritus humani immortalitatem statusque animarum separatarum DEUS in verbo suo clare & quantum scire nostra interest revelavit, aut vel in Codice sacro præteriit, vel leviter tantum attigit, ut extra verbum perspicua magis magisque stringentia ad consequendam harum rerum notitiam anxie & postulare & quærere summæ sit necessitatis. Quem vero omnem pudorem crederes decoxisse, qui inficias iret sacra oracula de perennitate animarum, de conditione solutarum a corporis compagibus suos lectores sufficienter instruere. Cum omnis scriptura, vox quælibet, quævis litera ad illos collineet status, infelicem pariter atque felicem ita exponat, ut tota vita discendum sit quo priorem fugiamus, consequamur alterum. HÆC SCRIPTA SUNT, *ut credatis quod JEsus est Christus ille filius Dei, & ut* CREDENTES VITAM HABEATIS *per Nomen ejus* Joh. XX. 31. Revelatis & ex ore DEI acceptis itaque his omnibus, quid opus est peregrina & lubrica conquirere argumenta. *Nonne* omnem colligendi atque concludendi virtutem illud unicum superat, DEUS DIXIT. Veritatis ipsius testimonio verius dici nil potest, neque exoptari aliquid firmius potest illo, adversus quod portæ inferorum nil quidquam prævalent. Cæcos esse illos oportet qui plus tribuant oculis suis si animas viderint, quam illius qui & totus oculus est & oculos omnium creavit omniumque produxit sustentatque animas, cujus oculis nil quidquam intervenire potest, cum nostri decipiantur quotidie. Et *Deicidio mentali* hominem talia meditantem absolvere nequeo, *qui enim non credit Deo mendacem facit eum*, Joh. V. 10. *cum autem impossibile sit mentiri Deum* Eb. VI. 18. Deus ergo huic non Deus est, quin Diabolum in vicem DEI colit: *Hic quum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est atque ejus rei Pater* Joh. VIII. 44.

(2) *Quid est quod natura fidei penitus adversetur si hoc non est?* Fides enim circa eas res versatur quæ sensus nostros fugiunt, quas non videmus, quas Deo affirmanti unice credimus, Ebr. XI. 1. Si vero nihil aliud nobis fide amplectendum videtur nisi quod oculis cernimus, fides non est fides sed jam tota abit in scientiam. Recte B. Augustinus Epistola 222. *Habet fides oculos suos, quibus quodammodo videt verum esse quod nondum videt, & quibus certissime videt nondum se videre quod credit.* Igitur ex Christi effato illi demum

demum beati sunt, *qui non vident & nihilominus credunt* Joh. XX. 29. Quod si ais fieri tamen posse ut fides adsit, sed debilis, sed infirma, non prorsus contemnenda tamen, quæ ejusmodi pactione velit quasi deduci in rem præsentem, ac magis magisque confirmari: Nonne intelligis hac ratione, infirmam illam fidem incredibili periculo à te objici, ut mox plane obteratur ac conculcetur. Quod si enim pacto, de quo agimus, plurimum aliquis tribuat, eoque certiorem se reddi speret, repromissor autem post obitum non revertatur, nonne actum erit de fide, & hæc non infirma amplius sed plane nulla est futura? Præterea, quod si vel maxime redire animam contingat, homo ejusmodi pactione non corroboret fidem, sed potius nihil ei tribuere discat, ejusque nullam vel certe perexiguam habere rationem, dum credere renuit, nisi cum signa viderit & prodigia Joh. IV. 48. & res statim suspecta ipsi videtur, quando non licet ad sensualem experientiam recurrere, ut in hac velut in tutissimo portu acquiescat.

(3) *Nullo modo in facultate hominis positum est, animam post dicessum à corpore reverti*, & visibili specie amicum convenire, TEMERARIUM ITAQUE ET INEPTUM EST GENUS PACTI, QUOD DE RE VIRES NOSTRAS SUPERGREDIENTE COMPROMITTITUR. Quod vero in potestate animæ à corpore separatæ minime sit pro lubitu homines in terris circumire & affari, nemo negaverit qui cogitet, eam in alium veluti orbem delatam corporeque destitutam, totam jam esse in eo ut pro DEI judicis justissimi & misericordissimi arbitrio vel suppliciis afficiatur, vel in Abrahami sinu recreetur & in manu DEI tuta servetur ab omni genere tormentorum. Unde vero perspectum est ejusmodi pactionem ineunti, sibi post excessum è vita à DEO concedendum ut anima specie visibili veluti corpore quodam se superinduat, ut loca suppliciorum vel sempiterni gaudii relinquat terrasque obeat? Quod si sub conditione duntaxat hac pacisci se aliquis dixerit, atque ita speret se absurditatem promissi evitare, neque ita multum profecerit, cum longe verisimilius sit DEUM hoc non permissurum, idemque nos jam ostenderimus haud mediocriter injurium esse in veritatem DEI, & naturæ fidei valde ac diserte repugnare.

(4) FRUSTRANEUM quoque est totum negotium, tametsi promissum impleri & prius è vivis ereptum reverti atque ex pacto amicum superstitem in terris adire eveniat. Quæso enim te, *qua ratione quove argumento*

certus esse possis & ab omni illusionis metu tutus, hoc quod vides quod audis non aliud esse quam amici defuncti animam? non aliud Phantasma? Ad similitudinem formæ oculis tuis obversantem provocas? A similitudine ejusmodi ad animam hominis noli colligere. Quid similius Augustino, quam simulacrum ejus quod Eulogio Rhetori Carthaginensi per somnium apparuit? De quo ipse Augustinus lib. de cura pro mortuis, cap. 11. T. VI. Opp. edit. Benedictinor. Paris. p. 524. *Nobis apud Mediolanum constitutis, Carthaginis rhetor Eulogius, qui meus in eadem arte discipulus fuit, sicut mihi ipse posteaquam in Africam remeavimus retulit, cum rhetoricos Ciceronis libros discipulis suis traderet, recensens lectionem quam postridie fuerat traditurus, quendam locum offendit obscurum: Quo non intellecto vix potuit dormire, sollicitus: Qua nocte somnianti ego illi quod non intelligebat exposui: Imo non ego sed imago mea nesciente me, & tam longe trans mare aliquid aliud sive agente sive somniante, & nihil de illius curis omnino curante.*

Diceresne tu hanc fuisse Augustini animam? Non profecto magis quam Curmæ ecstatico visas imagines de quo idem c. l. cap. 12. fuisse homines ipsos quos sibi videre visus est. Sed colloquia objicis, de rebus tibi notis teque spectantibus & quæ non potuissent nisi ab illa anima negotiorum tuorum conscia proficisci. Ecce *Brugnolum* Jul. Cæsari Scaligero non modo videndum se præbentem in somnis, sed & ejus tum temporis ut filius Josephus Scaliger Epistola I. p. 39. testatur, penitus ignarum affantem. Locus dignus qui hic legatur.

Cum Heroum suorum opus contexens ad multum noctis lucubrasset, absoluto libro, post cœnulam quiete compositus imaginatus est, in æde Mariæ Antiquæ Veronensis, ubi sunt monimenta gentis nostræ, hominem procerum ac gravem sibi obviam factum secum expostulare, quod se inter Heroas suos non collocasset. Orare igitur, ut hoc faceret: Se Benedictum Brugnolum esse, domo Leniaca, qui patrem Benedictum ac patruos literas primas docuisset: Ipse quoque puerulum aliquando inter ulnas gestasset. Venetiis se ultimum diem obiisse, ibique sepultum esse. Experrectus somnium elegia elegantissima expressit, quæ calci Heroum, addita est. Ipse vero nunquam scivit, quis esset Brugnolus ille, neque quid portenderet somnium. Et profecto ego quoque nihil unquam aliud, quam somnium credidi, donec anno CIↃ IↃ LXVI. cum essem in Italia & M Antonio Mureto exposuissem me habere in animo Venetias proficisci, ille inter alia,

quæ

quæ in ea urbe digna cognitu sunt, refert monimentum esse Benedicti Brugnoli Leniacensis excellentissimi ævo suo Grammatici, qui, ut ejus epitaphium fert, & Proceres ævi sui in Norico literas docuerit. Id sepulchrum dignum esse, quod studiosos antiquitatis oculos moraretur. Neque tamen magis meminerat Muretus somnii patris mei, quam pater meus sciebat, quis esset Benedictus Brugnolus. Legat totam elegiam, qui volet & inveniet quod satis mirari non possit. Repetitur elegia hæc in Scaligeranis primis p. 34. & in Poëmatibus Julii Cæsaris Scaligeri p. 314.

Quæ vero ratio est, ut hanc imaginem in somnis Scaligero oblatam taliaque ei dicere visam, magis tibi persuadeas fuisse animam Brugnoli, quam Eulogio Rhetori per somnum visam esse animam Augustini, locum e Rhetoricis Ciceronis explicantem, etsi Scaliger addat & formam viri se vidisse, & ejus sensisse amplexus.

Ista simul, simul ecce cavi de fornice muri
Exilit ingentis maxima forma viri
Et porrecta meo circumdans brachia collo
Hoc tollam, inquit, ego summa sub astra caput,
Magnus ego, & celso surrectus corpore, verùm
Pectore tum toto grandior ille fuit.
Nunc quoque cum scribo, trepidos rigor occupat artus,
Et stupida à facie lumina splendor habet.

Aut dicemus etiam *Gilberto Gaulmino* somnianti animam apparuisse scriptoris græci & de poëmate suo quod de immortalitate animæ scripserat monuisse. Nam ut à Paulo Colomesio p. 98. Opusc. refertur, Gaulminus captivus forte Parisiis vespere quodam poema græcum cœpit de immortalitate animorum componere, plurimumque progressus & in somnum incidens somniavit *in Bibliotheca Regis Suecia* extare veterem autorem Græcum qui idem argumentum græcis versibus pertexuisset & ad umbilicum perduxisset. Postridie à Grotio Suecorum ad Gallos legato sciscitatus tulit responsum rem ita se habere, etsi ipse ut serio testatus est Gaulminus nunquam fando audivisset scriptorem ejusmodi in Bibliotheca illa repetiri.

(5) *Denique pactiones ejusmodi Diabolo callidissimo fraudum architecto fores latissimas aperiunt variis illusionibus hominem circumveniendi misereque decipiendi.* Sic Saul Rex cum Deo relicto Samuelem reducem exspectaret & ab eo doceri cuperet, continuo terroribus ac præstigiis Dæmonis patuit 1.Sam. XXVIII. Quid enim non tentet Diabolus vel quid non facile persuadeat homini, qui prodigiosum animæ amici post fata reditum præstolatus, illius potius dicto quam verbo divino fidem habere decrevit. Compulit hoc Philippum Nerium, ut rem plenam periculi crederet apparitiones expectare vel iis delectari. Ita enim de eo Antonius Gallonius in Nerii vita p. 106. *Illud frequenter monebat alumnos, ne visiones curarent, quandoquidem quisque facile his in rebus, (cum Angelus Satanæ boni Angeli specie hominibus appareat) labi turpissime potest. Hinc ille ita ab omni visionum ac revelationum lubrica quadam ac spiritualibus hominibus maxime periculosa curiositate abhorrebat, ut qui talibus delectarentur, acri sermone corriperet, liquido affirmans nihil esse in laqueis diaboli piis hominibus perniciosius, quam vesana hæc Dæmonum ludibria.* Confer *Francisci Stadieræ Jesuitæ* librum singularem *de illusionibus in vita spirituali.* Ecquis autem sanæ, ne dicam piæ mentis, tam potest oblivisci sui, ut magna precum votorumque ambitione vel pacto ejus generis impuro Dæmoni ansam det ac eundem veluti invitet ad se turpiter fallendum, variisque modis à divinæ veritatis via revocandum. Quæ singula si probe considerentur, equidem non dubito satis esse ad pactionem de qua agimus explodendam & dissvadendam, aut nihil esse satis.

Sed hæc hactenus. Ad Fabricium meum redire necesse jam habeo, illiusque vitam strictim recensere. Possum autem, de vita Viri Clariss. pietatis plena, exquisitissima eruditione, in studiis inexplicabili ferme assiduitate, compositis moribus, scriptis, familiaritate cum Viris Maximis, tanto majori cum fiducia scribere, quanto per quinquennium & quod excurrit, in ædibus, & convictu meo mihi vixit conjunctissimus. Patriam mecum communem habet LIPSIAM, *cui semper bene sit!* In qua vitam exorsus Anno 1668. XI. Nov. die Martino solenni anniversario. Parentem nactus Virum qui cum Musicis & antiquissimis & ætatis suæ contendere poterat, atque certo reportare palmam, literarum quoque, Poeseos cumprimis peritissimum *Wernerum Fabricium*: Matrem Optimam illisque quæ matronam decent dotibus instructissimam *Martham Corthumiam*, Johannis Corthumii Ecclesiastæ Bergedorfensis filiam. Hæc autem gens Corthumia illud singulare prorsus habet, quod a re-

a reformationis tempore, Ecclesiæ Bergedorffensi, non interrupta serie Corthumios pastores dederit, namque & hodie Vir plurimum Reverendus DN: M. GERHARDUS CORTHUM, eandem Ecclesiam, & sacrosancta doctrina, & rectissimo ornat exemplo, (& ut in longos annos adhuc isto fruatur Bergedorffium antistite Deum posco) Sed & hoc Corthumiorum familiæ meritis & existimationi tribuendum est, quod inter suos *Joachimum Westphalum* summum Hamburgensis Ecclesiæ Præsulem Hæreticorumque malleum numeret. Undecennis puer utroque orbatus parente, & matre quidem Ao. 1674. Patre Anno 1679. jam divinæ providentiæ amplexus suaviter in mœrore isto sensit, & expertus est, cum paternam in se susciperet curam, nihilque eorum quæ ad liberalem educationem faciunt per quinquennium intermitteret, communis tunc Orphanorum Mæcenas *Wenceslaus Bublius*. Ducem ad eruditionem ab ineunte pueritia per duo lustra habuit insignem, Celebertimum illum & inter græcæ linguæ doctores per Orbem qua patet literarium, facile Principem Dn. JOH. GOTHOFREDUM HERRICHEN scholæ Nicolaitanæ apud Lipsienses Rectorem jam emeritum. De quo viro vel dicere vel scribere vel cogitare nequeo, quin nescio quænam animum meum excruciet impatientia, quod Præceptori huic etiam meo, & de me, dum scholas ejus una cum *Frid. Benedicto Carpzovio* quod nomen ad exquisitissimam eruditionem famamque exprimendam hodie sufficit, eheu nuper usibus Reip. literariæ damno vix reparabili subtractum, frequentarem, insigniter merito, pro immortalibus istis in me beneficiis, quibus animum studiaque mea ornavit, nihil quicquam potuerim in dignum grati animi documentum re ipsa præstare; publicam igitur hanc in præsenti syngrapham à me accipiat, qua omnes illi facultates meas imo me ipsum totum transscribo. Juvarunt tunc Fabricii studia una cum Herrichio *B. Poltzius* scholæ Nicolaitanæ ConR. fidelissimus, & Reverendus plurimum Dn. L. *Joh. Dornfeldius*, Archidiaconus hodie apud Lipsienses ad D. Nicolai meritissimus, nec non vir Amplissimus atque Excellentissimus *Joh. Gottlieb Hardtius*, Logices ac Metaphysices in Academia ejusdem urbis Professor celebratissimus. Allexerat *Samuelis Schmidii* fama Fabricium, ut in illustri Quedleo sub excellentissimi illius & prudentissimi juventæ moderatoris ductu & autoritate, consilio beatissimi tutoris sui D. *Valentini Alberti*, apud Quedlimburgenses per aliquod tempus bonis literis vacaret, quod dum à fine anni 1684. per biennium fere fecit, eos fructus & profectus DEO laboribus benedicente sensit, ut fidem, doctrinam, dexteritatem *Schmidii* sui in hunc usque diem celebret & gratus profiteatur, neque ullo tempore eum subitura

(5) *Denique pactiones ejusmodi Diabolo callidissimo fraudum architecto fores latissimas aperiunt variis illusionibus hominem circumveniendi misereque decipiendi.* Sic Saul Rex cum Deo relicto Samuelem reducem exspectaret & ab eo doceri cuperet, continuo terroribus ac præstigiis Dæmonis patuit 1.Sam. XXVIII. Quid enim non tentet Diabolus vel quid non facile persuadeat homini, qui prodigiosum animæ amici post fata reditum præstolatus, illius potius dicto quam verbo divino fidem habere decrevit. Compulit hoc Philippum Nerium, ut rem plenam periculi crederet apparitiones expectare vel iis delectari. Ita enim de eo Antonius Gallonius in Nerii vita p. 106. *Illud frequenter monebat alumnos, ne visiones curarent, quandoquidem quisque facile his in rebus, (cum Angelus Satanæ boni Angeli specie hominibus appareat) labi turpissime potest. Hinc ille ita ab omni visionum ac revelationum lubrica quadam ac spiritualibus hominibus maxime periculosa curiositate abhorrebat, ut qui talibus delectarentur, acri sermone corriperet, liquido affirmans nihil esse in laqueis diaboli piis hominibus perniciosius, quam vesana hæc Dæmonum ludibria.* Confer *Francisci Stadieræ Jesuitæ* librum singularem de *illusionibus in vita spirituali.* Ecquis autem sanæ, ne dicam piæ mentis, tam potest oblivisci sui, ut magna precum votorumque ambitione vel pacto ejus generis impuro Dæmoni ansam det ac eundem veluti invitet ad se turpiter fallendum, variisque modis à divinæ veritatis via revocandum. Quæ singula si probe considerentur, equidem non dubito satis esse ad pactionem de qua agimus explodendam & dissvadendam, aut nihil esse satis.

Sed hæc hactenus. Ad Fabricium meum redire necesse jam habeo, illiusque vitam strictim recensere. Possum autem, de vita Viri Clariss. pietatis plena, exquisitissima eruditione, in studiis inexplicabili ferme assiduitate, compositis moribus, scriptis, familiaritate cum Viris Maximis, tanto majori cum fiducia scribere, quanto per quinquennium & quod excurrit, in ædibus, & convictu meo mihi vixit conjunctissimus. Patriam mecum communem habet LIPSIAM, *cui semper bene sit!* In qua vitam exorsus Anno 1668. XI. Nov. die Martino solenni anniversario. Parentem nactus Virum qui cum Musicis & antiquissimis & ætatis suæ contendere poterat, atque certo reportare palmam, literarum quoque, Poeseos cumprimis peritissimum *Wernerum Fabricium*: Matrem Optimam illisque quæ matronam decent dotibus instructissimam *Martham Corthumiam*, Johannis Corthumii Ecclesiastæ Bergedorffensis filiam. Hæc autem gens Corthumia illud singulare prorsus habet, quod a re-

a reformationis tempore, Ecclesiæ Bergedorffensi, non interrupta serie Corthumios pastores dederit, namque & hodie Vir plurimum Reverendus DN: M. GERHARDUS CORTHUM, eandem Ecclesiam, & sactosancta doctrina, & rectissimo ornat exemplo, (& ut in longos annos adhuc isto fruatur Bergedorffium antistite Deum posco) Sed & hoc Corthumiorum familiæ meritis & existimationi tribuendum est, quod inter suos *Joachimum Westphalum* summum Hamburgensis Ecclesiæ Præsulem Hæreticorumque malleum numeret. Undecennis puer utroque orbatus parente, & matre quidem Ao. 1674. Patre Anno 1679. jam divinæ providentiæ amplexus suaviter in mœrore isto sensit, & expertus est, cum paternam in se susciperet curam, nihilque eorum quæ ad liberalem educationem faciunt per quinquennium intermitteret, communis tunc Orphanorum Mæcenas *Wenceslaus Buhlius*. Ducem ad eruditionem ab ineunte pueritia per duo lustra habuit insignem, Celeberrimum illum & inter græcæ linguæ doctores per Orbem qua patet literarium, facile Principem Dn. JOH. GOTHOFREDUM HERRICHEN scholæ Nicolaitanæ apud Lipsienses Rectorem jam emeritum. De quo viro vel dicere vel scribere vel cogitare nequeo, quin nescio quænam animum meum excruciet impatientia, quod Præceptori huic etiam meo, & de me, dum scholas ejus una cum *Frid. Benedicto Carpzovio* quod nomen ad exquisitissimam eruditionem famamque exprimendam hodie sufficit, eheu nuper usibus Reip. literariæ damno vix reparabili subtractum, frequentarem, insigniter merito, pro immortalibus istis in me beneficiis, quibus animum studiaque mea ornavit, nihil quicquam potuerim in dignum grati animi documentum re ipsa præstare; publicam igitur hanc in præsenti syngrapham à me accipiat, qua omnes illi facultates meas imo me ipsum totum transscribo. Juvarunt tunc Fabricii studia una cum Herrichio *B. Poltzius* scholæ Nicolaitanæ ConR. fidelissimus, & Reverendus plurimum Dn. L. *Joh. Dornfeldius*, Archidiaconus hodie apud Lipsienses ad D. Nicolai meritissimus, nec non vir Amplissimus atque Excellentissimus *Joh. Gottlieb Hardtius*, Logices ac Metaphysices in Academia ejusdem urbis Professor celebratissimus. Allexerat *Samuelis Schmidii* fama Fabricium, ut in illustri Quedleo sub excellentissimi illius & prudentissimi juventæ moderatoris ductu & autoritate, consilio beatissimi tutoris sui D. *Valentini Alberti*, apud Quedlimburgenses per aliquod tempus bonis literis vacaret, quod dum à fine anni 1684. per biennium fere fecit, eos fructus & profectus DEO laboribus benedicente sensit, ut fidem, doctrinam, dexteritatem *Schmidii* sui in hunc usque diem celebret & gratus profiteatur, neque ullo tempore eum subitura

ſit beneficiorum tunc ab eo acceptorum oblivio. Menſe Septembri Anno 1686. reverſus in patriam atque albo Academiæ inſcriptus totum ſe laudatiſſimo tutori ſuo cum magna literarum magna Eccleſiæ jactura ante biennium denato dedit, ac per annos ſeptem, ædibus, menſa & informatione ipſius uſus, non minorem in ſe quam parentis curam amorem ac fidem expertus eſt. Præterea aſſidue auſcultavit lectiones Profeſſorum Theologorum ac Philoſophorum quos Alma Lipſienſis habet habuitque celeberrimos & excellentiſſimos, Theologi ſummi D. *Joh. Benedicti Carpzovii* cujus præmaturum funus luget Academia, Eccleſia illacrymatur, D. *Joh. Olearii*, *B. L. Joachimi Felleri* vita longiore digniſſimi, *D Adami Rechenbergii*, *L. Thomæ Ittigii*, *L. Ottonis Menkenii*, *L. Joh. Cypriani*, *L. Joh. Schmidii*, quos ſumme Reverendos atque Eruditiſſimos viros totidem Eccleſiæ reique literariæ decora atque ornamenta, ut DEUS quam diutiſſime ſervet & per plurium annorum ſpatium Carpzovios atque Albertos reſtituere nobis jubeat, eum ex animo rogamus. Neque vero ingrata fuit patria adverſus ſtudia Fabricii, ſed non diu poſt ejus in Academiam acceſſum die 27. Nov. Anno 1686. *Baccalaureatum* Philoſophiæ illi contulit ſeptimo inter Candidatos tres ac viginti, cum Decani munere fungeretur Max. Rev. *L. Adamus Rechenbergius*, Anno 1688. die 26. Januarii iterum ſeptimum inter candidatos octo ac triginta mactavit axiomatis *Magiſtri* Philoſophiæ, Decano Max. Rev. *L. Joh. Schmidio*. Ipſe vero his honoribus auctus a diſcendi cupiditate minime remiſit, ſed potius illis veluti calcare quodam uſus eſt ad ea tanto impenſius alacriusque proſequenda. Diſſertationes Philoſophicas publice ipſe præſes tres in eadem Academia ventilandas propoſuit, unam *de numero ſeptuagenario*, reliquas duas pro loco in Facultate Philoſophica obtinendo, quarum prior *de Cavillationibus Stoicorum*, poſterior de *Platoniſmo Philonis Judæi adverſus Joh. Jonſium*. Orationes in templo Paulino habuit binas, unam in feſto Reformationis Lutheri, & alteram de reſurrectionis Chriſti evidenti veritate. In Theologicis quadruplici vice Reſpondentis partibus publice functus eſt, ſemel ſub præſidio B. D. *Georgii Mœbii*, bis ſub B. D. *Alberti*, & ſemel iterum ſub B. D. *Joh. Benedicto Capzovio*. Anno 1693. delatus Hamburgum cognatos ſuos inviſendi cauſa, ibique per aliquod tempus commoratus, mihi innotuit dignusque viſus fuit quem in ædes meas reciperem atque inter domeſticos meos foverem à die 13. Junii Anno 1694. per majus quinquennio ſpatium. Ab Anno 1695. die 24. menſis Aprilis per quadriennium & trimeſtre integrum ſingulis Mercurii diebus Hamburgi in æde Jacobi verba ſacra fecit & conciones matutinas habuit.

buit. Ejusdem anni 1695. mense Augusto in Cathedra Theologica hujus Academiæ Kiloniensis (quam vel ob CHRISTOPHORUM FRANCKIUM Theologum nominis fama & meritorum immortalitate maximum, Collegam meum conjunctissimum maximi semper habuit) publice *in præsentia duorum Serenissimorum Principum Cimbriæ & Brunsvicensium Ducis*, sub meo præsidio defendit dissertationem *de alogo sive irrationali Logica Pontificiorum.* Anno interjecto mihi in Sueciam secunda vice iter suscipienti ad Regem gloriosissimæ memoriæ CAROLUM XI. comes itineris fuit, & me proxeneta usus est singulari gratia illud *Regum Exemplar perfectissimum* affandi, & ab eo ut erat Rex clementissimus ac benignissimus, hoc non leve clementiæ documentum accipiendi. In Suecia porro variorum eruditissimorum & celeberrimorum virorum in notitiam pervenit, tum aliorum tum *Laur. Normanni*, *Gustavi Peringeri* & clarissimi *Obrechti* jam inter cœlites degentis, præmaturoque fato Upsaliæ & bonis literis erepti. Non paucis insuper aliis viris doctis intra & extra Germaniam innotuit, qui commercium literarium cum ipso instituere vel etiam in Scriptis suis ejus honorificam mentionem facere sunt dignati. Ipse quoque editis variis libris de publico pro virili bene mereri conatus est, ut *Centuria plagiariorum & Exercitatione de Lexicis Græcis*, quæ brevi longe auctior in Belgio lucem iterum adspiciet sub titulo *Historiæ lexicorum Græcorum*. *Notis brevibus* ad *historiam Aristeæ* de *LXX. Interpretibus*, quæ exstant ad calcem novæ editionis operum Josephi Lipsiensis. *Libro Judith*, *Tobiæ*, *Sapientiæ* & *Sirachidis* cum prolegomenis. Tum *Bibliotheca Latina* sive notitia veterum scriptorum latinorum in qua primus inter alia supplevit ingentem lacunam *Eustatii ad Dionysium periegetem*, quam inde petiit & in novissima *Dionysii editione Oxoniensi* recudendam dedit *Eduardus Thwaites.* Prudens præterea alia quæ vel sub prælo jam vel ad prælum parata aut affecta habet, ut *Marinum de vita Procli altera parte* auctiorem, qui jam Hamburgi exceditur cum versione ac notis, *Bibliothecam Græcam*, *Eunapium* ex pluribus Manuscriptis emendatum, *Chalcidium* ad Manuscripta & veterem editionem Parisiensem recensitum græcisque autorum locis, animadversionibus ac figuris Mathematicis illustratum &c. *Dicæarchi* præterea *de monte Pelio* fragmentum nunquam hucusque editum & *Isidori Characeni* stathmos Parthicos ex Manuscriptis auctos & emendatos, qui jam Oxonii excuduntur in tomo secundo Geographorum minorum Græcorum Viri Clarissimi *Johannis Hudsoni*. Manethonis quoque Apotelesmatica primus edere paraverat cujusque jam folia quædam typis exscripta erant cum versione latina metrica, & brevibus scholiis

liis sive argumentis græcis, qui conatus ejus sufflaminatus est prodeunte in Belgio Poëta illo Astrologico antiquissimo ex Museo *Jacobi Gronovii* viri eruditissimi. Non deest tamen ipsi ad *Manethonem* sive illustrandum sive castigandum spicilegium, quod brevi una cum Marino lucem adspiciet, quemadmodum habet quoque *Maximi* poëma περὶ καταρχῶν, Anonymi Christiani Dialogum de *Astrologia* qui inscribitur Hermippus, aliaque inedita plura quæ data occasione publico non invidebit. Quid multa? De *Fabricio* meo id jure affirmarim, quod *Janus Nicius Erythræus* Pinacoth. P. 1. n. XCVI. p. m. 81. de Francisco Panicarola scripsit: *De quo si quis dixerit, tanto eum ingenio esse, ut quæcunque sunt in liberalibus disciplinis posita intelligentia comprehendat, si quis commemoret tanta eum industria studioque extitisse, ut omnes omnium libros, quorum numerus vix iniri potest, quorumque indicibus legendis vix longa unius hominis vita sufficiat, diligenter evolverit ac notis in eorum marginibus adscriptis illustraverit*, &c. LATINE NON ORATORIE LOQUERETUR.

Sub initium hujus anni, Professione publica Logicæ & Metaphysicæ in Gymnasio Hamburgensi post Max. Rev. *D. Gerhardi Meieri* ad majora officia Quedlimburgum vocati abitum vacua relicta, ab Amplissimis Scholarchis facultas ipsi data est publice disputandi, ubi *specimen Elenchicum Historiæ Logicæ* in differendi argumentum proposuit, cumque paribus suffragiis ille & Vir Nobilissimus ac Præcellentissimus *Sebastianus Edzardus* Professioni destinatus esset, laudati autem Edzardi sors exiisset, non diu post placidum obitum Viri doctissimi ac celeberrimi *Vincentii Placcii* ab eodem Amplissimo Scholarcharum Collegio die 13. Junii communibus suffragiis Professio Philosophiæ Moralis atque Eloquentiæ ipsi demandata est, cujus felix auspicium fecit habita die 29. ejusdem mensis oratione *de ratione ac præstantia eloquentiæ Epicteti*. Novissime à nostra Facultate gradus in Theologia modeste ambiit, eamque totam habuit in desideria sua consentientem. Exhibito igitur sibi specimine sive dissertatione, cujus jam sub initium hujus programmatis meminimus, *de recordatione animæ humanæ post fata superstitis*, diem illa ventilationi destinavit postremum Septembris. Quo ipso ut Proceres Civesque Academiæ in Auditorio publ. Theologico frequentes adsint Actumque hunc disputatorium præsentia sua splendidiorem ac solenniorem reddere dignentur, est quod enixe rogamus. *DEus autem recordetur Academiæ nostræ, omniumque qui illi favent, secundum misericordiam suam!*

Scripsi in Museo X. Cal. Octobr. Anni Christiani cIↄ Iↄc XCIX.

) o (

Q. D.

Q. D. B. V.

EXERCITATIO MORALIS DE LAUDIBUS MALIGNIS,

QUAM

PRÆSIDE

JOH. ALBERTO FABRICIO

S. S. THEOL. D. ET PHILOSOPHIÆ PRACTICÆ ATQUE ELOQU. PROFESSORE PUBL.

IN GYMNASIO HAMBURGENSI PUBLICE TUEBITUR

RRSPONDENS

STATIUS HENRICUS Kreutzenberg,

HAMB.

DIE IX. MART. ANNI CHRISTIANI 1700.

HORIS A DECIMA ANTEMERIDIANIS.

Excudit CONRAD. NEUMANNUS, Senatus, Gymnasii & Scholæ Typographus.

VIRIS MAGNIFICO, SUMME REVERENDIS ATQUE AMPLISSIMIS

DNO. JO. FRID. MAYERO,

POTENTISSIMI SUECIÆ REGIS CONSILIARIO IN SACRIS PER GERMANIÆ PROVINCIAS PRIMARIO, PROFESSORI THEOLOGO IN ACADEMIA ILLUSTRI KILONIENSI CELEBERRIMO, PASTORI ET SCHOLARCHÆ HAMBURGENSI DISERTISSIMO, DOCTORI MAXIMORUM IN ECCLESIAM ET REMP. LITERARIAM MERITORUM.

ET

DNO. M. PETRO SCHULTETO

ECCLESIASTÆ AD ÆDEM CATHARINÆ MERITISSIMO,

DOMINIS PATRONIS AC MÆCENATIBUS MEIS PER OMNEM VITAM MIHI PERPETUO COLENDIS, VENERANDIS.

Quam procul animus meus abest à malignitate, tam quoque diligenter cavebo in præsenti, ne quod solenne vulgo est in hoc genere dedicatoriarum, ullis vos, nedum iniquis vel malignis onerem laudibus. Cum enim non modo ingens sit verissimarum laudum vestrarum campus, sed & ab innumeris iisque laudatissimis viris jampridem tritus & frequentatus, rectius utique à toto hoc negotio duco mihi abstinendum. Sufficit sane ad laudum vestrarum cumulum sola nomina vestra adscripsisse, ex quorum splendore huic quoque tenui Exercitationi laudem non exiguam polliceor. Utinam vero vel Epistola mea, vel istæ chartæ sufficerent ad observantiam, obsequium, devotissimumque animum meum Vobis testatum faciendum! Certe hunc consecrata Nomini Vestro præsenti dissertatione Vobis demonstrare sincere & absque omni fuco unice volui. Quod si pro vestra in studiosos benevolentia consulentes in optimam partem acceperitis, meque inter clientes vestros receptum patrocinio vestro imposterum quoque dignum habueritis, sat me laudis gloriæque consecutum arbitrabor.

Magnifici Summe Rev. & Amplissimorum Nominum Vestrorum

Hamburgi 4. Non. Martii Ann. Christian. 1700.

Cliens humillimus

STATIUS HENRICUS

Kreutzenberg, Hamb.

PRÆFATIO.

Fuit & olim & hodie eſt genus quoddam hominum difficile ac mirificum, qui neſcio qua turgidæ & inanis ſapientiæ perſuaſione laudes omnes floccii pendendas, & univerſum gloriæ laudiſque ſtudium illaudatum eſſe docuerunt. Hos vir apprime doctus & acutus Plutarchus in limine tractatus adverſus dictum Epicuri *qui bene latuit bene vixit*, non abſurde confert cum Philoxeno paraſito, quem emungere in patinas ſolitum narrat, ut aliis ab edendo ita dererritis, ipſe ſcilicet ſolus propoſito cibo frueretur. Quicquid enim prætexant illi, qui ſupra omnem laudem poſiti ſibi videntur, ſane hunc contemtum laudum laude cumprimis dignum exiſtimant, & in hoc ipſo quo ambitionem omnem abominari eos putes, ſunt quam maxime ambitioſi. Cujus generis *τῦφον ὑπ' ἀτυφίᾳ τυφόμενον faſtum à faſtus contemtu inflatum* omnium graviſſimum eſſe, probe notavit Princeps Philoſophorum Imperator M. Antoninus XII. 6. Equidem incredibiliter malum ac perditum, vel inſane arrogantem aut ſtultum eſſe oportet eum, qui homo cum ſit ipſe, & opinione inſtar aliorum hominum ducatur, ſusque deque habet omnium aliorum hominum de ſe ſententias, & laudetur ab iis nec ne, negat ſe hilum inter dare. Cum enim homini à natura inſitum ſit hoc calcar honeſtatis & virtutis, nonne Deo ipſo ſapientiores eſſe ſe fingunt, qui omne laudum ſtudium improbant, vel qui nulla laude duci ſe moverive clamant ac profitentur? Sed profecto aliud ſentiunt ipſi, atque ceu remiges obverſis ad puppim oculis non deſinunt interim proram propellere, ita & hi laudes quas aſpernari & contemnere volunt videri, & verbis explodunt, re ipſa tamen ſummo ſtudio expetunt & conſectantur. Qua de re ſi quis ambigat, is obſervet ut ſe gerant hi gloriæ contemtores, cum ab aliis vel negligi ſe vel verbis vellicari ſentiunt, ut nullam prætermittant anſam com-

commendandi nominis ſui, quemadmodum jam olim Cicero in oratione pro Archia Poeta recte notavit, ipſos illos Philoſophos, etiam illis libellis quos de contemnenda gloria ſcribebant, nomen ſuum inſcripſiſſe, atque ita in eo ipſo in quo prædicationem nobilitatemque deſpiciebant, prædicari de ſe ac nominari voluiſſe. Neque vero Chriſtianæ religioni omne laudis ſtudium adverſatur, cum Sanctus Chriſti Apoſtolus Paulus non temere ad illud hortatus ſit Philippenſes his verbis: *εἴ τις ἀρετὴ, εἴ τις ἔπαινος, ταῦτα λογίζεσθε. Si qua virtus, ſi qua laus eſt, ea cogitate.* Philipp. IV. 8. Dari igitur laudes quasdam bonas & appetendas homini ſapienti, negari nequit, quemadmodum viciſſim ſunt quoque vanæ plurimæ, fugiendæ ac negligendæ: neque vanæ modo ſed & malignæ. De quo poſtremo genere laudum, frequenti ſane inter homines, ſed ab Ethicis quod ſciam paucis explicato, cum exercitatione præſenti breviter agere inſtituerim, putavi me quam optime in hoc argumento verſaturum, ſi quinque veluti capitibus totum illud abſolverem ac complecterer. Horum primo de laudibus earumque pretio ac generibus nonnulla præmittam: in ſecundo tradam deſcriptionem & exempla laudum malignarum: in tertio de origine, fine & affectu laudum ejus generis, paucis commentabor: quarto agam de laudum malignarum moralitate: & quinto denique quid agendum ſit ei qui laudibus tam iniquis oneratur exponam. Deus autem cujus Majeſtas ſola omnium hominum angelorumque laudes quam longiſſime excedit & ſuperat, calamum noſtrum ita moderetur, ut hac quamvis tenui ſcriptione lectorum animi ad genuinum veræ laudis ſtudium, laudesque ipſius tanto diligentius concelebrandas magis magisque accendantur & excitentur, propter Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui pro nobis factus eſt formæ turpis & illaudatæ, ac graviſſima convicia malignasque hoſtium laudes patienter pertulit, ut nos ipſius beneficio frueremur gloria, quæ in pretio eſt apud Deum.

CAPUT. I.

DE LAUDIBUS UNIVERSE, EARUMQUE GENERIBUS AC PRETIO.

Laudare vulgo dicuntur, qui rem, actionem aut personam verbis efferunt. Quod si ex animo semper fieret, laudes essent testimonium fide dignum verbisque expressum, id quod laudamus nobis placere & probari. Sed sæpe accidit ut laudent homines quo placeant ipsi aliis, non quod sibi placeant quæ laudant, vel quos evehunt laudibus. Ita ex eo quod laudari aliquid intelligimus, ne id quidem certo constat, rem ei ipsi qui laudavit laude dignam visam fuisse, nedum ut inde statim liceat colligere revera id esse laudandum, & dignum encomio. Præterea quot sunt qui laudant pæne coacti vel rogati, vel ut ipsi vicissim laudentur, quemadmodum mutuo se scabunt muli, vel quod hoc dent amori & consuetudini, vel quod ita ipsorum intersit, aut quod ejusdem conditionis, sententiæ, religionis sunt, laudatisque sodalibus ipsi se extollere & mactare laudibus videntur. Quibus universis laudum generibus nihil esse vanius, easque omnes nuce cassa esse inaniores, etsi pauci satis frequenter cogitant, nemo tamen est tam illaudatæ indolis, ut pet se non facile perspiciat, certe si velit, possit. Multæ laudes ita in formulas solennes ac politicas imo venales abierunt, ut nihil sit jam frequentius laudibus sive titulis ejusmodi re omni destitutis, nominibus nihil omnino significantibus, & notionibus secundis hominum vanissimorum. Equidem ita minore labore & studio hodie constat laus viri doctissimi, uti minima morum integritate sanctorum encomium pridem sibi Episcopi vindicarunt, imprimis Romani; ita homines nauci repente evadere videas nobilissimos, Medicorum filios expertissimos, Themidis alumnos consultissimos: Sed minus quoque omnibus illis laudibus apud Viros cordatos est ponderis, quæ indignos earundem jactatores possessoresque prostituunt potius quam ornant, adeo ut nemo temere qui eos ita laudat, velit hoc ipso chirographum dare suæ de illis opinionis ac sententiæ, neque testatum facere, tales à se haberi. Quemadmodum olim Martialis festive monuit Dominum quem vocaverat suum, ne hoc titulo superbiret aut plus sibi tribueret, cum eodem nomine etiam frequenter soleat appellare servos. Multi cum laudant nihil aliud sunt quam Echo quædam & vox picarum ac psittacorum, non ex judicio pronata sed ex imitatione. Hi ut ipsi quoque videantur sapere, laudant libenter

benter quod ab aliis laudari audiunt, vel peritioribus ac sapientioribus (non revera, sed ut ipsis videtur) vel pluribus, etsi, quam recte hoc ab illis fiat, neque sciant neque curent. Vicissim videas quibus ad laudis argumentum sufficit aliorum vituperatio, certi contemnere verbisque deprimere quod alii laudibus extulerint. Jam ut ad illas denique laudes deveniamus, quas qui proferunt, ipsi sunt illarum autores sive probatores, & ex quibus fas est colligere hoc quod ab eis prædicatur videri illis laude dignum, plerique cum destituuntur solidis rectisque principiis, secundum quæ sanum de rebus judicium ferre possint, ita fere laudant, prout suæ ipsis opiniones, affectus, præjudicia, mores ac consuetudines suadent ac suggerunt. Quæ enim cum ingenio nostro videmus congruere, ad ea efferenda proclives sumus, propter ingeneratum singulis hominibus amorem sui. E contrario mali, etsi virtutem & honestatem palam improbare verentur, raro laudant bonos propter morum dissimilitudinem: unde Aristoteles vix poterat majore elogio Platonem ornare, quam cum ait se aram dedicare memoriæ viri, ***quem ne laudare quidem improbis sit integrum.***

Ἀνδρὸς ὃν οὐδ' αἰνεῖν τοῖσι κακοῖσι θέμις.

Cæterum vere quidem pronunciavit Quintilianus, felices fore artes, si soli artifices judicarent, at sæpenumero imperitissimorum judicio standum est cadendumve, ubique occurrentibus Midis, qui laudant stulta & inepta, præstantissima quæque despiciunt, nulloque loco numerant & aversantur. Quemadmodum penes Apulejum *ridens Musæ, crimina sapienti expetenda, Apollini objectata*: & in carmine, hoc quod erat pulcerrimum ac nobilissimum reprehendi. Interdum arrogantia & pertinacia fit, ut idonei etiam futuri judices si rem accuratius pensitassent, temere laudes præcipitent decernantque præter meritum, deinde proditam semel sententiam tametsi falsam nolint revocare, sed rectum se judicium tulisse primum sibi ipsis tum etiam aliis persuadere conantur. Adeo multa sunt genera laudum vanarum falsarumque, quibus inhiandum qui putat, næ is in re levissima & maxime omnium inani operæ pretium facturum se frustra sperat. Nec minus fallitur qui aliquid tribuit ejusmodi encomiis profectis ab homine vel imperito, vel caligante præjudiciis aut affectibus. Talium enim voces sive per os sive per anum prolatas æque negligendas esse non absurde sentiebat vir sapiens Heraclitus. At genuinæ laudes solidæque illæ demum sunt, quæ omni procul adulatione, spe, metu, ultro, toto pectore à peritis & sinceris judicibus veluti tributum quoddam solvuntur rebus, personis, actionibus, quæ vere merentur laudari. Et quemadmo-

admodum laudes ejusmodi nihil aliud sunt quam testimonium gaudii quod homo sapiens & virtutis studiosus ex illarum observatione percepit, approbationisque qua esse dignas significat, & aliis eas it commendatum, ita patet profecto solidæ laudis gloriæque studium non magis posse improbari, quam studium virtutis ipsius, quin stimulum esse eximium ad res maximas & honestissimas suscipiendas. Neque enim inani vento encomiorum, verbisque laudantium pascitur animus honestus, sed delectatur gaudetque cum intelligit divino beneficio aliquid in se esse, quod honestati ipsi ac virtuti displicere non possit. Cumque homines à Deo conditi sint sociabiles, non mirum est optimum quemque velle probari bonis, unde proficiscitur laus, gloria, amor, veneratio. Ac virtutis ipsius interest rem ita se habere, multorum enim animi magis forte languerent torperentque affectionis hujus adminiculis ut necessario plerumque imperio dejecti ac destituti. Ex eo autem, quod multi falsas, plerique omnes vanas laudes & sæpenumero cum aliorum hominum injuria atque oppressione consectantur, jampridem contigit, ut laudis etiam solidæ veræ atque honestæ cupiditas, quæ nunquam esse nimia potest, vitiis temere atque inepte accenseretur. Quod cum rationi sit adversum, tum vicissim fatendum est æque sæpe difficile esse dijudicare: fidesne habenda sit laudantibus, cum tot imperiti, tot minus candidi passim inveniantur Encomiastæ: quam non falli, cum de aliis hominibus eorumque actionibus judicium ferimus. Unde Epictetus inter signa eorum qui in sapientiæ studio singulares progressus fecerunt, primo fere loco numerat *haud temere nec effuse laudare.* Non videtur tamen idem Epictetus, qui frequenter laudat Socratem, Diogenem, Heraclitum, alios, non videtur arrogantiam & invidam morositatem eorum probasse, qui jactatores suæ, nimium parci sunt alienæ virtutis laudarores. Cui adde quod elegans scriptor * Gallus nuper probe observavit *nullos esse avariores in tribuendis laudibus, quam eos qui vix mediocribus ipsi meritis ac virtutibus præstant.* Nec minus peccant alii qui laudando omnia, vel laudando immoderatius, iniquiores sunt hoc ipso gloriæ propriæ quam alienæ, quam ipsam nimia laudandi familiaritate vel enormitate obscurant potius quam augent. Sed iniquissimum genus laudum est quibus nocere laudato studet qui laudat, de quibus jam deinceps nobis dicendum.

* L'Abbe de Bellegarde reflex. sur la politesse des moeurs p. 71. sq.

CA-

CAPUT II.

LAUDUM MALIGNARUM DESCRIPTIO ET EXEMPLA.

Laudes malignas diximus autore Horatio, qui libri 2. Epiſtola prima *maligne laudare* appellat contemnere, verbisque deprimere, quia veteribus *laudare* idem erat ac nominare, ut ex Nonio aliisque docet Budæus annotationibus prioribus in pandectas; atque adeo maligne ſive anguſte nominare idem proprie ſonat quod ſine ulla laude nominatum transmittere, vituperationeque perſtringere. Verba Horatii hæc ſunt:

Ac ne forte putes me, quæ facere ipſe recuſem,
Cum recte tractent alii, laudare maligne.

Nobis autem hoc loco malignæ laudes non dicuntur apertæ reprehenſiones ac vituperationes, ſed encomia & laudes, quibus in animo laudantis eſt quædam adjuncta malitia & laudato nocendi damnumque vel ignominiam inferendi cupiditas. Hoc *laudare verbis ſubdolis* dicitur Phædro,* ubi inducit vulpem celebrantem corvi, avis haud pulcerrimæ, dotes & elegantiam, tantum ut caſeo, quem illa ore tenebat, potiretur.

O qui tuarum, corve, pennarum eſt nitor!
Quantum decoris corpore & vultu geris!
Si vocem haberes, nulla prior ales foret.

At ille ſtultus, dum vult vocem oſtendere,
Emiſit ore caſeum, quem celeriter
Doloſa vulpes avidis rapuit dentibus.
Tum demum ingemuit corvi deceptus ſtupor.

Quemadmodum vero nihil eſt fœcundius malitia, ita difficile fuerit omnia laudum malignarum genera hoc loco enumerare. Sic, ut pauca duntaxat quædam exempli loco in medium proferamus, maligne laudant qui commendant hominem ab iis quibus plane non eſt inſtructus, tantum ut præfectus muneri in quo hæ virtutes maxime deſiderantur ſe det turpiter, neque in his quibus poterat virum ſe præſtet, e contrario ipſe ſibi in impari munere ſit oneri, famæque & fortunarum vel vitæ ipſius faciat jacturam. Maligne laudant qui cum in nobis vident quæ maxime reprehendenda erant, & quæ ab-

* Lib. 1. Fab. 15.

sentes etiam carpunt ipsi, tamen non dubitant præsentibus nobis extollere, ut magis magisque prolabamur & in nostris vitiis nobis placeamus. Maligne laudant, qui cum alter munus quoddam ambit, ajunt eum ad omnia alia esse aptissimum, & maximos usus si meliori fortunæ servetur præstare posse, tantum ut præsenti, quod desiderat, excidat. Geminum his est cum exprobraturi vitium vel inscitiam, aliis potius virtutibus vel doctrinis quam hac de qua sermo est imbutum dicunt. Ut objecturi viro docto inhumanitatem vel malos mores, *hic vir doctior est*, inquiunt, *quam humanior*: improperaturi Hebraicæ linguæ imperitiam, *hic latine est*, ajunt, *quam Hebraice doctior*. Maligne laudant præterea, qui ut major fides vituperantibus habeatur præmittunt laudes, dicuntque nihil esse homine isto vel melius vel elegantius, modo isto crimine aut vitio, quod deinde narrant gravissimum, non labem turpissimam virtutibus suis adspergeret. Est etiam genus malignæ laudis haud minimum, cum præter meritum efferunt indignos, ut non modo ridendos propinent, sed & pecunia emungant vel arcana eorum explorent & in amicitiam eorum se insinuent, dum adeo illi delectantur suis laudibus, ut per eas facile quidvis à se impetrari patiantur, & facile fidem habeant iis à quibus vanitati suæ litari sentiunt. Cujusmodi homines miseros antiqui contulerunt asioni aviculæ, quæ Græcis appellatur ὦτος, & à Svida aliisque dicitur, dum laudibus evehi se audit, præ gaudio saltare, atque ita nycticoracis instar capi ac prehendi. Non minus malignitatis habent laudes quæ proferuntur præsentibus iis quos scimus laudato inimicos, atque hinc ansam prolixe & effuse in illum invehendi capturos laudesque illas facile & vehementer confutaturos esse. Malignæ etiam laudes sunt dum nimis efferendo virtutes quibus alter maxime caret, & maxime debebat esse instructus, neglectum ei officium exprobramus ruboremque incutimus, quo sensu Symmachus apud Sidonium lib. VIII. Epist. 10. *Ut vera laus ornat, ita falsa castigat*, & alius quidam veterum apud Cæsarium Arelatensem homil. 25. *Si vera sunt laudes, præconia sunt, si falsa, convicia.* Similiter non carent malignitate laudes nimiæ, hyperbolicæ & absurdæ quibus alteri veris etiam Virtutibus prædito invidiam creare nitimur, quam in sententiam Plinius lib. 1. Epist. 14. *hoc ipsum amantis esse, non onerare laudibus*, ex vero pronunciavit. Malignis præterea laudibus merito accensendum est, si hominem prædices à re vel minima vel aliena, vel prorsus indecente, ut tacite innuas, eum in his potius quam præcipuo suo studio excellere, veraque virtute esse conspicuum. Eodem modo laudasse nuper dicendus est Ephemeridum Gallicarum autor librum Theologici & polemici argumenti, quem commendabilem esse ait *par le choix des phrases, & par la cadence des periodes.*

Sub-

Subdola etiam laus eſt, cum conferimus aliquem cum Viro illuſtriſſimi quidem nominis ſed cujus vitium quoddam notiſſimum vel res ridicula ſimul lectoris cogitationi obrepens tacite idem vitium laudato homini exprobrat, vel riſui ipſum exponit. Omitto jam laudes ironicas & ad exagitandum potius quam laudandum ipſis ſtatim verbis vel habitu dicentis compoſitas, quale eſt illud apud Catullum: *Dii magni, ſalaputium diſertum.* Denique amphibolicas, ut cum Eraſmus virum minus doctum appellavit *virum abſolutæ eruditionis*, aut cum Bochartus translationem Bibliorum Junianam vocavit *la verſion des Sçavans*, quod audientes putabunt dici *la verſion*, cum ex ejus ſententia eſſet *l' averſion*, ſive averſio atque tædium eruditorum. Atque ut ex antiquis etiam exempli loco nonnihil proferam, apud Ciceronem ſecundo de Oratore ſervus peſſimæ fidei qui omnes ciſtas foresque perfregerat, laudatur *quod ſoli illi in ædibus ſuis nihil relinqueretur obſeratum*. Solent itidem quandoque dignos laude viros veris ſed malignis mactare laudibus, qui fidem ſibi ac benevolentiam conciliare deſiderant, etſi hoc minime faciunt ex animo, ſed ut verbis deinde conſtringant vel peſſundent eos quos encomiis ſubdolis ornarunt, uti Chriſtum prædicabant diſcipuli Phariſæorum. Matth. XXII. Sed parum plerumque proficit apud viros ſapientes ejusmodi malignitas, quos neque convicia neque laudes a rectiſſimo honeſtatis curſu revocare poſſunt. Similiter poſtremum genus laudum malignarum, quibus res omnium bonorum conſenſu laudatiſſimæ jejune duntaxat ac frigide laudantur, iniquo laudatori potius nocet, ejusque vel imprudentiam vel invidiam prodit, quam detrahit quicquam dignitati hominis, actionis, rei, quæ tot tantisque judiciis laudes maximas atque ampliſſimas merebat.

CAPUT III.

DE ORIGINE FINE ET EFFECTU LAUDUM MALIGNARUM.

Quemadmodum, ut ex animo aliquid laudemus, proficiſcitur ex amore & gaudio, quod ex rei laudatæ conſideratione vel uſu percepimus, ita laudes malignæ oriuntur ex odio, invidia, metu, ſuperbia. Ex odio eſt illud nocendi ſtudium, quod laudibus malignis adhærere obſervavimus. Quo minus autem aperte plerique eos quos oderunt vituperent, & laudando potius quam reprehendendo obſint aliis, à metu fere impelluntur. Verentur enim ut parum feliciter illis ſuccedat aperta inimicitiæ profeſſio, ut fides eorum dictis

 habea-

habeatur: nolunt etiam manifesto offendere eosipsos vel eorum amicos quos clam perdere libenter velint. Ita jam olim constat fabulas repertas ab ingeniosa nequitia servorum, qui cum Dominos disertis verbis increpare non auderent, inductis mutis animantibus, affictoque illis sermone vitia Dominorum non dubitarunt perstringere. Metuunt etiam nonnulli ne plane stulti & iniquissimi habeantur, si vel minus laudent, vel reprehendant ea quæ universorum testimonio merentur laudem. Invidia vero qua aliorum virtutes iniquis plerique oculis respiciunt, & superbia qua omnibus aliis se præferre gestiunt, impedit eos, quo minus merita quæ vident dignis ac sinceris laudibus prosequantur. Cæterum metus addit malitiæ ingenium, etsi malitia interdum pudorem aufert timori, sine quo esset, nemo mallet maligne laudare, quam aperta ignominia inimicum afficere famamque ipsius perspicuis criminationibus absque ulla tergiversatione proscindere.

Laudes quæ, ut frequenter fit, nocent laudato, sed quibus is qui laudibus alterum extulit gloriam ejus promovere serio studebat, infelices potius sunt & imprudenter effusæ quam malignæ. At in his semper accidit ut in animo laudantis sit radix quædam amaræ malignitatis, ut laudato vel majores laudes vel quodcunque majus bonum eripere studeat, aut vicissim illum majori ignominiæ, majoribusve velit exponere damnis ac periculis. Ita plane abludit hoc genus à natura laudum verarum ac genuinarum, quæ est in majore luce æstimatione ac fortuna collocare eos quos evehunt. Sed cum bonum sit laudari à laudato, bono & sapiente viro, à vano stulto imperito vanum, num mirabimur à maligno homine & hoste pessimum esse laudari? Neque tamen semper finem suum obtinet tam inique laudantium malignitas, sed frequentissime recidit in suos autores, præcipue si adsint judices æqui, periti, cauti nec subito creduli, sed cogitantes non minorem esse aurium calumniam, temere credentium malignis laudatoribus, quam malitiam eorum, qui prædicando deprimere & commendando exosos reddere, spe denique & amore bonorum privare innocuos conantur. Interdum qui ita maligne laudat, non revera odit hominem sed vitium vel defectum, honestisque verbis perstringit quod emendari desiderat, quo pacto nocere quidem videtur certo modo, dum vituperat tacite laudemque eripit, revera tamen prodesse potius est dicendus.

CA-

CAPUT IV.

DE LAUDUM MALIGNARUM MORALITATE.

Quo rectius possit intelligi, utrum & quatenus improbandæ sint laudes malignæ, paucis consideranda est laudum aliarum vituperationumque universe consideratarum moralitas. Sane quin citra vitium digne laudare rem, actionem, hominem possimus, nec laudare modo, sed vituperare etiam ac reprehendere, negari nequit. Oportet autem quemadmodum in quovis sermone ita etiam in laudando ac vituperando haberi rationem tum ejus quod maxime conducat, tum veritatis: Sed quia si usquam heic certe valet illud tritum, *veritatem odium parere*, nemo obligatur ut cum Philoxeno adeat potius latomias vel carcerem, quam dissimulet Tyranni carmina sibi non probari. Igitur nisi in re magni momenti, & ubi honestas ipsa aut pietas laude vel vituperatione falsa & contra animi sententiam edita læditur, nolim in rebus minoris momenti adeo tetricus esse exactor accuratæ & omnibus numeris absolutæ veritatis in laudando observandæ, cum encomia non jurato ferantur, & solennis sit usus liberalium elogiorum, fierique possit ut laude etsi majore quam promeruerat alter excitetur ad majores virtutes. Vituperare nolim quicquam quod vere vituperatione dignum non putem, ut vero in omnes qui mihi improbantur singulaque quæ mihi displicent disertis verbis invehar, adeo non est necesse, ut etiam putem esse stultum atque ineptum. Cum vero vituperare res dignas vituperatione concessum sit ac sæpe necessarium, videntur etiam laudes quædam malignæ, quæ honestum quoddam & tectum vituperationis genus sunt, licitæ esse nec improbandæ. De iis loquor quibus vel obscure carpo, præ modestia, quod aperte facere poteram, vel tacite admoneo officii, quod disertis verbis facere verebar. Hanc in sententiam Erasmus libello adversus Huttenum negat assentari semper, qui laudant principes etiam eo modo, quem nos malignum appellavimus. *Nam bonis*, inquit, *debetur laus, laudare mediocres aut bonæ spei, est adhortari ad profectum virtutis. Laudare malos, est eos citra offensam admonuisse sui officii, quemadmodum satis olim explicuimus in Epistola ad Johannem Paludanum.* Sed malignæ laudes qui quæso bono vel licitæ esse poterunt? Imo poterunt facile, si malignitas illa non tendat ulterius quam vergeret simplex ac justa vituperatio, neque vere laudanda inique dissimulentur, neque animus nocendi sit magis quam in quovis vituperante, qui quodammodo nocere velle videtur ac nocet sane, dum non laudat, verum reprehendit ac laudem eripit. Sed vicissim loco illius qualiscunque detrimenti majus commodum afferre dicendus est, dum in viam recti revocat mordaci vero radens aures. Quidni idem di-

camus de eo qui laudibus ipsis idem facere conatur, facitque longe suavius & humanius. De reliquis vero universis laudibus malignis, sola malitiæ, studiique nocendi ex odio non in vitia tantum sed & in homines ipsos profecti, mentio, quid sentiendum sit, dubitare nos non sinit. Nempe tanto sunt nequiores sceleratioresque, quantum nocent subtilius, & tanto majorem laudantis suamque malitiam arguunt, quanto facilius imponunt vitiis etiam honestis sed simplicioribus.

CAPUT V.

ECQUID FACIENDUM SIT EI, QUI MALIGNIS LAUDIBUS ONERATUR.

Cum malignis laudibus res prope se habet uti cum poculis pharmaco infectis: sed quemadmodum non semper integrum est, latens toxicum agnoscere, ita etiam difficile est semper perspicere delitescentem in laudibus malignitatem. Quam simulac sentis jam minus tibi nocere poterunt, quin viam pandunt ad animum laudantis perspiciendum, tibi vero præbent ansam ad emendandos qui tacite tibi exprobrantur defectus. Sic etiam veneni non mediocris est usus apud Medicorum filios, & de utilitate quam ex adversis homo capere potest, hæc pars est non infima, ut illorum criminationibus & laudibus malignis cautius discamus mercari. Ut vero mutuum referamus & recriminemur, indignum est homine sapiente, neque ex hoc quod alter mille à nobis oneratur maledictis, nostra causa vel hilum fit melior, at mirifice translucet atque apparet animi nostri impotentia. Non tamen vitio nobis verti poterit, si purgare nos data occasione apud eos ad quos tam iniquis laudibus delati sumus modeste conemur, & re ipsa testatum faciamus aliud longe nos promeritos fuisse, neque esse ejusmodi, quales ab illis pseudo Encomiastis sive prædicamur sive traducimur. Quæ absentibus nobis & inscіis in nos effunduntur laudes malignæ, nullo alio modo meliore excipi repellique possunt, quam assiduo studio & constanti virtutis & honestatis. Quæcunque porro ex illis malignis encomiis forte ad nos possint redundare incommoda, æquo animo ferantur, ut alia adversa quibus exercemur in hac vita. Eorum autem qui laudes ejusmodi temere admittunt & à laudatoribus malignis falluntur, ut sinistre sentire incipiant de iis qui vera laude digni erant, plerumque non mediocris est sive præcipitatio, sive suspicacior justo credulitas, sed à quibus vitiis satis diligenter cavere sibi nescio an sit hominis, certe cujusvis non esse scio. Quid igitur facias, ut neque respectu tui neque aliorum malignæ te laudes decipiant? Imprimis opus est ut te ipsum probe noveris, & ingenii humani

humani notitiam, quantum fieri potest tibi compares, ita enim nec meritis tuis nimium audebis tribuere, & aliorum dolos facilius perspicies, injuriasque tibi illatas patientius feres. Tum procul oportet esse à vanitate, cum nihil sit facilius quam homini vano laudibus ipsius etiam absurdis & malignis imponere. Cum enim libentissime se audiat celebrati laudibusque efferri in cœlum, non temere olfacit se rideri vel admoneri officii, sed quemadmodum in Comœdia vernacula thrasonum putidissimus singulis etsi merita ipsius longe supergredientibus encomiis tacitus secum repetit hæc ita se habere, & nihil illis esse verius. Denique licet interdum veritas etiam invitis hostibus laudes veras & sinceras exprimit, tamen ratio suadet universa encomia ab inimicis profecta pro suspectis ducere, quemadmodum Laocoon apud Virgilium recte metuebat Danaos, etiam dona ferentes

- - - nulla putatis
Dona carere dolis Danaûm? - - -

Atque uti secundum vetus dictum, ἄδωρα δῶρα inimicorum, ita etiam malignæ plerumque laudes. Concludamus hanc diattibam monito Musladini Sadi, cap. 8. Rosar. Pers. p. 477. *Hostis dolum ne admittas, magnique laudatoris superbam tui prædicationem pretio ne compares. Ille enim fraudis laqueum tetendit, hic vero avaritiæ palatum aperuit. Stolido laudes audire suas pergratum est, atque perinde ut cadaver calce inflatum pinguedinem mentitur, laudum illecebris intumescere solet. Caveas, blateronis laudes audias, qui vile laudum suarum præmium à te sperat. Ni aliquando animum illius expleveris, ducenta, ut primum laudes, de te vitia narrat.*

Θεῷ μόνῳ δόξα.

Theses quædam Miscellaneæ de laudibus.

1. Dei sanctimonia laudes summas Angelorum hominumque meretur, etsi Deus non potest non esse sanctissimus.
2. Maligne laudant Deum, qui ita prædicant unum ejus attributum, ut hoc ipso impugnetur atque evertatur aliud.
3. Maligne laudant Deum qui solis labiis neque ex animo hoc faciunt.
4. Maligne laudant Angelos sanctosque qui eos invocant, divinisque mactant honoribus, quos illi à se alienos esse volunt.

5. Non

5. Non ſemper ſordet laus propria, ut oſtenſum Plutarcho in libro *qui ratione vir ſapiens ſe ipſum citra inviaiam laudare poſſit.*

6. Non ſemper fides habenda hoſtium laudibus, uti nec amicorum vituperationi, etſi utriſque plurimum ponderis vulgo tribuitur, nec abſurde.

7. Male reprehenditur Livius à viro docto, quod tam frigide laudaverit ſcriptorem præſtantiſſimum Polybium, vocando *autorem haud quaquam ſpernendum.*

8. Sententia quam probat Menagius in Menagianis p. 403. *licet ipſa ſit vitium ambitio, multarum tamen cauſa virtutum eſt*, ſi accuratius expendatur, comperietur falſa eſſe. Rectius dicemus, geminum ac prudens ſolidæ laudis ſtudium, quo ad veras virtutes excitamur, non eſſe vitium, vitium autem eſſe ambitionem h. e. immoderatum, & imprudens ſtudium laudum falſarum vanarumque, atque hoc vitiorum potius plurimorum peſſimarumque actionum quam multarum virtutum eſſe originem.

9. Dictum Martialis:

Non luget, quisquis laudari, Gellia, quærit,
Ille dolet vere, qui ſine teſte dolet.

Verum eſt etiam de virtute. Sed vere laudis ſtudioſus non tam quærit laudari, quam aliquid laude dignum committere, quæ ſi deinde ſponte ſequatur, gaudet, neque hoc gaudio dum moderatum eſt peccat.

10. Vanum eſt turgeſcere & inflari laudibus veris ac promeritis, vanius falſis atque inanibus, vaniſſimum omnes laudes prorſus aſpernari, cum nec Deus ab hominibus laudari dedignetur.

❧) o (❧

Q. D.

Q. D. B. V.

DISSERTATIO MORALIS
DE
OBSERVANTIA SACRA,

SIVE DE GENUINO STUDIO OPERA DIVINA CONTEMPLANDI, CELEBRANDIQUE,

QUAM

SUB PRÆSIDIO

JOH. ALBERTI FABRICII,

S. S. THEOL. D. ET PHILOSOPHIÆ PRACTICÆ ATQUE ELOQUENTIÆ PROFESSORIS PUBLICI,

IN ACROATERIO GYMNASII HAMBURGENSIS DIE 29. JUNII ANNO CHRISTIANO 1700. PUBLICE TUEBITUR

DIETERICUS HERMANNUS KEMMERICH,

PALÆO-MARCHICUS.

HORIS A DECIMA ANTEMERIDIANIS.

Excudit CONRAD. NEUMANNUS, Senatus, Gymnasii & Scholæ Typographus.

PER-ILLUSTRI, REVERENDISSIMO, ATQUE EXCELLENTISSIMO

DOMINO

DOMINO OTTONI

LIBERO BARONI

DE SCHWERIN,

ELECTORATUS BRANDENBURGICI CAMERARIO HÆREDITARIO, CONSILIARIO INTIMO, ADMINISTRATORI IN CROSSEN ET ZYLLICHAU, TEMPLI CATHEDRALIS BRANDENBURGENSIS PRÆPOSITO &c.

DYNASTÆ IN ALTEN-LANDSBERG, OLDENREICHSHAGEN, DREVITZ, ZACHARA, WILDENHOFFEN, &c.

NEC NON

ILLUSTRI, GENEROSISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO

DOMINO

DOMINO JOHANNI FRIDERICO

DE RHETZ,

SERENISSIMO ELECTORI BRANDENBURGICO A CONSILIIS INTIMIS &c.

DOMINIS PATRONIS AC MÆCENATIBUS SUMMA ANIMI SUBMISSIONE OMNIQUE PIETATIS CULTU ÆTATEM DEVENERANDIS, IN QUIBUS DIVINARUM VIRTUTUM JAMDUDUM OBSERVAVIT RADIOS, HANC SUAM DE OBSERVANTIA SACRA MEDITATIONEM SACRAM ESSE CUPIT

ILLUSTRIUM HORUM NOMINUM CULTOR HUMILLIMUS ET OBSERVANTISSIMUS

DIETERICUS HERMANNUS KEMMERICH.

Ad Lectorem
PRÆFATIO PRÆSIDIS.

Nihil adeo esse dignum homine, quam opera DEI assidue contemplari & ex eorum admiratione ferri in serium amorem laudesque conditoris, res est tam perspicua atque evidens, ut longe magis mirum sit reperiri vel unum qui hoc re ipsa observare negligat, quam fuisse omni ætate & loco inter omnes gentes religionesque innumeros, qui hoc agnoverunt ac professi sunt, verbisque sunt libenter testati. Nec absurda imagine scriptor Arabs quantivis pretii, qui a Pocokio sub Philosophi αὐτοδιδάκτου titulo pridem editus & nuper in Anglia recusus est, vidisse se affirmat, **Essentiæ hujus mundi esse septuagies millenas facies, & unicuique faciei septuagies millena ora, & unicuique ori septuagies millenas linguas, quibus laudabat essentiam unius illius veri entis, illamque sanctificabat ac celebrabat indesinenter.** *Quid enim est elaboratissimum hoc artificium, exquisitissima structura, venustissimus ornatus, sapientissimus ordo, magnitudo ac varietas incredibilis & utilissima amœnissimaque hujus universi, quid est quæso aliud, quam clarissima quædam nec unquam interrupta vox perpetuo & uberrime effusa in laudes DEI? Has non Angeli modo sine intermissione concinunt, sed & assidue enarrant cœli, pulcherrime illustrant sidera, noctes noctibus, dies diebus referunt, muta animantes clamant, arbores quot gaudent foliis, tot veluti linguis amplificare gestiunt, elementa extollunt, maria confitentur, lapides loquuntur. Quam turpe fuerit solum hominem indigno silentio laudes Numinis involvere, & cui præ cæteris rationis pariter ac loquelæ usus ad hoc ipsum divino est beneficio concessus, hunc deesse officio suo solum, atque in tam suavi tam digna laudum divinarum harmonia, quamvis longe infra conditoris dignitatem majestatemque subsidente, solum turpiter conticescere. Equidem vel si taceant homines, sat aperte tamen laudes divinas potentiæque ejus bonitatis ac sapientiæ magnitudinem eloquitur admiranda structura corporis quo præditi sumus, illa elegantissima compages carnis ossiumque ac nervorum, venarum & musculorum plena artis ac sapientiæ, ille spirituum & sanguinis interior ac temperatissimus motus, illa vis mentis denique & divinum robur animi quod est in hominibus. At enim nonne omnino decet nos mentem, os, linguam nostram, quibus percipere, quibus contemplari, quibus celebrare denique DEI μεγαλεῖα possumus, tanto libentius huic præstantissimo officio impendere, quanto majus laudum divinarum argumentum reperimus in nobis ipsis? Certe hæc perpendens Galenus libro tertio*

præstantissimi operis quo usus partium corporis humani non minus pie quam diligenter considerat, istud demum affirmat esse verum genus pietatis (τῃ ὄντως εὐσεβείᾳ) ***non si bene multas taurorum hecatombas numini offeramus, vel mille sacrificiis aut magna vi suffimentorum ipsum colamus***, ἀλλ' εἰ γνοίην μὲν αὐτὸς πρῶτος, ἔπειτα δὲ καὶ τοῖς ἄλλοις ἐξηγησαίμην, οἷος μέν ἐστι τὴν σοφίαν, οἷος δὲ τὴν δύναμιν, ὁποῖος δὲ τὴν χρηστότητα, ***Sed si ex operibus ejus discamus ipsi prius, mox & aliis tradamus, quanta sit sapientia, qua potentia, quanta bonitate denique.*** *Hunc esse ait Galenus vere* ἱερὸν λόγον *sive* ὕμνον ἀληθινὸν, *quem isto se opere componere gaudet & exultat gaudio sanctissimo homineque dignissimo.*

Non dubito igitur argumentum præsentis dissertationis, quod est Observantia sacra, *sive* genuinum studium opera Divina contemplandi ac celebrandi, *omnibus cordatis lectoribus facile placiturum. Quamobrem cum præstantissimus ac humanissimus Juvenis* Dietericus Hermannus Kemmerich *Gymnasii nostri civis hactenus solertissimus, diatribam hanc a se elaboratam mihi nuper exhibuisset, non potui ejus pietatem non vehementer probare, quod merito ea de re sollicite agendum sibi existimavit, quæ in omnium hominum vita, jure meritoque debet utramque paginam facere. Nec rationis modo lumen, sed sacras quoque literas in partes vocandas sibi ratus est, utpote Christianus ita Christianis tanto efficacius virtutem maximam ac clarissimam commendaturus. Ceteroqui in tractatione ipsa adhibuit methodum a Medicorum filiis petitam, quam decessor meus Clarissimus **Vincentius Placcius*** ὢν ἐν ἁγίοις *post **Scipionem Claramontium** Casenatem variis scriptis illustravit, quamque res ipsa docet argumentis moralibus exhauriendis esse percommodam. Quemadmodum autem Optimus Kemmerichus hac dissertatione recte utique ad ductum Patroni illius ac præceptoris quondam sui de observantia sacra commentari instituit, ita videbis eum in hac virtute deducenda ita esse versatum, ut nec diligentiam nec ingenium in eo desiderare merito queas, & quæ disertius, copiosius, rectius dici fortasse poterant, facile excuset ætas ac scribentis conditio. Nihil itaque superesse videtur, quam ut jam ipse mecum de tam insigni specimine gratuleris, juvenemque probis moribus ac literis non mediocriter ornatum tibi habeas quam commendatissimum. DEUS autem cujus gloria pleni sunt cœli & terra, ita tuam, ita nostram mentem illuminet, ut quovis tempore observandæ ejus celebrandæque bonitatis, potentiæ ac sapientiæ non magis desit nobis seria voluntas assiduumque studium, quam summa causa atque occasio!*

I. N.

J. N. J. C.

PROOEMIUM.

Pluribus tecum agere, B. L. occasionemque ac institutum Dissertationis, quam vides, prolixius exponere animus erat. Verum quoniam plurimas occupare paginas tractatio ipsa videtur, hoc saltem monendum fuerit, quod ab initio quidem ex solis naturæ principiis eam deducere institueram, mox vero non levibus causis adductus merito mutavi consilium. *Quodsi enim ne de Pythagoreis* quidem *remoto lumine loquendum* erat, multo minus de DEO, remoto verbi Divini lumine, disserendum esse mihi censui. Inprimis enim me movit *Illustris* SECKENDORFII pium non minus, ac sapiens de emendanda Philosophia Morali, Jurisque Naturalis disciplina consilium, (a) in hanc sententiam expressum: Möchte also wol das sicherste und beste seyn, daß solche (Moralium Doctores nempe) zuförderst den grossen Schatz, den wir an GOttes Wort haben, betrachteten und liebeten, und, was immer müglich **aus dessen Gründen in die Rechts- und Sitten-Lehre einflösseten.** Womit sie denn ihre ingenia gnug exerciren könten, und also wären die Heydnischen Reguln (man nenne sie nun wie man wolle) nach dem Göttlichen Recht **alsofort** zu richten, und zu bessern: Es möchtens Heyden und falsche Christen annehmen oder nicht. Et jampridem Philosopho Ethnico *Jamblicho* recte visum est: *Ea solum agenda esse, quibus delectatur Deus. Hac autem non facile posse intelligi, nisi quis aut Deum audiverit, aut arte divina compararet sibi.* Quod ad ordinem attinet, ex quo B. PLACCIUS (*Patronus, cujus mihi grata memoria nunquam intermoritur*) mutuatam à Medicorum filiis tractandi rationem ad sua, quæ animorum curam gerunt, feliciter transtulit philosophemata; nec ego hic, concinniorem servavero ordinem, quam si totam rem in quinque dispertiam capita. Primum *Virtutis* ipsius naturam exponendo, atque ex Physiologicis latius deducendo; Quæ adeo *Physiologia Observ. sacra* vocabitur: Deinde virtutem in optimo

(a) In Addend. ad librum cui titulus: **Der Christen Staat.**

suo

ſuo ſtatu conſiderando; quæ *Hygieine*: Poſtrò oppoſitam malitiam, vitia conſtituentem breviter percenſendo; quæ *Noſologia*: tum ſigna virtutis pariter ac vitii colligendo; Quæ *Semeiotica*: poſtremo media, tum ad *vitii extirpationem*, tum ad *virtutis acquiſitionem* facientia, commendando; quæ *Therapeutica*. Ita enim hæc tractatio ad exemplum laudatiſſimæ Diſſertationis de *Gratitudine* a Dno. Dre *Waltbero* Patrono honoratiſſimo, ſub Præſidio *B. Placcii* olim exhibitæ conformabitur. Faxit DEus, ut etiam tenuis hæc opella ad amplificandam Nominis ipſius gloriam, cui has ſtudiorum meorum primitias unice deſtino, aliquid conferat, cedatque feliciter.

I. N. J. C.

CAPUT I.

PHYSIOLOGIA OBSERVANTIÆ SACRÆ.

§. I.

OBSERVANTIA SACRA eſt Pietas, opera DEI ſtudioſa mentis attentione conſiderata examinans, ſeduloque apud animum pervolvens, & obſervatas in illis divinas perfectiones virtutesque, ea, qua par eſt, veneratione atque laude excipiens, amicitiæ cum DEO, quantum in nobis eſt, conſervandæ atque augendæ gratia. Ut exemplum ſtatim addam, en! Tibi expreſſum illud in his ſanctiſſimi *Vatis* verbis: *Meditor de unoquoque opere tuo: De actionibus tuis confabulor*, dicens: (*a*) *O DEus, in ſanctitate via tua* eſt: *Quis* DEus *fortis magnus* eſt, *ut DEus?* *Obſervantiam* cum B. Placcio (*b*) appellito: quod vocabulum eſt ſignificantiſſimum. Quamvis enim *venerationem* latinis plerumque deſignet: fieri tamen non poteſt, quin ipſam etiam *conſiderationis* atque *obſervationis* notionem animo ſimul ſiſtat, cum ejusmodi radici natales ſuas debeat. Interdum & *Adoratio*, Græce προσκύνησις, hæc pietas vocatur, quod nomen illi, maxime venerationis reſpectu, apprime convenit. Siquidem *B. Chemnitius* obſervat, *Adorationem* nihil aliud eſſe, quam *confeſſionem eorum attributorum, quæ de DEO in definitione, vel deſcriptione enunciantur*. Quamvis vox ſæpius pro *Reverentia externa*, inferius exponenda, tantum accipiatur. Cæterum in genere hoc monetur de

(*a*) Pſalm. LXXVII. 13. 14.
(*b*) V. Acceſſ. Eth. Hyg. Cap. 1. §. IV. d. 1.

C 11 omni-

omnibus per totam hanc exercitationem nomenclaturis, quamdiu res ipsa non tollitur, de vocabulis nullam fore controversiam. Si autem quis commodiora noverit substituere, hoc erit gratissimum, quod idem *B. Placeius* de suis, quas partibus Prudentiæ imponit, nomenclaturis non imprudenter monet in Annotatt. MSS. Distinguenda est autem hic statim ipsa *Actio* ab *Habitu*, vel saltim valde proquinqua illi *Dispositione*, crebris actionibus acquisita. Utrique enim & *actio* pia reputanda; modo omnibus ad bonitatem ejus requisitis partibus instructa sit (unde & *bonum Opus* Theologis audit) licet non semper ab habitu proficiscatur.

§. II.

Ex definitione facile apparet, duas esse hujus virtutis partes, *Observantiam* stricte sic dictam, & *Celebrationem.* I. *Observantia* stricte sic dicta, nihil est aliud quam *attenta operum divinorum consideratio atque scrutinium, prudenter institutum, ad indagandas Optimi atque Max. opificis laudes directum.* Quod pulchre exprimit *Rex* (*a*) Dei observantissimus hac locutione חסדך לנגד עיני *Benignitas tua est in conspectu meo, coram oculis meis.* Quomodo enim conspicitur benignita DEI? nisi in operibus ac beneficiis ejus. Alibi (*b*) illud vocat בון אל פעלת יהוה ואל מעשה ידיו *animadvertere ad opera Jehovæ & ad factum manuum ejus.* Huc pertinet nomen, quod apud *B. Dannhauerum* (*b*) huic Pietatis parti impositum reperias, nempe: *Doxologia Anagnostica, f. Lectoria in libro tum Naturæ, tum Scripturæ, in eo opera creationis, fata Providentiæ, beneficia Divina* (quibus etiam Gratiæ opera comprehenduntur) *opera extraordinaria non intuens solum, sed penetrans, recludens, scrutans, admirans, prædicans, inque omnibus Deum quærens.* (*c*) II. Altera pars essentialis *Celebratio* sive *Laudatio* DEI, est Pietas, qua cognitas ex operibus virtutes divinas dignis in cœlum laudibus evehere allaboramus. Pro duplici autem operum Divinorum ratione, dum vel absolute spectantur, vel respectu ad nos facto, ut beneficia, uti inferius ostendetur, duplex etiam oritur *Celebratio DEI*; altera, quæ *Glorificatio* poterit dici, altera, quæ *Gratitudo sacra.* Observat illud etiam *Witsius* (*d*) cujus hæc elegantissima verba sunt: *Oritur iste amor* (in quo celebratio interna consistit) *partim ex consideratione amabilissimarum DEI virtutum, ad quarum*

(*a*) Pf. XXVI. 3.
(*b*) Pf. XXVIII. 5.
(*c*) Hodos. Phæn. VI. pag. m. (333) 506.
(*d*) Oec. Fœd. pag. 335.

fami-

familiarem contemplationem filii ejus admittuntur, Regem in pulchritudine sua videntes (*e*) *partim ex repercussis Divinæ erga eos charitatis radiis, quibus fieri non potest, quin inflammentur.* (*f*) *Charitatem hanc quoties attenta mente pensitant, angustiorem universam animæ suæ capedinem esse opinantur, quam ut debitæ redamationi sufficiant.* (I.) GLORIFICATIO igitur (voce Theologica, vel *Arnobii*) *Honorificentia*, & quidem, *sacra*, item *Honor DEI*, vel alio commodiori nomine appellanda, est *Pietas, summam DEI excellentiam ac Majestatem*, in opere elucentem, *admirabunda submissaque veneratione, & filiali quodam timore prosequens.* 1. *Glorificatio DEI interna* posita est in ipsa *veneratione*, ex Divinæ Magnificentiæ obtutu in pectoribus nata, cum affectibus cognatis conjuncta. 2. *Externa* vero *Reverentia B. Placcio* (*g*) dicta, tunc fit, quando latentem in præcordiis venerationem veracibus, deoque dignis, declaratum imus significationibus. *Species* ejus sunt (1.) *Oratio ἐπαινετική*, s. *Doxologia κατ' ἐξοχὴν* (quamvis *B. Dannhauerus* paulo latius illud vocabulum extendat) cum ore pio *τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ* celebramus, ac sermone extollimus. (2.) *Psalmodia*, s. *Doxologia Musica* eidemque *B. Danhauero* (*h*) definita, *sancta, charitate fervens, gravis, suavis, gratia & majestate decora laus DEI, voce humana, & instrumentali decantata.* (3.) *Reverentia gestuum*, exhibenda genu flexione, capitis apertione, manuum elevatione, totius corporis in terram prostratione, vel alia quacunque tum omnium membrorum, tum imprimis vultus ad sanctam quandam decentiam apta conformatione. Hoc est Deum adorare בהדרת קדש *in decoro sanctitatis* (*i*) (im heiligen Schmuck) ut monet Psaltes, qui & alio loco: (*k*) *Agite*, inquit, *prosternamur, incurvi procumbamus, genua submittamus ante conspectum Domini, Factoris nostri!* Et ad hanc specialissime etiam vocabulum *Adorationis* restringi possit. Adorare enim est manum ad os admovere, eamque osculari, quod usitatum erat gentibus in Deorum, & præcipue solis cultu. Osculantes enim manum eam adversus solem protendebant. Hinc & osculum signum fuit reverentiæ & submissionis Ps. II. 12. Eadem enim vis est τοῦ προσκυνεῖν, & τοῦ שחה. Illud προσκυνεῖν B. Olearius (*l*)

(*e*) Jes. XXXIII. 17.
(*f*) 1. Joh. IV. 19.
(*g*) Access. Eth. pag. 351. def. 10.
(*h*) Pag. 51 [336.] l. c.
(*i*) Ps. XXIX. 2.
(*k*) Ps. XCV. 6.
(*l*) In Manuali Theol.

ita

ita explicat: *Ad pedes advolvi instar canis, eosque osculari, Ps. II. quod signum est amoris & reverentiæ.* Estque *illa ad terram usque prostratio* (verba sunt *B. Danhaueri*) (*m*) *index prostrati ad thronum DEI animi, oblationis, holocausti, & osculi pedum.* (II.) GRATITUDO SACRA porro est pietas, cuncta, quibus fruimur, bona, tanquam è benefica Patris cœlestis manu in sinum nostrum effusa contuens, huic omnis boni largitori pie accepta ferens, ac pro illis pectus læto fiducialique amore incensum, humillime offerens. (1.) *Interna Gratitudo* est ipsa charitas proprie strictèque sic dicta, sive tenerrimus ille erga Deum affectus, in nobis ortus, ubi DEI nos beneficiis exhilarari sentimus, conjunctus cum vehementissimo eorum, quæ DEO placere existimemus, studio. Hinc eleganter ait *Anglicus scriptor:* (*n*) *Mans love to God is nothing, but a faint reflection of Gods love to man*, id est, *Amor hominis erga Deum nihil est aliud, quam sancta quædam cogitatio reflexa amoris DEI erga hominem.* (2.) *Gratitudo externa, Reverentia Eucharistica* forte dicenda, cujus *actus* est *Gratiarum actio*, consistit in enarratione atque professione, testimonioque agnitæ a nobis exuberantis Divinæ in nos Benignitatis, atque Gratiæ, sive sermonibus id fiat, sive canticis, læto devotoque gestu comitatis. (3.) Additur his, quam opere ipso præstamus, *Gratitudo, Realis* hinc, si placet, cognominanda, dum scil. beneficiis Divinis ad reliqua etiam officia nostra eo promtius subeunda, inprimis charitatem erga proximum, accendimur. Cumque proximo præstita beneficia Deus accipere promiserit, tanquam sibi ipsi reddita, hæc species cum *Remuneratoria*, in humanis locum inveniente, analogiam quandam habebit, licet valde inæqualem; Cum nihil remunerari DEO queamus, nisi quod ipse clementer ita interpretari velit.

§. III.

Discrimina quoque nonnulla hujus virtutis se offerunt, licet accidentalia fere, tamen non omittenda. 1. Est *Observantia sacra* vel *solitaria*, quam quisque remotis arbitris solus exercet: vel *sociata*, quando aliorum hymnis nostros jungimus, atque mutuo pietatis ardore alter alterum accendimus. Hoc est λαλεῖν ἑαυτοῖς ψαλμοῖς καὶ ὕμνοις καὶ ᾠδαῖς πνευματικαῖς (*a*) quod promittit *Psaltes* (*b*) *in congregationibus benedicturus Jehova.* 2. Alia

(*m*) l. c. pag. 501. (334.)
(*n*) Fra. QUARLES Enchirid. cent. 3. cap. XCV.
(*a*) Eph. V. 19.
(*b*) Ps. XXVI. 12.

iterum *Gratitudo* (1) propria fortasse dicenda; pro iis quæ nobis ipsis contingunt, beneficiis: (2.) *aliena*; quando vel nos pro aliorum salute ac incolumitate laudes gratesque DEO exsolvimus, vel alii pro nostra. Et sane quid sunt *Gratulationes* nostræ & *Encomiastici* sermones aliud, vel esse debent, nisi deprædicationes bonorum, quibus amicos vel Patronos à DEO cumulatos esse agnoscimus? Quod recte animadvertit (*c*) *Cl. Weisius*, primo subdubitans, an virtutes aliorum laudibus exornandæ sint, cum modestia laudari nolit, merita tamen reticenda non sint: tandem decidit quæstionem hoc pacto: *Conciliari posse utrumque, si non tam hominem, sed Deum laudemus, qui virtutes homini concessit.* 3. Alia etiam (1.) *Solennis*, v. gr. diebus Dominicis, & festis Eucharisticis, ac Mnemoneuticis beneficiorum Divinorum exercita. (2.) *Quotidiana*, cui vel matutino, vel meridiano, vel vespertino tempore, vel pransi, vel cœnati, vel inter ipsos etiam labores, vel post feliciter peractos, vacamus. 4. Alia porro *Celebratio* DEI (1.) *publica*, quæ peragitur in templo, ubi gloria DEI habitat. alia (2.) *privata*, intra privatos parietes suscepta. 5. Alia denique (1.) *Occasionalis*, ubi quasvis res oblatas in laudis divinæ materiam arripimus. Qualia reperias in Tr. *Roberti Boyle* Anglico, *Occasional reflexions* dicto. Alia (2.) *Ex instituto suscepta*, quando peculiare huic negotio dicamus otium. Porro ut partite magis virtutis natura innotescat, primum quidem ea, quæ in Definitione posita sunt, è *Physiologia Morali* (*d*) ulterius explicabuntur: Deinde præcepta axiomatica Legum instar obligantia subnectentur. Definitio constat ex Genere & Differentia specifica. Diff. specif. est: *Consideratio & celebratio operum Div.* Habemus ergo *operationes & objectum.* Cum autem Operationes sint qualitates, adeoque non possint extra substantiam subsistere, *Subjectum* quoque veniet considerandum. Genus est vel proximum vel remotum. Proximum est *Pietas*: Unde oritur *Objectum personale*. Nam eo, quod circa Deum versatur hæc virtus, à reliquis, quæ circa nosmet ipsos & alios homines occupantur, distinguitur. *Genus* remotum est *Virtus*. Spectanda igitur tum *Partes*, (quas hic integrantes vocavero) tum *Attributa*, in omni virtute reperienda.

§. IV.

Novimus equidem, & ab Angelis Deum summa observantia coli: Nobis tamen, jam non nisi de humana virtute sollicitis, *Subjectum* sive *Persona operans*, non alius erit, nisi *Homo*, ejusque facultates, sanctissimo huic ne-

(*c*) Gelehrt. Redn. p. 700.
(*d*) Accef. Eth. Part. I.

gotio

gotio quam maxime accommodatæ. Unde & *ἐπόπτην τῆς ὁρατῆς κτίσεως, μύστην τῆς νοουμένης* *Gregorius* eum *Nazianzenus*, nuncupat. Recte etiam *Lactantius*: (*a*) Deus, inquit, *sicut mundum propter hominem machinatus est: Ita ipsum propter se, tanquam Divini templi antistitem Spectatorem operum, rerumque cœlestium. Solus enim est, qui sentiens capaxque rationis intelligere possit Deum, & opera ejus admirari.* Quo ipso adeo cætera omnia, mentis expertia, excluduntur: Siquidem hæc non, nisi improprie Deum laudare ac venerari dicenda sunt. Equidem si obligationem respicias, omnes omnino homines huic sese officio consecrare tenentur. Hinc audias *Psalmistam* toties inculcare illud: *Laudate Jehovam omnes gentes, laudationibus commendate eum omnes nationes.* (*b*) Non ergo Theologi tantum, sed & Politici. Non litterati tantum, sed & illiterati. Non infimæ saltim sortis homines, sed & Nobiles, Principes, Reges. Quos ad hanc virtutem, tanquam generosos ejusmodi animos quam maxime decentem, nominatim etiam *Psaltes* invitat (*c*) hoc pacto: *Cedite Jehovæ filii fortium* בני אלים (Ihr Gewaltigen) *Cedite Jehovæ gloriam nominis ejus, incurvate vos honorem exhibendo Jehovæ in decore sanctitatis.* Attamen si aptitudinem spectes, dignum acceptumque DEO honorem exhibere non poterunt nisi & *voluntate* propensa, & *facultate* sufficienti ad id instructi, scilicet *voluntate* bona, quæ utique intellectus illuminationem præsupponet, gaudebunt soli *Amici DEI*, queis conversari cum DEO volupe est, id est, *Regeniti, amantes salutis Jehovæ, adeoque jugiter dicere cupientes: Magnificetur Jehova.* Et horum etiam nemo, aliquali saltem, *facultate* destitutus erit. Quamvis non diffitear, quanto quisque præstantioribus naturæ donis ornatus a DEO sit, tanto ipsum laudabilius etiam hoc officio functurum. Nimirum *pulchram sortitus animam, qua in corpus impollutum venit.* (*d*) Speciatim autem illæ facultates in hujus virtutis cultore desiderari non poterunt, quæ ad exercitium illius quam maxime requiruntur. Quæ scite ad duo revocavit capita *Epictetus*, (*e*) *contemplandi* scilicet *facultatem*, atque *gratias agendi.* Hæc sunt verba ejus: *Ἐφ' ἑκάστῳ τῶν ἐν κόσμῳ γινομένων, ῥᾴδιόν ἐστιν ἐγκωμιάσαι τὴν πρόνοιαν, ἂν δύο τις ἔχῃ*, ΔΥΝΑΜΙΝ ΤΕ ΣΥΝΟΡΑΤΙΚΗΝ *τῶν γεγονότων, καὶ τὸ* ΕΥΧΑΡΙΣΤΟΝ. Sed hæc mox a nobis exponentur dilucidius, ubi de operationibus agemus.

(*a*) Lib. de ira DEI, cap 14.
(*b*) Ps. CXVII.
(*c*) Ps. XXIX. 1. 2.
(*d*) Sap. VIII. 19. 20.
(*e*) Apud Arrian. Diss. L. I. c. 6.

§. 5.

Quoniam igitur duplicem exercendi hanc virtutem ab *Epicteto* requiri accepimus facultatem, totuplicis etiam generis ab illis facultatibus prodeuntes nanciscimur operationes: Nimirum I. *Considerationem* operum Divinorum, atque II. *Celebrationem.* Et primum quidem (1.) *Considerandi illud studium*, quia proæreticum est, involvet 1. sanctam quandam aviditatem Divinorum spectaculorum, sincerumque *desiderium*, positum in prima Mentis & sensuum ad attendendum conformatione, sive in *assidua & vehementi anima* ad opera divina *applicatione*, *cum summa voluntate occupata*, uti *studium* describit *Hugo.* Cujus exemplum præbent *sancti Angeli* qui *inspicere avent* (a) *μυστήριον ὁμολογουμένως μέγα.* Altera hujus studii pars est (2.) *Meditatio* ipsa, quæ eidem *Hugoni* dicitur *frequens cogitatio*, *modum & causam & rationem uniuscujusque rei investigans.* (b) Eaque iterum duo complectitur; nim. (1.) *Perceptionem* atque (2.) *Scrutinium.* (1.) *Perceptio* qua mediante objectorum notitia in animam derivatur, alia est *Realis*, alia *Idealis* (namque non omnia objecta, nec semper reipsa præsto nobis sunt: Hinc cogitationum picturis ac imaginibus præsentia facienda. Sic vt. gr. Solem noctu, nisi sensus interni oculo, conspicere nequeo. *Idealis* vel *interne* peragitur, vel *externe.* Posteriori modo in mentem sese insinuant opera DEI per *oculos*, si descripta depictave sint, vel per *aures*, si ab aliis enarrata. *Interne* vero defectum realis præsentiæ compensamus, cogitationibus depingendo, quorum scrutinio vacaturi sumus. Idque vel *intellectualibus* (c) imaginibus solis: Quomodo objecta spiritualia, animæ scil. humanæ, angeli, quin ipsa interna SS. Trinitatis & reliqua immanentia DEI opera, quantum eorum e Scripturis hausimus, menti delineantur. *Deus* enim, nec minus cæteri Spiritus, vel Plutarchi judicio, *concipi*, *nisi solo mente non potest.* (d) Vel deinde *sensualibus* cogitationibus, menti nim. sensibus associatis, repræsentatio ista fit. Utraque nihil aliud plerumque erit quam *Recogitatio* (e) quædam, quando memoria repetimus antea lecta, vel audita, vel realiter etiam sive mente, sive sensu

(a) 1. Petr. 1 12.

(b) Quæ definitio a B. PLACCII mente non est aliena. vid. Physiol. Moral. cap. III. §. III. d. 14.

(c) Vid. Accesf. Eth. pag. 68. d. 13.

(d) οὐκ ἐφάπτεσθαι Θεοῦ δυνατὸν, ἀλλ' ἢ νοήσει. v. Grot. J. B. P. L. II. C. xx. §. XLV. N. 2.

(e) Accesf. Eth. pag. 68. d. 18.

per-

percepta opera divina. Frequens hæc erat *Davidi*, (*f*) ita de se testanti: *Cum recordor tui super strata mea, in vigiliis meditor de te, te fuisse summo auxilio mihi.* Ad *Realem* perceptionis modum pergo, qui *Experientia* vulgo appellatur, inde oriens, quod res ipsæ adsunt, hac reali sua præsentia nos afficientes. Idque iterum vel *externe*, sensuum externorum ope: v. gr. dulcissima poma ipsi gustamus; ridentia prata, pulcherrimis distinctos floribus hortos, oculis nostris usurpamus; suavissimos avicularum cantus auribus nostris percipimus; & sic de cæteris. vel *interne*, e. gr. per intimam experientiam inhabitationis Divinæ nobis conscii sumus, & quasi *gustamus* interno mentis sensu, *quam dulcis sit Dominus.* Dum nim. bonas cogitationes in nobis excitat, ad bonum nos impellit, a malo absterret; ut certi simus, a carne & sanguine hæc talia non posse proficisci. Sic realiter percipimus, aut experimur, opera DEI. (2.) Ipsum nunc *Scrutinium* explicandum, quod nihil est aliud, quam diligens & accuratum examen, cum quodvis DEI opus attente apud animum pervolvimus, justo momento ponderamus, quicquid illis insit sublime, amabile, divinum, studiose inquirimus, & ad invicem comparamus, donec rite, quantum licuerit, pernoscamus. Hoc est, quod *Psalmista* (*g*) indicat his verbis: עם לבבי אשיחה ויחפש רוחי *Cum corde meo meditor, & perscrutatur Spiritus meus.* Modus ipse hujus Scrutinii, cum pro varietate operum Divinorum varius esse possit, difficulter determinabitur. Quod ad creaturarum considerationem, aliquomodo eum delineavit *Witsius* (*h*) his verbis: *Ablegamur ad colloquium cum creaturis, ut edoceant nos de Creatore. Colloquium illud non potest aliud notare, quam attentam creaturarum considerationem in Ortu, in Essentia* (id est, materia, forma, partibus, qualitatibus, proprietatibus) *in Facultatibus, in Operationibus, in Ordine ad se invicem, in Lege cui subsunt, & qua ad conversationem universi inviolabiliter observatur*; Addo: in *Effectibus*, quippe qui omnium facillime atque efficacissime plerumque animadvertuntur, inque *Usu*, quem nobis præstant. In iis vero, quæ ad gubernationem DEI spectant, nimirum providentiam circa Rempublicam, Ecclesiam, & quodvis utriusque membrum, perpendi imprimis poterit *Finis*, cur Deus aliquid faciat. Illum enim si divinare detur, aut ex eventibus colligere, summam DEI perspiciemus sapientiam, bonitatem, potentiam aliamve virtutem, in consiliis ejus conspicuam. Unde

(*f*) Psal. LXIII. 7.
(*g*) Psal. LXXVII. 7.
(*h*) in Symb. Ap pag. 51.

 omnino

omnino restringendum erit illud *Hebræorum*: (*i*) אין לשאול טעם לכבות הבורא *Non est in quirenda ratio causarum, cur sc. Deus hoc vel illud faciat*: cum certo respectu tantum illud obtineat, uti inferius patebit. Deinde circumstantiæ etiam sollicite sunt evolvendæ, id quod maximam huic scrutinio affundet lucem. Sed solertiæ cujusque propria ista relinquenda sunt. Non omittenda denique *Memoria mandatio* quando memori grataque mente asservare annitimur præstita nobis DEI beneficia, aut alia ejus opera quæcunque. Quo monitum *Apostoli* (*l*) pertinet: *μνημόνευε, memoria tene JEsum Christum*, (omnium beneficiorum Divinorum quasi summam & Epitomen.) Et soliloquium *Davidis*: (*m*) *Ne obliviscaris*, anima mea, *ullius beneficiorum ejus*. Jam II. *Celebratio* sese exponenda nobis offert. Siquidem hæc considerationem continuo excipit, vel comitatur. Quam in sententiam *Augustinus* (*n*) *Quare ergo*, inquit, *tota* (Creatura) *laudat Deum*? *Quia cum eam consideras, & pulchram vides, tu in illa laudas Deum. Vox quædam est muta terra. Vides, & consideratione tua tanquam interrogas eam; & ipsa inquisitio interrogatio est. Continuo tibi venit in mentem, quia non potuit a se esse, nisi ab illo Creatore.* Et hoc *quod in illa invenisti, vox confessionis ipsius est, ut laudes Creatorem.* Et ea quoque vel *interne* perficitur tantum, vel ita, ut *externa interna* jungatur. 1. *Interna Celebratio*, & quidem (1.) *intellectualis*, posita est in *judicio veluti reflexo* (uti *Puffendorfius* (*o*) Censuram Conscientiæ describit; quod tamen huc etiam quadrabit) *intellectus super* cognitis DEI operibus, *approbante* illa atque laudante, vel potius venerante, sive, quod idem est, statuente summas DEI perfectiones, desiderabilissimasque virtutes ex illis elucere. Ita enim *laudationem B. Placcius* (*p*) definit: *Judicium de bonitate operationis alicujus.* Cujus *Veneratio* saltim intensio est: Quando scilicet de maxima bonitate agitur. (2.) *Sensualis celebratio interna* consistit in affectibus humanis, istas mentis operationes plerumque comitantibus: cum nimirum anima corpus in consensum trahit, voluntate cerebrum movente, ita, ut motus ille ope spirituum animalium, & nervorum continuetur usque ad cor, ubi porro certam sanguinis commotionem pro affectus ra-

(*i*) Apud BUXTORFF. Florileg. Hebr.
(*k*) Access. Eth pag. 68. d. 17.
(*l*) 2. Tim. II. 8.
(*m*) Psal. CIII. 2.
(*n*) ad Psal CXLIV.
(*o*) apud HEBENSTR. Philos Mor. pag. 266.
(*p*) Access. Eth. pag. 109. def. 1.

tione

tione excitat. Atque hoc est *ᾄδειν καὶ ψάλλειν τῷ κυρίῳ ἐν τῇ καρδίᾳ*. (q) Scilicet videtur pectus humanum hac in parte simile artificiosissimo cuidam organo Musico. Voluntas, ab intellectu gubernata est instar Organœdi, qui plectit nervos cerebri, unde musculi, sanguinis motum alium atque alium producentes, immissis Spiritibus animalibus, non aliter, ac tibiæ organi Musici vento, inflantur, atque sic emergit Symphonia auribus DEI gratissima. Unde adeo si *virtutem animæ harmoniam* dixerunt *Pythagorei*, (r) qui & Musicen hinc valde amarunt) illud sane huic virtuti omnium optime conveniet. Vel si orbium hujus universi concentum quendam finxerunt iidem Philosophi, illud, ni fallor, huic microcosmi Symphoniæ non incommode accommodabitur, quando sic anima & interna mentis voce, & instrumentali affectuum modulatione tacitum quoddam Halleluja DEO decantat. Sed ut *affectus* illi paulo etiam conspiciantur dilucidius, spectabunt huc potissimum: (α) *Admiratio*, qua agnoscimus Deum *δυνάμενον ὑπὲρ πάντα ποιῆσαι ὑπὲρ ἐκ περισσοῦ, ὧν νοοῦμεν* (s) sive, ut ait *Wendelinus*, (t) *qua in operibus Divinis considerandis, & dijudicandis extra nos quasi rapimur, longe sublimiora & excellentiora judicantes ea, quam ut plene a nobis investigari atque intelligi queant.* Ita *Paulus*, consideratis Divinis consiliis atque judiciis, exclamat: (u) *Ὦ βάθος πλούτου καὶ σοφίας, καὶ γνώσεως Θεοῦ! Ὡς ἀνεξερεύνητα τὰ κρίματα αὐτοῦ, καὶ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ!* (β) *Amor* sive tenerrimus ille in Deum affectus, ex consideratione amabilissimarum Dei virtutum, ac beneficiorum nobis præstitorum, ortus, quo & anima, & corpus ad eam rationem componitur, ut Deum unice magni faciamus, in DEO nos oblectemus, iisque, quæ DEO placere constet, omnium maxime studeamus. Quandoquidem vero in DEO nil, nisi summas perfectiones deprehendimus, amor ille (γ) *Venerationis* naturam potius induet (quæ *Devotio* etiam ab aliis (x) nuncupatur, habita pro affectu, præter Deum, vix cuiquam debito) qua scilicet Deum infinite omnibus superiorem cognoscimus, Majestatem illius atque Excellentiam summam suspicientes ac adorantes. (δ) Porro ubi & nos ex ista consideratione voluptatem quandam capimus, vel cogitamus Deum, v. gr. tam sapientem, tam potentem, tam beneficum, no-

(q) Ephes. V. 19.
(r) v. Omeis. Eth. Pythag. pag. 17.
(s) Eph. III 20.
(t) Theol. Christ. pag. 769.
(u) Rom. XI 33.
(x) v. Le Grand Instit. Philos. Part. IX. C. X. p. 616.

strum

ſtrum eſſe Deum, quo nos gaudemus, nos tantum Dominum habere, idem Amor *Lætitia* vocabitur (ε) Hujus autem læti Amoris continua quaſi ſocia erit *Fiducia* ſive *Amor fiducialis*, quem poſſeſſio tanti boni animis noſtris non poteſt non ingenerare. (ζ) Quibus accedit *Timor filialis*, natus in pectoribus noſtris, quoties opera juſtitiæ ac iræ Divinæ apud animum noſtrum reputamus. (η) Denique *Humilitas*, ſive *μετανοία* moderata horum omnium individua pediſſequa erit, dum ejusmodi cogitationes animum ſubeunt: Quanto imperfectiores nos DEO ſimus, quanto ſuperent Divina beneficia noſtram dignitatem ac merita! Imo longe longeque copioſiora ac præſtantiora illa eſſe, quam vel petere auſi fuiſſemus, ne dicam promereri. Hæc de *Interna Celebratione*. Succedit *Externa*, quæ nil, niſi internæ teſtis ac ſignificatio eſt. Fitque potiſſimum oratione, opera divina prædicante, atque verbis extollente. Quæ eſt *conſentiens laus* piorum (ut *Tullii* verborum (γ) parodia utar) *incorrupta vox bene judicantium de excellente* ſummi atque optimi Numinis *virtute*. *Ea virtutibus* divinis *reſonat*, *tanquam imago gloriæ*. Sed & geſtibus, ad devotionem, & venerationem, lætitiamque compoſitis ſolet eſſe comitata.

§. VI.

Res, ſive *Objectum reale*, circa quod operationes Obſervantiæ ſacræ occupantur, etſi poſſit eſſe quicquid eſt divinum, ſeu quicquid de DEO novimus; hic tamen nobis potiſſimum ſunt *Opera DEI*, virtutum perfectionumque Divinarum ſpectacula, ampliſſima magnificentiæ Divinæ documenta. Quæ quidem nec ſingula enumerare, nec accurata, ſcientificaque ſerie proponere nunc licebit: cum nec dum hoc ingenii vires permittant; Illud vero vaſtitas ipſa, ac infinitus numerus prohibeant. Siquidem quæcunque videmus, quæcunque exiſtunt, omnia & ſingula DEI opera ſ. effecta ſunt, ut animam ipſam hominis teſtari notat *Maximus Tyrius*. (a) Porro opera DEI ſ. actiones a Theologis diſtribuuntur in ea, quæ *Divinitas intra ſeſe extra omnem creaturam operatur*, (b) quibus celebrandis Angeli *τρισαγίῳ* ſuo nobis præeunt: & in ea, quæ *ad extra terminata circa creaturas occupantur.* Nimirum *Deus* (verba ſunt *B. Chemnitii*) *qui poſuit tenebras latibulum ſuum* (c)

(γ) Tuſc. Qq. l. 3.
(a) Diſſert. I. p. m. 6. Θεοῦ πάντα ἔργα, ἡ ψυχὴ λέγει,
(b) v CHEMNIT. P. I. Loc. Theol. IV. p. m. 275.
(c) Pſal. XVIII. 12.

& ha-

& habitat lucem inaccessibilem (*d*) *prodiens ex arcana sua sede, manifestavit se etiam in operibus ad extra*, (*e*) ut: *Divinitatem & Potentiam suam in Creatione*; *Sapientiam in Administratione*, *& Gubernatione*: *Misericordiam in Restauratione*: *Bonitatem in Glorificatione.* Operum *Creationis* elegans, quod ad summa capita enarratio est, quam habet *Augustinus*: (*f*) *Deus*, inquit ipse, *ordinavit omnia*, *& fecit omnia*, *quibusdam dedit sensum & intellectum, & immortalitatem*; *sicut Angelis. Quibusdam dedit sensum*, *& intellectum, cum mortalitate: sicut Hominibus. Quibusdam dedit sensum corporis*, *nec intellectum*, *nec immortalitatem: sicut Pecoribus.* Quibusdam vero *nec sensum*, *nec intellectum*, *nec immortalitatem*: *sicut Herbis*, *Lignis*, *Lapidibus*; adde *Soli*, *Lunæ*, *Stellis*, atque inanimatis cœteris. Ex his autem *si* vel sola *Hominis*, & quidem *tota*, *fabricatio*, *perspiciatur*, *omnisque humana natura figura atque perfectio*: etiam *Ciceronis* (*g*) judicio, intelligetur, DEI opus hoc esse, sive ut ipse ait, *hominibus a DEO immortali provisum esse.* Quod & ipse mox in corporis humani admiranda structura partite ostendit. Hac autem perlustrata de anima ita sentit: *Jam vero animum ipsum*, *mentemque hominis*, *rationem*, *consilium*, *prudentiam*, *qui non Divina cura perfecta esse perspicit*, *is his ipsis rebus mihi mente videtur carere.* Magna etiam opera *Providentia*, qua & perspicit Deus, & conservat, & sustentat, & gubernat omnia. Inter quæ non minus *Justitia* ultricis atque Excandescentiæ Divinæ opera adversus impios, piis materiam laudis suppeditant. Maximum vero *Restaurationis* humanæ opus, quo miserrimam generis humani faciem pristinæ Deus restituit gloriæ, quot & quanta non hoc orationibus ἐπαινητικαῖς subministrat argumenta? Hæc autem jam opera DEI singula & universa spectari præterea possunt ut *Beneficia* ex amore DEI profecta, ad bonum hominis tendentia, atque hinc grata mente DEO accepta ferenda. Quorum in universum hæc notanda differentia, quod alia sunt *universalia* quorum omnes homines participes fiunt; v. gr. solis exortus super pios & impios, vocatio gentium universalis: alia *particularia*, quæ certis tantum populis accidunt; v. gr. Ecclesiæ & fidelibus quorum Deus speciatim Deus est: alia denique *singularia*, quando hunc itemque alterum Deus peculiari dignatur gratia, vel quando ita duntaxat benificia Divina considerantur, quatenus in hunc vel alterum

(*d*) 1. Tim. VI. 16.
(*e*) Rom. I 20.
(*f*) ad Psalm. CXLIV.
(*g*) de Nat. D. I. 2.

ſpeciatim derivantur. Præcipua *Creationis* ac *Providentiæ* beneficia, breviter & quaſi in tabula exhibet *B. Lutherus* (*b*) hoc modo: *Credo* (adeoque grata piaque mente agnoſco) *me DEI eſſe Creaturam*, hoc eſt, *quod ille mihi dederit, quotidie alat, ſuſtentetque corpus, animam, vitam, membra corporis, cum parva, tum magna, omnes ſenſus, rationem, rationis uſum, virtutemque intelligentiæ, ac deinceps cibum & potum, amictum, commeatum, uxorem, liberos, familiam, ædes, prædia, &c. Adhæc, quod omnes Creaturas ad vitæ meæ utilitatem, & neceſſitatem, ſervire mihi ſinit, ſolem, lunam, & ſidera cæleſtia, dein & noctem, äerem, ignem, aquam, terram, & omnes fructus terræ, quos ſua fœcunditate producit*, volucres, *piſces & omnia frumentorum & fructuum genera. Inſuper, ſi quæ ſunt alia rerum corporalium, & temporalium bona, ut eſt æquabilis Reip. ſtatus & adminiſtratio, pax, tranquilla ſecuritas. Ita ut ex hoc articulo* (primo nimirum Symboli Ap.) *diſcamus, noſtrum neminem vitam omniaque alia enumerata, & quæ adhuc enumerari poſſent, a ſe habere, neque retinere poſſe, quam libet puſillum aut leve fuerit. Præter hæc ingenue quoque fatemur, Deum Patrem non ſolum hæc omnia, quæ habemus, poſſidemus, coramque oculis intuemur, nobis dediſſe, ſed quotidie etiam ejus tutela nos ab omnibus malis atque periculis cuſtodiri, omnes incommoditates, ruinas, atque diſcrimina a nobis abigente & propulſante. Quæ omnia mera humanitate & bonitate ſua pellectus nobis immerentibus exhibet, tanquam lenis ac clemens Pater, cui nos curæ ſumus, ne quid mali nobis accidat.* Hactenus verba *Lutheri*. Quæ qui non obiter penſitaverit, videbit ad quam multimodas gratias DEO aſſidue agendas devinctus ſit. Siquidem ex illis ſimul patet, omnia etiam ab hominibus in nos collata non aliter ac Divina beneficia reſpicienda eſſe. Si enim recte dixit *Cicero:* (*i*) *neminem virum magnum* (adde, neminem virum probum utilemque humano generi) *ſine aliquo beneficio atque afflatu Divino fuiſſe:* Neque redundantia inde ad nos commoda cuiquam, præter Deum erunt adſcribenda. Non poſſum, quin peculiare hoc loco beneficiorum Divinorum genus commemorem, tanquam ad nos potiſſimum pertinens; *Bonas* ſcilicet *litteras* atque ſcientias. Has enim *divinitus humano generi conceſſas eſſe, tantoque depoſito mortales non abſque ſpeciali Numinis favore & gratia frui*, tum per ſe res eſt teſtatiſſima, tum vir doct. s *Georgius Matth. Königius* non inſcite probat variorum veterum Philoſophorum ac *Platonis* imprimis teſtimonio; qui *artes & ſcientias non fortuito naſci, ſed DEI beni-*

(*b*) In Catech. Maj. v. Libb. Symb. edit. Lipſ. pag. 490.

(*i*) Nat. D. l. 2. f.

gnitate

gnitate & ductu in medium proferri, in *Epinomide* præclare professus fuit. Idemque *Königius* paucis interjectis cum has ipsas literas obstetricante Typographia hodie quam felicissime amplificari maximeque florere ostendisset, hoc denique pium votum subnectit: *Utinam vero hoc omnes ad animum revocarent, & grato pectore agnoscerent: imprimis vero DEO T. O. M. a quo omne bonum perfectum descendit, nec non Principibus, ac summis potestatibus, quibus res litteraria curæ cordique esse solet, quam maxime debitas ac condignas gratias agerent.* Cui affine aliquomodo vetus *Theodoreti* (k) exhortatio de quolibet nobis occurrente scripto talia præcipiens: τὸς δὲ τοῖς ἀλλοτρίοις ἐντυγχάνοντας πόνοις παρακαλῶ, εἰ μὲν πάντα εὖ ἔχει τὰ γεγραμμένα, τῶν τοιούτων ἀναμνῆται δωτῆρα, καὶ τοῖς πεπονηκόσι προσευχὰς ἀποδοῦναι. Quod monitum de gratiis autori ac fonti omnis sapientiæ DEO à Lectoribus bonorum librorum diligenter agendis, specialius ad ipsam sacram Scripturam, inexhausta sapientia refertam Bibliothecam, non immerito applicare licet. Tantum enim (ut hoc ipso simul ad gratiæ beneficia transgrediar) illud beneficium, tantum Charitatis Divinæ testimonium, ut, si vel omnes omnis ævi mortales operam huc atque vires conferrent, condignis tamen laudibus atque gratiis illud prosequi non valerent. Qua de re quæ *B. Placcius* in Tractatu de *Fructu Philos. Moral.* inprimis pag. 147. 148. habet, hic legi merentur, nisi *spatiis exclusus iniquis* brevior esse cogerer. Interim, quæ de *Restaurationis beneficio* in universum, grato pectore fudit verba *Bernhardus*, (l) digna sunt, quæ hic expendantur: quoniam *nihil in hac materia*, Judice *Witsio* (m) *elegantius, neque efficacius fingi potest.* Ea sic habent: *si totum me debeo quod me fecit; Quid addam pro refecto hoc modo? Nec enim tam facile refectus sum, quam factus. Nam qui me semel & tantum dicendo fecit; in reficiendo profecto & dixit multa, & pertulit dura, sed & indigna. In primo opere ME mihi dedit. In secundo SE. Et ubi SE DEDIT, ME mihi REDDIDIT. DATUS ergo & REDDITUS ME pro ME debeo. Quid DEO retribuam pro SE? Nam etiamsi ME millies rependere possem; quid sum ego ad Deum?* Sigula autem beneficiorum, quæ nobis in Christo obveniunt, genera, v. gr. *universalem DEI* erga omnes homines *benevolentiam ac misericordiam*, *Electionem* ad vitam æternam, *Redemtionem* ipsam a Christo factam, *Vocationem* denique, *Conversionem*, *Regenerationem*, *Illuminationem*,

(k) Procem. libror. de curat. Græcar. affection.
(l) Tractat. de diligendo DEO.
(m) In Symbolum Apostolicum Exerc. V. §. 24.

Justificationem, *Adoptionem*, *Sanctificationem*, *Exauditionem precum*, *Promissiones vitæ æternæ*, & quæ sunt hujus generis alia, ea, inquam, partite deducere exemplisque laudum illustrare, angusti Dissertationis limites non permittunt. Referta illis scripta *Davidica* pariter ac *Paulina* nec non reliqua *τῶν ἱερῶν γραμμάτων*, quæ diligenti S. Litterarum scrutatori ignota esse non possunt. Quare suffecerit hæc obsignare dicto *Augustini*, qui de *Catechumenis* agens: *Quicquid homo fecerit*, inquit, *laudabilem in suis factis Deum invenit. Si recte egit: laudabilem invenit per instrumentum premiorum. Si peccata confessus ad recte vivendum redierit; laudabilem invenit per justitiam indulgentiarum.*

§. VII.

De *objecto personali* virtutis hujus ex jam dictis satis constat. Quis enim religioso observantiæ sacræ cultu prosequendus, qvis laude quis honore afficiendus ab homine est propter magnitudinem operum suorum? Quis quæso nisi ὁ μακάριος, καὶ μόνος δυνάστης, ὁ βασιλεὺς τῶν βασιλευόντων καὶ κύριος κυριευόντων. Ὁ μόνος ἔχων ἀθανασίαν, φῶς οἰκῶν ἀπρόσιτον, ὃν εἶδεν οὐδεὶς ἀνθρώπων, οὐδὲ ἰδεῖν δύναται. Ὧ τιμὴ καὶ κράτος αἰώνιον (*a*). Deus, inquam, Trinunus, & Jesus Christus ὁ θεάνθρωπος. Non angeli, non sancti demortui, non ulla creatura alia. Namque ex ore cœlestis DOCTORIS (*b*) accepimus, sanctam hanc προσκύνησιν & λατρείαν soli DEO Domino nostro unice competere. Quamvis autem & angelos, & homines in dignitate constitutos, virtuteque præditos observemus, colamus, diligamus: Non tamen hæc observantia sacra sive religiosa est, id est, talis, qualis DEO convenit. (*c*) Quippe & genere ab ea differt, & inferior eadem est multis modis. Si enim DEO parem hominibus exhibeamus honorem, nec tanquam scintillantes potius virtutum Divinarum radios, id est, dona a Patre luminum profecta, in creaturis veneremur, quæcunque in illis veneramur, quomodo, quæso, idololatriæ labem effugiemus? *Minus Te* (Deus) *amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter Te amat*, quod non inscitum *Augustini* (*d*) dictum est. Solum ergo Deum & quem misit, JEsum Christum manet hæc gloria. Est enim & hic βασιλεὺς βασιλέων, καὶ κύ-

(*a*) 1. Tim. VI 15. 16.
(*b*) Matth. IV. 10.
(*c*) Vid. hac de re R. Danhauerus Hodos. Phæn. VI. pag. m. 334. (501.)
(*d*) Soliloqu. C. XIX.
(*e*) Apoc. XIX. 16.

ριος

ειος κυϱίων. (*e*) Unde & Ecclesia triumphans suo nos exemplo (*f*) docuit huncce Regem atque Dominum nostrum rite devenerari, cantato hoc illi ἐπινικίῳ Ἄξιόν ἐστι τὸ ἀρνίον, τὸ ἐσφαγμένον λαβεῖν τὴν δύναμιν, καὶ πλοῦτον, καὶ σοφίαν, καὶ ἰσχὺν, καὶ τιμὴν, καὶ δόξαν, καὶ εὐλογίαν.

§. VIII.

Constat etiam observantia sacra ex partibus, quas respectu supra traditarum essentialium *integrantes* vocaverim, promanantes ex natura generis, sive quas habet, quatenus virtus est. Harum quinque numerat *B. Placcius* (*a*) Eæque a nulla superius expositarum partium essentialium abesse debent, nisi hæ bonæ actionis nomen amittere velint. Sunt autem sequentes: 1. *Scientia* finis, mediorumque, imo omnium, quæ ad naturam observantiæ sacræ pertinent exactissima, actuque præsens. Non enim temerario ausu prout in mentem venit Deum colere: Sed λογικὴν λατρείαν (*b*) illi exhibere oportet. Unde non incommode huc retulerim *Antonini Imperatoris* (*c*) dictum: *Quemadmodum Chirurgi instrumenta & ferramenta sua ad curationes subitaneas semper habent ad manum: Ita tu dogmata in promtu apud te habeas, quorum ope res quum Divinas, tum humanas* (quin & actiones) *dignoscas.* Breviter: Optima hæc observantia sacra est, quæ secundum scientiam est. 2. *Proæresis*, sive propositum bonum, rectaque & deliberatissima voluntas, qua firmiter tecum statuis, ita, prout & præceptis & circumstantiis conforme judicaveris, rem peragere, neque ullo modo ab ea dimoveri. Quæ virtutis pars tam necessaria est, ut alii virtutem ipsam nihil aliud existiment, quam *propositum agendi, quod ratio* (sive lex Divina) *præcipit.* (*d*) Certe nec desiderari potest, nec debet, in ulla bona actione, quæ virtutis nomen sibi vendicat. Cæterum pertinent huc verba *Morhofii: E Romanis virum gravem & bonæ voluntatis virum depingebat Vellejus.* Εὐπροαίρετοι *Græci dicunt: Quod ut eximium Civis boni elogium; Ita & in DEI civitate partes absolvit maximas. Nam qui bene recteque vult, DEO autore bona faciet.* 3. *Examen* actionis mox subeundæ. Quod consistet in applicatione scientiæ universalis ad præsentem actionem. Idque potissimum hac ratione obtinebit. Nimirum sci-

(*f*) Apoc. V. 12.
(*a*) Access. Eth. Physiol. C. VII. §. V. propos V.
(*b*) Rom. XII. 1.
(*c*) Lib. III § XIII Monitorum ad se ipsum.
(*d*) vid. ARNOLDI GEULINGS Ethica.
(*e*) Programm. in festum Nativ. Christi. pag. 381.

mus nostrarum partium esse, ut Deum celebremus, firmiter etiam apud animum nostrum constituimus illud actu præstare: Quæstio tamen nasci poterit, anne nunc, & pro præsentibus circumstantiis congruentius sit futurum, omittere actus externos præcipue & operosiores observantiæ sacræ, quam exercere. Hinc ergo examen instituendum, id est, inspiciendæ sunt circumstantiæ, & cum ea, qua instructus es, scientia universalium comparanda, ut certus reddaris, anne nunc fieri coveniat, nec ne. *Nihil enim agendum, quod dubites æquumne sit, an iniquum.* v. gr. Posset evenire, ut proximus in præsentissimo mortis, aut alio quovis periculo constitutus, nisi te subveniente, eripi nequeat. Si ergo tunc sacris tuis meditationibus te velles dare: næ, credo, parum grato te DEO thure litaturum. Non etiam valde ab ejusmodi exemplo dissentit sanatio Sabbathica, & portatio lecti sabbatho facta, quam Servator legi non repugnare judicabat: Etsi Pharisæi impie stolidi & stolidi pii eam cum lege neutiquam conciliare poterant. Quamvis autem illud *Examen*, nec non mox sequens *Deliberatio* ut ita explicite semper instituatur, in hac quidem virtute non opus esse videri possit: Dantur tamen aliæ actiones, ubi in his ipsis cardo negotii versatur. Neque adeo credendum, multum temporis ea requirere: Quin vel momento res omnis dijudicari poterit. 4. *Deliberatio.* Quod si nunc recte virtuti te vacaturum certus sis: proximum est, ut, quomodo jam fieri debeat, dispicias. 5. *Executio* denique prudens, debita promtitudine, alacritate, ordine, constantia, æquabilitate observata, opus coronabit. Id est, quicquid rectum piumque visum tibi proposuisti dextre etiam actione exprimendum, atque opere ipso efficiendum erit.

§. XI.

Postremo attributorum etiam nonnulla explicanda veniunt. Scilicet observantia sacra, recte sese habens erit. 1. *Spontanea*: non invita, non coacta, ut mallemus ea supersedere; Sed quam *Spiritus spontaneus*, (a) sive ingenuitatis, (רוח נדיבה Der freywillige Füsten-Geist ut memini Theologum quendam illud interpretatum) in nobis operetur. Admiranda sunt hanc in sententiam *Epicteti* (b) verba, & fere Ethnici mente sublimiora: Ἐλεύθερος εἰμὶ, καὶ φίλος τῶ Θεῶ ἵν' ἑκὼν πείθωμαι αὐτῷ, *Liber sum, & amicus DEI, ut ultro ei paream.* 2. *Deliberata:* non fortuita, nec temeraria. Nam si obiter modo verbulum in laudes Divinas excidat nec opinanti; hæc actio

(a) Psal. LI. 14.
(b) Differt. L. 4. c. 1.

virtutis nomen non meretur. 3. *Soli homini propria*, nempe quatenus in his terris peragitur, in cœlis enim novimus etiam Angelos sanctissimo hoc officio fungi. Bruta autem & inanimata, v. gr. *cœlos enarrare gloriam DEI* quod non nisi improprie dicatur, superius observatum est. 4. *Naturalis.* Non equidem connata; Naturalis enim homo proh dolor! nimia ad eam pigritia ac væcordia laborat, & per carnis illecebras in terram depressus, non mediocriter ab ea aversus est: Sed humanæ naturæ maxime consentanea, adeo ut Deus propterea, quo suæ magnificentiæ testem haberet, hominem creasse, non impie nec sine ratione existimetur. Quin & Adami hoc primarium fuisse studium ante lapsum, est, cur mihi persuadeam. Duo præterea attributa tristis experientia suggerit, nimirum quod 5. *Imperfecta* est multis modis, nec prius perficienda, quam ubi *puris oculis divina spectacula contuentes* (ut Maximus *Tyrius* ait) *aliquando gustabimus perfecti amoris affectum* (quæ M. *Antonini* locutio est.) 6. Sed utinam non etiam *rarum*, quantumvis non omnibus numeris absolutæ, virtutis esset exercitium!

§. X.

Jam non difficile fuerit hæc *Præcepta axiomatica* Legum vigorem habentia porro deducere: 1. *Observantia sacra unicuique homini esto commendatissima.* Confirmatur hoc præceptum veterum Philosophorum testimoniis. Sic *Averroes* (c) impius alias Religionis Christianæ irrisor; *Natura*, inquit, *nos obligat ad MAGNIFICANDUM DEUM ORATIONIBUS & sacrificiis.* Et mirum, quomodo *Aristoteli* (d) hæc vox exciderit: *Debemus INSPICERE formas, & LÆTARI de ARTIFICE, qui fecit eas.* *Platonis* hac de re monita vide allata *Omeisio Eth. Plat.* pag. 107. 108. Inprimis memoratu digna sunt verba, multos in ruborem dantis Christianos *Epicteti* (e) latine hic, ut spatium lucremur, afferenda. Nimirum is post recensita varia providentiæ Divinæ apotelesmata ita exclamat: *Hæc quis sufficit sermone digne deprædicare aut repræsentare: Si sani essemus, quid aliud nobis agendum foret, & publice, & privatim, quam Numen celebrandum, & laudandum & grates ei persolvenda? Nonne & inter fodiendum, & arandum, & edendum, hymnus hic cantandus esset DEO? Magnus est Deus, qui manus dederit, qui deglutiendi vim, ventrem, qui, ut latenter crescamus, qui, ut dormientes respiremus, effecerit! Hæc singulis rebus cantanda erant, & hymnus maximus, ac*

(c) Lib. de cœlo.
(d) Lib. 2. d. Animal. Conf. Andr. RIED. Eth. pag. 125.
(e) v. ARRIAN. Dissert. Lib. I. cap. 16.

divinis-

divinissimus resonandus, quod facultatem dederit harum rerum intelligentem, & utendi ratione instructam. Quibus verbis, Græce citatis, *Th. Gatakerus* in *Praloquio ad Antoninum Imperatorem* hæc subjicit: *Et quæ sequuntur his gemina, homine Christiano quovis non indigna: Christum modo donatum nobis adjecisset!* Evolvi & reliqua ita sese habentia: *Quid igitur? siquidem vulgo excæcati sitis, nonne saltem oportebat esse aliquem, qui hoc munere fungeretur, & loco omnium hymnum DEO publicaret! Ecquid aliud possim ego, senex & claudus, nisi ita celebrare Deum? Luscinia si essem Fungerer Lusciniæ officio, si olor, oloris. Atqui intelligentia praditus sum. Mihi igitur Deus incumbit celebrandus. Munus meum illud est, isto defungor. Nec stationem hanc deseram, quoad licuerit, quin & vos omnes ad eandem mecum cantilenam exhortor.* Videmus quid sana ratio suadeat, vel potius lex naturæ præcipiat. Idem *B. Lutherus* hac ratione evincit: *Ex his jam demonstratis* (nempe operibus DEI) *facile evictum consequitur, & colligitur; cum omnia, quæ possidemus, quæque in cœlo & in terra sunt, quotidie à DEO concessa sustententur, & custodiantur: Debere nos eundem indesinenter diligere, laudibus extollere, agendisque gratiis acceptorum beneficiorum esse memores.* Sed & ipsæ sacræ paginæ refertæ sunt istiusmodi præceptionibus, promissis simul ac minis subinde annexis. Quas hic universas congerere prolixum foret. Sufficiat secundo jam Decalogi præcepto hoc edictum uti *Theologi* (g) ostendunt, contineri: *Nomen meum laudato.* 2. *Diligenter sunt fugienda quævis vitia observantiæ sacræ opposita.* Quid enim? Num immorigeros nos geremus supremo Legislatori, Regi ac Domino, quin & Patri ac Benefactori nostro, quo vel semel manum potentiæ suæ detrahente ne momento quidem consistere possemus? Num insuper habebimus hocce officium nostrum, quod prout observatum vel neglectum fuerit, felices vel infelices nos reddere aptum est? Num facta, inquam, DEI nostri, imo benefacta parvi pendemus? Nam ne consideratione quidem ea dignari, turpis revera contemtus est. Considerare autem sine honorifica DEI mentione, hominis est ingrati insanique. Hoc Spiritus veritatis (h) graviter in Ethnicis redarguit, qui *cum cognovissent Deum, nec tamen eum uti Deum gloria affecissent, neque ei egissent gratias, evanuerunt in cogitationibus suis, & stoliditate cordis plexi sunt, & putantes se*

(f) Catech. Mai. Libb. Symb. p. 491.

(g) v. B. CHEMNITII Explic. 2di Præcepti Loc. Theol. Part. II. pag. 119. n. 1. 3. 6. B. DANHAUERUS Hodos. pag. 508.

(h) Rom. I, 21.

esse

esse sapientes stulti facti sunt &c. Namque non agnoscere, quod a DEO proficiscantur, quibus undique circumsepti sumus, bona, neque admirandas DEI in illis conspicuas virtutes suspicere, neque de beneficiis, quibus indies cumulamur, unquam serio, & cum gratiarum actione cogitare: Quid est, si hoc non est, Atheismo practico viam sternere? Primum enim supina hæc sapientissimæ pariter ac beneficæ providentiæ *incuria*, *Celebrationisque omissio* ignorantiam & errores omnium perniciosissimos inducunt, & plane fatuos, Spiritu S. teste, homines efficiunt: adeo, ut vel vitia pro virtutibus habeant, vel ex suo sibi animo fingant Deum; Qui nimirum flagitia ipsorum vel non videat, vel si videat, facile tamen ferre possit, nec multum de illis sollicitus sit, adeoque exiguam rerum humanarum curam gerat, id est revera non Deum. Deinde, hoc pacto ad impietatem, malitiam & omnis generis vitia aperta fenestra, sine DEO incipiunt vivere in mundo. Quæ jam pœna sic satis est gravissima. Quisquis enim a DEO alienus est, is quoque ab amicitia ejus exclusus odio ipsi habetur, adeoque revera miser est, & manet in æternum, si ad finem vitæ in ea perversitate perseveret. Cum quo æterno damno etiam hæc turpitudo est conjuncta, quod tanquam Deum debito honore spoliantes beneficiperdæ indignissimi, bonis omnibus fugiendi videantur, atque ingrati hospitis notam in fronte gerentes, divinorum beneficiorum raptores publica infamia detestabiles sint DEO & hominibus. Siquidem *R. Chanina* (*i*) judicio: כל הנהנה מן העולם הזה בלא ברכה כאילו גוזל לה"קבה *Quicunque utilitatem aliquam ex hoc mundo capit, sine benedictione*, (DEI) *perinde facit, ac si DEO benedicto id per vim aufferret.* Si jam operum Divinorum incuria duntaxat & ingrata memoria tantorum malorum cumulum affert; Quid adspernatio DEI cum blasphemia conjuncta reportabit? Nec mitiora quidem experitur perversa adoratio. Hæc enim Pharisæis denunciat *Christus:* (*k*) *Qui comeditis domos viduarum, orationes longas adorantes*, id est, ex avaro corde prognatis, superstitiosis & ad ostentationem compositis, ut precibus, sic laudationibus DEI, mentes, *propter hoc majorem accipietis damnationem.* Hæc est pœna secundo etiam præcepto expressis verbis annexa, secus ac in reliquis. Quam ad observantiæ sacræ neglectum speciatim applicat *Psaltes.* (*l*) *Quia non animadvertunt ad opera Jehovæ, & ad factum manuum ejus: Destructurus est eos; Non autem exstructurus.* Sicuti nempe ædificia,

(*i*) Apud BUXTORFF. Florileg. Hebr.
(*k*) Matth XXIII. 14.
(*l*) Psal. XXVII. 5.

nullum amplius uſum poſſeſſori præſtantia diruuntur atque funditus evertuntur, lignaque in ignem mittuntur: Ita impii iſti obſervantiam ſacram non exercentes perduntur & omnimoda miſeria obruuntur. Nec poſtrema ingrati animi pœna etiam in hac vita eſt, quod parcius Deus beneficia in poſterum largitur, vel loco illorum mala infligit. Quod non vere minus quam eleganter eloquitur Gallicum axioma: *Dieu ceſſe de faire deſcendre des graces, quand on ne fait pas remonter les actions de graces. Deus ceſſat facere, ut deſcendat gratia, quando non facimus adſcendere gratiarum actiones.* E contrario ſedulos hujus virtutis ſtudioſos præmia manent præſtantiſſima in hac & altera vita. Circumſcripte illa *Divinus Spiritus* complectitur hoc effato: (m) טוב להודות ליהוה ולזמר לשמך עליון *Bonum*, hoc eſt, (ut *B Geierus* in hunc locum commentatur) *dignum, honorificum, jucundum, ſummeque ſalutare eſt homini, occupari in laudibus Divinis, debitaque cum reverentia ac honore recenſere divina tum beneficia, tum opera alia admiranda &c. Hujusmodi enim complexus tam congruentia cum Divino beneplacito, quam oblectationum humanarum, vel congruentia cum noſtris affectibus ac voluntate repurgatis, optime hic habet locum* Ratio, cur bonum ſit celebrare Deum, additur verſu 5. *Quia lætitia afficis me, Jehova, opere tuo. Videlicet* (habeo iterum verba *B Geieri*) *quia hoc modo intime exhilaratur anima devota, quoties ſecum expendit, ipſoque ſimul ore commemorat divina tum potentia, tum ſapientia, ac bonitatis opera, quæ extant partim in creaturis aliis, partim & præcipue in genere humano* Hoc eſt quod alio loco ſic eloquitur *Pſaltes*: התענג *Oblecta te in Domino, qui dabit tibi petitiones animi tui.* Quomodo oblectabit ſe quisquam in Domino? Scilicet pulchritudinem ejus contemplando, atque beneficentiſſimam philantropiam apud animum pervolvendo, quæ in operibus beneficiisque ejus ſeſe exerunt, atque ſic amorem ſuum fiduciamque erga Deum accendendo. Non autem alia hoc amoris exercitium expreſſit voce, quam delectationis: Quoniam ſine voluptate illud fieri nequit. Ac certe naturaliter jam ad conſideranda admiranda naturæ, ad experiendos varios rerum caſus atque eventus, ad Muſicam ipſam laudum Divinarum accommodatiſſimum inſtrumentum, propendemus; Quod plurimum jucunditatis inde, nec falſo, nobis pollicemur. Jam vero jucundiſſima hæc ſtudia, ſi celebratio DEI cum illis jungatur, quod facillime fieri poterit, multo etiam reddentur jucundiora. Certi enim ſimul erimus, nos in hisce actionibus noſtris DEO placere, cujus oppoſitum, ſin ſecus fiat, reformidare neceſſe

(m) Pſal. XCII. 2.

habe-

habemus. Cur ergo illud facere recusemus; Cum tam facili negotio duplici queamus perfrui voluptate? Hoc magis etiam: quod, cum hac ratione pia evadant studia nostra, salutaribus tum hujus, tum futuri ævi gaudent promissionibus. Primum quidem scientia non solum ac prudentia hoc pacto varie exornamur, prospero in omnibus, ut *Psaltes* pollicetur, utentes successu, quo nihil est optatius: Sed & chariores eadem via reddimur DEO. Quod testatur Fra. *Quarles* (*n*) dicens: Si cum attentione & diligentia librum naturæ evolves, *it will make thee a great master of Philosophy and a true servant to the Divine Author; Illud te faciet magnum sapientiæ Doctorem & fidelem Divini Autoris ministrum.* Hinc *Plato* in *Epinomide* hominem vere σοφὸν *appellat, qui expeditam adeptus animi tranquillitatem, divinorum operum rationes & causas perscrutetur, & in his quasi speculis auctorem Deum speculetur & colat.* Et *Dn. Feldenus* (*o*) (quem *B. Placcio junctum, subtilissimum Philosophum & ICtum* vocat Mich. *Praun*, Consiliarius Badensis) in Dialogo, de Amicitia cum DEO ante lapsum, sub nomine *Christiani* quærit: *Quid putas, nonne charior erit DEO ita tractans sapientiam, quam qui tantum in causis rerum cognoscendis versatur?* Respondet sub *Aristotelis* persona: *Fateor, quod in singulis rebus similitudinem DEI spectare, & singulas cum DEO in ipsius honorem componere, sit ipsi vivere & operari.* Hæc ille. Jam vero qui charus Deo est, qui DEO hac ratione servit, hic familiari DEI consortio perfruitur, *hujus vota Deus explet*; quid possit esse beatius? Utrumque hoc & præmium & pœnam summatim comprehendit Dr. *Breithaupt* his verbis: *Quoniam vero omne bonum, non, nisi per communicationem divinæ bonitatis, in nos defluit; fieri sane aliter non potest, quin huic fonti omnia ardente ac submissa celebratione fideliter accepta referri debeant. Adeo ut in isthoc officio negligendo abusus rerum, æternum supplicium arcessens, & in eodem excolendo Beatitas hominum sita sit omnis. Præsertim cum ipsa Evangelii bona non alia via, quam grata fidei agnitione, obtineri, conservari, atque augeri queant.* 2 *Petr. I.* 3. *Quo sincerius ergo fidei oculus in admirandis perfectionibus atque operibus DEI se gerit, quicquid vel possidetur, vel cognoscitur, Regi ac Patri supremo devotissima veneratione deferens, eo aptior redditur ad opes cœlestes recipiendas, curaque paterna dignior.* 3. *Observantia sacra ex fide debet pronasci, & in fide peragi.* Hoc præceptum vere Evangelicum est, atque Christianum, naturæ plane

(*n*) Enchirid. Cent. 3. Chap. 85.
(*o*) v. Elementa Juris.
(*p*) Im Ritter-Spiegel append. pag. 348.

ignotum. Quod tamen hic omnino addendum est: nisi chimæram venditare velim pro accepta DEO virtute. Res ita se habet; Uti luna radiis solaribus lucida redditur, adspectuque adeo pulchra; Sine his autem tenebrosa est, densaque caligine obsita, & adspectu horrida: pari modo charitas, & omnes reliquæ virtutes luce fidei, a Spiritu Messiæ quasi sparsa, radiantes, pulchritudine sua, vel potius aliena, se DEO commendant. Contra his destitutæ fiunt tetræ, ac plane DEO ingratæ. Dixi autem ex fide, & in fide: Quia non solum Christum eam per Spiritum suum in nobis operari supponimus; Sed & Deum imperfectam virtutem propter Christum benigne interpretaturum confidimus. Sic ergo erit & hic *fructus justitiæ per JEsum Christum, ad gloriam & laudem DEI.*

CAPUT II.

HYGIEINE OBSERVANTIÆ SACRÆ.

§. I.

Bene ac sapienter *Plato* ὁμοιωθῆναι Θεῷ ita fieri docuit: si *δίκαιος καὶ ὅσιος* homo sit; sed *μετὰ φρονήσεως*. Ut moneret, Pietatem ac justitiam tum demum recte se habituram: ubi Prudentia easdem temperet ac gubernet. (a) Optima igitur *observantia sacra* erit, (b) rectissimeque se habebit, si sit: I. CONSIDERATA, videlicet si optimum tibi finem proponas sacratissimam hanc functionem aggressurus, hoc est, ipsam *Amicitiam cum DEO. Sicut* enim *inter bonos viros ac Deum amicitia est* (ut *Seneca* (c) verbis utar) *conciliante virtute, amicitia dico, imo etiam necessitudo ac similitudo: ita oportet eum,* Judice *Clemente,* (d) *qui perfectus est*, vel potius perfectionis studiosus (cum hic nemo perfectus sit) *charitatem exercere, & hinc ἐπὶ τὴν Θείαν φιλίαν ad divinam amicitiam tendere.* Nimirum a parte tui, eo annitaris, quo majorem indies venerationem erga Divinam concipias Majestatem, gratumque pro tot beneficiis supremo Benefactori declares animum, atque sic acceptiorem te DEO magis magisque, conjunctioremque reddere annitaris. A parte vero DEI, ut ejus laudes amplificentur & ipse oblectationem

(a) Confer. WITS. Oec. Fœd pag. 14.
(b) v. Accesf. Eth. Physiol. Cap. III §. XXVII. pag. 117. sqq.
(c) de Provid Cap. I.
(d) Ap. WITS. Oecon. Fœd. pag. m. 361.

capiat,

capiar, ubi justum pretium poni beneficiis suis ac viis in oculis filiorum suorum videt. Hac ratione enim suavissimum illud cum DEO commercium quam optime fovebitur. Præstitutus porro finis bonus continuo ob oculos habendus. Non aliter ac nautis cynosura, cujus beneficio saltem id assequuntur, ne multum a via aberrent. II. CIRCUMSPECTA. Quotiescunque observantiam sacram exercere velis: *de mediis sollicitus* sis, eaque tibi conquiras, ut in promtu sint. Mediorum autem naturam hic induent partim operationes supra memoratæ, partim res s. objecta realia, circa quæ illæ versantur. Et quidem hoc respectu saltem media vocabuntur, quatenus iis mediantibus Observantia sacra actu exhibetur, non ulterius. Ea itaque ex superioribus huc repetenda venient. III. SOLERS. Hæc prudentiæ pars, solertia nempe, cum circa excogitanda nova media occupetur, vel saltim jam excogitata magis perficienda, atque fini accommodatiora reddenda: In hoc omnia nostra studia, omnemque operam, curam, industriam, mentem denique omnem figere atque locare suadebit. Huc applicavero illud *Pauli* (e) *Εἴ τις ἀρετὴ, καὶ εἴ τις ἔπαινος, ταῦτα λογίζεσθε*; Si quæ amplius (præter jam commemorata) superfuerint, quæ laudabili vestro virtutis studio inservire queant, hæc ratione, a Spiritu sancto illuminata, inquirite. Et primum quidem ipse cosiderandi modus plane industriæ cujusque propriæ relinquitur, quantum fieri possit, solertissime instituendus. Etiam media jam commendata varia inter se componere atque comparare solertiæ fuerit. Dici non potest, quantum in illis rerum comparationibus situm sit. Certe non parum conferet perspecta tam admirabilis operum Divinorum harmonia, ad summam Optimi Autoris sapientiam eo magis extollendam. Exemplum saltim unicum, idque, si ullum aliud, solertiæ maxime debitum, quod *Jean D'Espagne* subministrat, adducam, verbis ejus sub lit. (f) adscriptis. Quisquis aliud desiderat, capiat sibi hominem *μικρόκοσμον* Hebræis etiam עולם הקטן

(e) Phil. IV. 4.

(f) *D'Espagne* **Wunder GOttes in der Ubereinstimmung der Zeit** Præfat. fol. 3. e versione BRUNSENII: Die Zeiten von ihren ersten Anfang haben ihren Lauff gehalten in gewissen Zahlen und Gleichheiten, in welchen die tieffesten Geheimnisse der Geschichte verborgen liegen. Diese wunderbahre Abmessung der Zeiten und Jahre, wie sie anegebreitet und so ordentlich gestellet, ja mit so wunderbahrer Kunst von GOTT, der vor aller Zeit gewesen, eingeschrenckt seyn, führen uns auff die **Betrachtung des unbeschränckten allweisen Göttlichen Wesens.**

& Gregorio *Nazianzeno* (*g*) *alterum quendam mundum in parvo magnum, terrenum & cœlestem*, dictum, eumque comparet cum μακρόκοσμῳ. Habebit, credo, in quo ingenium exrceat. Non possum, quin amœnissimum solertiæ exemplum etiam afferam, quod apud B. W. *Franzium* legi. Hic commemoratum ex Præceptoribus audivisse reitatur, *Italum quendam Anatomiam pulicis eruditissime instituisse, & omnia organula, quantum humana sustinuit industria, persecutum fuisse exactissime, & de re ista omni orationem composuisse elegantem pariter & doctissimam.* Quam sibi studiosissime quæsitam ait, *non propter pulicem, sed propter pulicis creatorem, ut vere pii ansam inde caperent diligenter cogitandi de omni DEI potentia, bonitate & sapientia tum in maximis reliquis & mediocribus, tum & in reliquis contemtissimis quoque clarissime fulgente.* Quod si porro laudes pro malis & afflictionibus, *Solertiæ* quoque (fide tamen suffultæ) tribuam: nescio an multum erravero. Certe valde inusitatum est, quando *Jobus* aliquis, comperta clade pecudum pariter ac filiorum, exclamat: *Benedictum sit nomen Domini!* Iterim & Hebræi Doctores illud agnovere, quorum hoc est effatum (*h*) חיב האדם לברך על הרעה כמו שברך על הטובה *Tenetur homo benedicere pro malo sicut benedicit pro bono.* Tum ex quibusvis aliis rebus extraordinariis, & vulgo pro malis habitis noverit pie solers materiam sanctæ laudationis extrahere. More Chymicorum, qui Spiritum saluberrimum, aut sal, e rebus vulgo ad hoc ipsum ineptis judicatis exprimere didicerunt. Denique huc accensebitur, si quis ita beneficiorum divinorum deprædicationem conformare didicit, ut duplex inde nascatur effectus, v. gr. ut Deum honore afficiat, & proximo simul solatium ac confidentiam excitet. Ut *David* (*i*) qui: *In Jehova*, inquit, *jactabit se anima mea, ut audiant mansueti & lætentur.* Neque prætermittendum solertiæ genus maxime illustre, *Davidi* etiam sæpius frequentatum: Dum videns pius laudum suarum insufficientiam, omnes creaturas, cœlum & terram, angelos & homines, solem, lunam, stellas, maria, montes, animalia, ad celebrationem DEI provocat. IV. DISCRETA. Nimirum in hoc quam maxime prudenter te geres, ut quodnam ex mediis optimum, facillimum, tutissimum, pro temporis, loci, ipsius etiam medii aliisve circumstantiis, personæ tuæ præ ceteris accommodatum sit, apte discernas, atque dispicias. Sic ad considerationem operum DEI, quod attinet, viva expe-

(*g*) Orat. XXXIIX. in Nativ Christi apud B. CALOV. de Creatione.
(*h*) Citante Buxtorffio in Florileg. Hebr.
(*i*) Ps. XXXIV. 3.

rientia

zientia omnino præferenda erit. Qua in parte perplacet consilium *B. Lutheri* in Catechismo majori (*k*) (qui liber propter pulchetrima, quæ continet moralia, a Dno. Prof. *Seb. Edzardi*, Præceptore Honoratissimo etiam atque etiam mihi commendatus est) his verbis expressum: *Hic articulus* (nempe primus Symb. Ap) *nobis quotidie exercendus, menti infigendus, & in memoriam subinde revocandus est, in omnibus, quæcunque nobis eveniunt, vel quando e periculis & necessitatibus liberati emergimus. Sicut Deus hæc omnia nobis largitur, & facit, ut in hoc certis experimentis advertentes discamus paternum ejus erga nos amorem, & inæstimabilem charitatem. Ex hoc certe pectus incalescet, & ad gratiarum actionem promte agendam, mirifice inflammabitur, ut omnibus ejusmodi rebus ad DEI laudem & gloriam utatur. Quæ ingens & pene inæstimabilis cognitio, thesaurus tamen multo præstantior. Et enim hic plane videmus, quomodo Pater cum omnibus creaturis se nobis tradiderit, quamque nos, quamdiu hac vita fruimur, rebus omnibus opulentissime instruat, præterquam quod ineffabilibus & æternis bonis per filium suum & Spiritum S. amplissime cumularit.* Erat in hoc genere exercitatus *Epictetus*, uti ex verbis ejus supra allatis patet. Quid? Quod circa moralem etiam statum suum, quod mirere, providentiam Divinam observabat. Certe vix a mere Philosopho exspectandæ erant hæ cogitationes; (*l*) τότε καὶ ἐγὼ ἡμάρτανον. νῦν δὲ οὐκ ἔτι. Χάρις τῷ Θεῷ, *Tunc & ego peccabam, nunc vero non item. Gratia sit DEO.* Interim cum nec omnia DEI opera, nec semper realiter experiri, aut per peculiarem inspectionem cognoscere integrum sit: maximum etiam habebit usum alter ille modus, repræsentandi nimirum sibi ista. Quod ad *Celebrationem*, interna quidem quandoque magis expediet, quam externa. Tutissimum enim est tacitum illud cogitationum cum DEO commercium, nulla externa vi infringendum. Continget tamen, ubi culpandus foret, qui solo animi affectu, non etiam externis præconiis Nomen Divinum condecorare studeret. Hac quidem in parte selectus nullus habet locum: quod animo quidem semper, quotiescunque in hoc opere versamur, ore tamen aut gestu nunquam solo Deum celebrare debemus. Habemus enim expressum *Christi* (*m*) præceptum: τοὺς προσκυνοῦντας αὐτὸν, ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ δεῖ προσκυνεῖν, Primum in *Spiritu* adorare jubemur, hoc est, non brute corpore solo, sed cogitationibus mentis ad Deum directis, iisque

(*k*) V Libb. Symb. pag. 492.

(*l*) Differt. I 4. c. 4.

(*m*) Joh. IV. 24.

Spiritu

Spiritu Divino sanctificatis. Deinde in *veritate*; Nempe non externa solum specie aut exteriori simulatione; Sed ut cum externis actionibus interiores motus amice conspirent. (*n*) Idque pro circumstantia illius, ad quem hasce laudes dirigimus. Hanc enim causam Christus allegat: *Deus est Spiritus.* Non caro, non substantia visibilis, non effigies corporalis externa. Ergo non ritus corporales, aut externi gestus sufficiunt. Ut adeo hic demum *optimus* (cum *Tullio* (*o*) loquor) *idemque castissimus atque sanctissimus, plenissimusque pietatis cultus sit, si Deum semper pura, integra, incorrupta, & mente, &, huic respondente, voce veneremur.* Praeterea quin socialis DEI celebratio prae solitaria quaerenda sit, dubitari nequit. Nam & exemplum *Davidis* illud docet. Caeterum objecta seligenda cujusque relinquuntur arbitrio.

V. PROVIDA. Hoc est, ut de adminiculis nobis prospiciamus, media nostra faciliora reddentibus. In consideratione quidem operum Div. mire adjuvabimur scientia physica, Historica, Mathematica. Cujus postremae, at minime profecto postremae disciplinae eximium hac in parte usum Vir Clarissimus G. A. *Hambergerus* Professor Jenensis in sua, de *Usu Matheseos in Theologia*, Dissert. fuse & accurate commonstrat. (*p*) Deinde tubis armatis, vel microscopiis, item cultris instrumentisque anatomicis, quanta non detegunt mirandae Conditoris sapientiae τεκμήρια? Quin e scripturis haurientibus opera Divina, quod in subsidium vocanda sit etiam hoc nomine Hermenevtica, quis non videt? Celebrationi porro maxime inserviet Oratoria, Poetica, Musica: Quae adminicula omnia, & quae his possint superaddi, ad illustriorem reddendam DEI gloriam omnino sunt comparanda, atque adhibenda.

VI. CAUTA. Si in ullo negotio, certe in hoc cautio est adhibenda longe maxima, ne quid imprudenter factum, ac tanta majestate, quacum res est, indignum committamus, turpiterque nos demus. Et primum quidem in ipso considerandi modo teneatur illud *Hebraeorum*: (*q*) *Non sunt curiosius investiganda opera DEI. Omnia enim sapienter fecit, tametsi id quandoque absconditum sit ob oculis sapientum.* Dantur infinita opera Div. quae *quanto consilio gerantur*, ut *Tullius* loquitur, *nullo consilio assequi* possis. Ista ergo hic mediocritas diligenter observanda quam ita commendat *Ambrosius*: (*r*) *Qua*

(*n*) V. Chemnit. Harmon. Evang. in hunc loc. pag. m. 210. 211.

(*o*) De Nat. D. l. 2.

(*p*) Vide imprimis §. 15. 18. 19.

(*q*) Pirke avoth apud BUXTORFF. florileg.

(*r*) Nat. D. l. 2.

Deus

Deus occulta esse voluit, non sunt scrutanda: quæ autem manifesta fecit, non sunt neganda. Ne in illis illicite curiosi, & in istis damnabiliter inveniamur ingrati. Neutiquam vero ullam sinistre judicandi arripiamus ansam, imitantes potius *Socratis* sententiam, qui perlustrato *Heracliti opusculo*: *Ea quidem*, inquit, *quæ intellexi ex eodem, nobilia sunt: puto vero etiam ea quæ non intellexi, talia esse.* Quæ cum ex Laertio retulisset *B. Placcius* (t) hanc addit applicationem: *Eundem ego plane in modum de Divinis, quæ dabuntur, operibus scriptisque judicandum fore censeo. Nempe si quæ nobis intelligere concessum est, ea videamus egregia, Deoque digna. Non aliter æstimemus etiam haut intellecta, supraque captum nostrum posita, sese habere.* Quod inprimis in occultis DEI judiciis usu venit, in quibus speciatim hac cautela, a *Witsio* (u) his verbis inculcata opus est: *Non est nostrum de jure DEI ambigere, vel in illud justo curiosius inquirere, multo minus id ad juris inter nos homunciones statuti formulam exigere, ubi de facto constat. Id semper pro DEo præjudicatum sit: Justus in sermone tuo, mundus in judicio tuo Ps. LI. 6. Næ ignorat supremi Numinis Majestatem ejusque purissimam, sibique in omnibus convenientissimam sanctitatem, qui actiones ejus ad calculos revocare audet, illique dicam scribere insuper habita æquitatis. Id in filio nullus terrenus pater, in subdito nullus Rex, in servo nullus Dominus ferret. Et nos vermiculi tantum in totius universi judicem licere promittimus? Quotiescunque murmuratrix caro obstrepere audet; Viæ Domini recta non sunt: toties illi oggerendum: Imo vero tuæ non sunt rectæ. Ezech.* XVIII. 25. Cavendum etiam, ne illa, quæ quotidiano frequentamus usu, flocci pendere suescamus, ut accidat illud: *quotidiana vilescunt.* Quod jam *Tullius* (x) agens de sole, luna & reliquis cœlestibus, querulo hoc illustravit commentario: *Assvetudine quotidiana & consuetudine oculorum adsvescunt animi: neque admirantur, neque requirunt rationes earum rerum, quas semper vident: Perinde, quasi novitas nos magis quam magnitudo rerum debeat ad exquirendas causas* (& celebrandum Deum) *excitare:* Quod utinam non etiam in spiritualibus plus nimis contingeret! Denique & illorum respectu, quibuscum vivimus, cautos nos in hac re agere debemus. Sapienter enim a *Demophilo* dictum: *Apud homines pravis opinionibus imbutos sermonem de DEO instituere haud quaquam tutum est. Nam*

(s) Lib. I. de Vocat. Gent. c. 7. cit. CHEMNIT. L. Th. P. I. pag. 60.
(t) De Fructu Phil. Moral. pag. 136. 137.
(u) Oec. Fœd pag. 15.
(x) De N. D. L. 2.

usque periculosum est; seu vera, seu falsa iis dicantur. VII. OPORTUNA. Ubi jam firmiter apud animum decreveris, omni observantiæ cultu, eaque inprimis, qua nunc par est, ratione, Deum prosequi: etiam illud videndum, ut fiat ἐν καιρῷ (καὶ τόπῳ) σοφίας. (y) Et quidem si in humanis etiam *statim, ubi accepimus beneficium, de reddendo cogitandum*, monente *Seneca*: quanto magis in Divinis? Jam vero non quotidie solum sed singulis adeo momentis Divinis mactamur beneficiis; utpote sine quibus nullo modo salvi atque incolumes esse possumus, ne per momentum quidem. Sequitur ergo, quovis momento Gratitudinis erga Deum meminisse, omnemque adeo vitam nostram continuam laudationem DEI esse oportere. Quod quidem tunc etiam præstabimus, quando omnia vitæ negotia ad DEI gloriam pulchra quadam harmonia sunt composita. Interim nec supra vires humanas est, inter ipsas etiam actiones mentem quandoque ad Deum erigere, laudesque illius explicite meditari. Possemus illud ab *Epicteto* jam didicisse, cujus verba superius allegara sunt. Malo tamen Christiana Christianis exempla proponere. Insigne testimonium est, docente *Witsio* (z) quod sui temporis locique Christianis *Hieronymus* dat, ad *Marcellam* scribens, quum eam ad rus Bethlehemiticum invitaret: *Quocunque:* inquit, *te verteris, arator stivam tenens Alleluja decantat; sudans messor Psalmis se avocat, & curva attondens vites falce vinitor, aliquid Davidicum canit. Hæc sunt in hac provincia carmina, hæ, ut vulgo dicitur, amatoria cantiones.* Inprimis litterarum studio tractantibus quam egregiæ sæpius Deum laudandi sese offerunt occasiones, sive a prospero successu, sive materia ipsa suppeditatæ, quas non arripere profani pectoris indicium foret! Laudatissimum hujus generis exemplum invenio in Dn. *Feldeno* (aa) qui cum inquireret in causas deperditi generis humani, nec tamen solius rationis ope indagare se posse videret: In piam hanc abripitur digressionem: *Tibi, mi Deus, sit laus, honor, & gloria in secula seculorum, quod me in Ecclesia, ubi verbum tuum pure & incorrupte docetur, nasci volueris. Mi JEsu, assiste mihi Spiritu tuo S. ut ex Te Tibi vivam & operer. Tibi moriar, & aliquando tecum sim, Te, τὸν λόγον τῦ πατρὸς, in cujus contemplatione Tui patris perfectissima & suavissima vita posita est, intuear, & particeps fiam. O inenarrabilem felicitatem!* &c. *In hanc gratiarum actionem, Lector benevole, prorupit intellectus meus, cum ista contemplarer* &c. Deinde aliæ occa-

(y) Sirach. XXIII. 6.
(z) Ad. Symb. Ap p. 191.
(aa) Elem. Jur. pag. 437.

siones

ſiones innumeræ, hominibus quibusvis collaudandi Deum affulgebunt. Ita vel pomo veſcentes invenimus cauſas bonitatem Creatoris deprædicandi. Judæis cordatioribus hoc in more poſitum eſſe, ex ore Venerabilis Dn. Lic. *Esdræ Edzardi*, Patroni ac Præceptoris maxime devenerandi, accepi, quod fructum iſtiusmodi comeſturi pronuncient hæc verba: ברוך בורא פרי העץ *Benedictus ſit Creator hujus fructus arboris* (Utinam בוראי potius dicerent, ut eſt Eccleſiaſt. XII. 1. atque ſic Filio cum Spiritu S. ſimul benedicerent!) Sed conſultum quoque fuerit ſtata hujus virtutis exercitio dicate tempora, ſive quotidiana, ſive feſtivalia. Omnino enim rei dignitas illud requirit. Sana eſt hac in parte ſententia *Cocceji* (*bb*) qui *hominem*, ait, *& ſæpe, quantum fieri poteſt, vacare cultui DEI, (hoc eſt, rebus ad corpus ejusque commoditatem pertinentibus, omiſſis, in eo tantum eſſe, quod eſt animi in DEO delicianтis, & eum glorificantis, & ejus laudem celebrantis) Juſtum eſt per ſe, & ad integritatem imaginis DEI pertinet: ut & eum id facere in cœtu ad communem vel lætitiam, vel ædificationem.* Inprimis dies Dominica nullis facile ſacratioribus impendetur ſtudiis. Siquidem ipſi etiam Judæi alteram Sabbathi ſanctificationis partem in contemplatione operum creationis ponunt. Ita enim *R. Selomon Ben Melech* in Commentatio ſuo (propter præſtantiam מכלל יפי id eſt, *Perfectio pulchritudinis* dicto) (*cc*) ſcribit: *Et hæc* (nempe ſanctificatio) *fiet partim contemplatione, partim opere. Contemplatione, recordando operis Creationis, & quod* (Deus) *fortis creaverit illud exiſtens ex nihilo, & exornaverit illud ore ſuo, & corde ſuo, ut oblectaret ſe anima ejus in illo.* Pulchre in hanc ſententiam congruunt *B. Chemnitii* (*dd*) verba: *Voluit Deus in Sabbatho celebrari memoriam Creationis, & quidem ita, ut, ſicut Deus ſex diebus creavit omnia, & requievit die ſeptima, & vidit, quæ fecerat: Ita Sabbatho juſſit cogitari & gratias agi de beneficiis per reliquos ſex dies acceptis. Et circumſtantia quidem temporis abrogata eſt, manet autem genus, ut in Eccleſiaſticis conventibus commemorentur & celebrentur beneficia DEI generalia & ſpecialia. Ut, ſicut Deus vidit omnia, quæ fecerat, ita & nos reſpiciamus opus Domini, & opera manuum ejus conſideremus.* Ecce! Quomodo & hic poſſimus eſſe imitatores DEI, ut dilecti filii! Præterea feſta hujus vel illius beneficii memoriæ ab Eccleſia peculialiter conſecrata, ſunt oportunum illud tempus gloriæ Divinæ ſtudioſo ſedulo captandum. In genere autem nihil hic pro-

(*bb*) Summ. Theol. cap. 21. §. 10.
(*cc*) Jeſ LVIII ad vocem וקרת.
(*dd*) De Lege DEI p. 145.

craſtinandum, nullus cunctationi, nullus tarditati, nullus negligentiæ locus. *Neſcit* enim *tarda molimina Spiritus S. gratia*, ut ait *Ambroſius*. Et negligentia circa opus Domini pediſſequam habet maledictionem. Matute igitur incipiamus, & alacriter continuemus, exemplo *Davidis* (*ee*) qui: Evigila, nablium & cithara: expergiſcar inde ab aurora. (אעירה שחר Ich will frühe auff ſeyn.) VIII. ORDINATA. Quemadmodum Deus eſt Deus ordinis: ita nos quoque non decebit, præſertim ubi cum DEO res eſt, omnia turbare, priora poſterioribus, ima ſummis miſcere, aut ullo modo præpoſtere cum illo agere. Sed *ſingula quaque locum teneant ſortita decenter*, ut canit *Horatius* (*ff*) Cuncta εὐσχημόνως fiant καὶ κατὰ τάξιν, monente Apoſtolo. (*gg*) IX. ALACRIS ac SERIA. Non frigide, non remiſſe, ſed ſtrenue, & induſtrie, & ſyncere, & ardenter, cum quodam animi fervore pia hæc munia exequenda erunt: Sive ut Divinus Spiritus hoc eloquitur (*hh*) ex *toto corde tuo*, id eſt, omnibus cogitationibus mentis in illud defixis (*ii*) *tota anima tua*, id eſt, affectibus tuis, (*kk*) ut pectus incaleſcat amore Divino, & *ex totis viribus tuis*. (Hebr. *toto valde tuo*, Gr. ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος σοῦ) Quod non incommode mihi videor exprimere *Pliniana* locutione, *ut* ſit *omnibus motibus animi conſentaneus vigor corporis*. Vel ἐμφατικωτέρως phraſi *Davidis* (*ll*) qui ait: כל עצמתי תאמרנה *omnia oſſa mea dicent*. (quanta emphaſis!) *Jehova quis eſt par tibi?* id eſt, præſtantiſſimum robur meum (quod eſt in oſſibus) magnificabit Jehovam. *Chriſtus* addit (*mm*) ἐξ ὅλης τῆς διανοίας σου, *Wich is the* efficacie *both of the* mind, *and* wil, ut ait *Anglus*, id eſt, *quæ eſt* efficacia mentis *pariter &* voluntatis. *Scriba* utitur voce σύνεσις intelligentia. Qua cumulatione vocum, cogitationes mentales deſignantium, id puto indicari, quod potiſſimum mentem, id eſt ſpiritualem noſtram partem, quæ & Spiritus in ſcriptura dicitur, quatenus a Spiritu S. ſanctificata eſt, Deus requirat. Quæ omnia breviter, at nervoſe, ὁ λόγος ὑποςατικὸς comprehendit ſub illo; ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ. Quicquid

(*ee*) Pſ. CII. 3.
(*ff*) De Arte Poet. lib. I.
(*gg*) 1. Cor. XIV. 4.
(*hh*) Deut. VI. 5.
(*ii*) Cordi enim Scriptura quandoque tribuit ſapientiam & intelligentiam vid. 1. Reg. III. 9. 11. 12. Prov. II. 2. 10. ut annotat. Henr. AINSWORTH Anglus in h. l.
(*kk*) Ut idem explicat.
(*ll*) Pſ. CXXXV. 10.
(*mm*) Marc. XII. 30.

enim

enim ex omnibus viribus fit, illud demum in veritate, non hypocritice, fieri dicendum est. Sit ergo hoc nostrum ἔργον cui toti vacemus: non ut πάρεργον. οὐ γὰρ πάρεργον δεῖ ποιεῖσθαι τὸν Θεὸν, quod etiam Ethnicus (*nn*) noverat. Quin & intendamus vires pro beneficii magnitudine. ὅσῳ γὰρ μείζονος ἠξιώθημεν τιμῆς, τοσούτῳ καὶ πλείονος ἀρετῆς ἐσμὲν ὀφειλέται, *Quo major enim est honos, quo nos dignatus est Deus, eo majoris virtutis sumus debitores*, verba sunt *Chrysostomi.* (*nn*) Non autem contra vires remittamus, ad quod jam sic satis proclives sumus. Nullum enim opus aut beneficium DEI tam parvum est, quod nostra æstimatio laudibus exæquare valeat. X. CONSTANS. *Natura comparatum est, ut quisquis se aliquid ordine ac recte mente complexum confidit; Vel jam gestum, si obtrectetur, acriter tueatur, vel nondum editum si interpelletur, sine cunctatione ad effectum perducat*, ait non nemo, cujus nomen excidit. Sane eadem constantia & hujus pietatis ornat cultorem. Tum in ipso virtutis actu, continenti devotæ industriæ filo, non interrupte, hæc tela pertexenda, inoffensoque cursu pergendum; tum per omnem vitam summa ope nitendum, ne, si quasdam in pectore radices egerit virtus, ullo modo iterum extirpetur. Præclare *Epictetus*: ὑμνεῖν με δεῖ τὸν Θεὸν, τοῦτο μου τὸ ἔργον ἐστί. ποιῶ αὐτὸ οὐδ' ἐγκαταλείψω τὴν πρᾶξιν ταύτην, ἔφοβον ἂν δίδωται. XI. ÆQUABILIS Denique cuncta hæc superius enumerata pulchra quadam harmonia apte inter se consonent h. e. Primum, ne simus nimis rigidi semel decretorum exactores, nec ita propositi tenaces, ut, si res ferat, quicquam immutare nolimus. Deinde ne alterutri nimis intenti, alterum interea segnius curemus.

CAPUT III.

NOSOLOGIA OBSERVANTIÆ S.

Verissime pronunciavit *Plutarchus*, (*a*) esse quædam νοσήματα καὶ πάθη τῆς ψυχῆς τὰ κατὰ φύσιν ἐξιστάντα, *morbos animi qui hominem de naturali statu dejiciant*: Quamvis ipse veram horum causam atque originem sine dubio ignoraverit. Nos illos quatenus superioribus virtutibus oppositi

(*nn*) Ibid. vers. 35.
(*oo*) JAMBLICH. Vit. Pyth. c 18. pag. 87.
(*pp*) In Joh. XIV.
(*a*) Apud H. GROTIUM J. B. & P. l. II. c. XX. §. XLIII. 2.

ſunt breviter hic quidem perſtringemus (cum priora capita jam ſub manu creverint) mox in *Semiotica* per ſigna eorundem larius deducturi. 1. *Inobſervantia ſacra.* (*b*) eſt Impietas conſiderandis DEI operibus nullam impendens curam. 2. *Obſervantia ſacra inepta* vel *perverſa*, contra aliquam virtutis partem peccans: *Species* poſſint eſſe: 3. *Curioſitas nimia* in ſcrutandis DEI operibus. Item *Conſiderantia non - attenta*, *ſomnolenta*, *ad alium finem directa.* 4. *Illaudatio DEI* eſt impietas Deum debita laude ac honore ſpolians. 5. *Achariſtia* ſeu ingratitudo erga Deum, quæ beneficia Divina tanquam ſorte oblata inſuper habet, nec deprædicat. Vid. *Danhauer* l. c. 6. *Celebratio Dei perverſa*, id eſt, vel ſuperſtitioſa, vel non ex fide profecta, vel indevota, frigida, interrupta, diſtracta. Cui valde affinis: 7. *Celebratio DEI hypocritica*, quando homo externa reverentia venerationem mentitur, animo a Deo alienus, rebus humanis irretitus. 8. *Veneratio Idololatrica*, creaturis majorem Creatore, vel ſaltim parem exhibens honorem. 9. *Irreverentia ſacra* de externa ſanctitate, devotoque & decoro corporis habitu parum ſollicita. 10. *Blaſphemia*, ſ. *Adſpernatio DEI*, impietas parum honorifice de DEO ſentiens, vel maledictis etiam, & criminationibus, imo quibusvis DEO indignis ſermonibus Divini Numinis gloriam conſpurcare non erubeſcens.

CAPUT. IV.

SEMEJOTICA OBSERVANTIÆ S.

§. I.

Quemadmodum Medicorum filii in Semiotica exponunt indicia morborum & ſanitatis, ita hæc doctrinæ Moralis pars tradit ſigna ex quibus de latitantibus in homine virtutibus aut vitiis judicium fieri poſſit. Qualia hic etiam ſat multa congerere liceret: niſi præcipua ſaltem parca manu legere brevitatis ſtudium juberet. Illud vero hic ſtatim monendum, non propterea hanc partem pertractari, ut anſam capiamus proximum deſpiciendi, aut ſugillandi: ſi forte vitiorum quædam ſigna in illo animadvertamus. Sed hic demum rectus eſt horum gnoriſmatum finis ac ſcopus, ut noſtræ cujusque conſcientiæ detegant, ſimusne amantes DEI, an minus? Quoad proximum

(*b*) Vid. PLACC. Acceſſ. Eth. Noſol. cap. I. §. IV. def. 1. ſqq.

(*c*) Diſſ. L. III. c. 26. & L. IV. c. 7.

vero,

vero, ut si virtute prædirum videamus, amicitiam ejus amplectamur, & ad exemplum illius nostros mores componamus. Si vero a pietate alienus, ut vel vitemus frequens cum illo commercium: vel, si fieri possit ipsum emendemus. Cavendum porro ne ex uno statim signo & quidem solo sententiam de hominis moribus feramus, ut plerumque fit, sed, collatis etiam cæteris, videamus an sæpius ita agere soleat. Sed nunc age ad rem ipsam deveniamus. Sunt nimirum Observantiæ sacræ signa vel *Antecedentia*, vel *Concomitantia*, vel *Consequentia*. Ulterius enim ea discriminari nunc non vacat, neque etiam de subtiliori ordinatione multum erimus solliciti. Ac possunt sine ista ad praxin sufficere: Donec accuratiori meditationi tempus & occasio suppetat.

§. II. *Antecedentia Observantiæ sacræ signa.*

1. Quisquis plane nescit, esse hoc officii sui, ut Deum observet, & observans diligat, nec discere cupit, quomodo isto officio fungendum sit, is erit instar candelæ, nondum accensæ: nullos enim sparget radios, nullos, inquam, virtutis edere poterit actus. E contrario non semper valet: Quisquis optima de virtute instructus est scientia, idem & ipsa virtute præditus est. 2. Qui errore aliquo mentis occupatus judicat, rem non esse tanti, facilem admittere dispensationem, vel excusationem hujus virtutis neglectum; næ is exiguam ad illam prodit inclinationem suam. Candelæ fumiganti non absimilis, cujus lucem tenebras rectius quam lucem dixeris. Parem enim pravis ejusmodi imbutus opinionibus virtutis habebit splendorem. 3. Quisquis nunquam serio sibi proposuerit, quamcunque laudum Divinarum occasionem arripere, dubito an is observantiæ sacræ admodum studiosus sit. 4. Si quis autem subeuntes forte animum cogitationes de observantia s. excolenda repente, tanquam carbones ignitos de veste excusserit, hunc sua ipsius conscientia aversi a pietate animi arguit. Contra: 5. quisquis hoc unice in votis habet, ut possit grata DEO thura, quam sæpissime afferre; vel 6. Cujus animum id sollicitum plane reddit, quod sufficienter & ex voto Deum laudare, ac gratum ipsi animum satis declarare nequeat, (Qualia signa apud Davidem passim reperias) de ejus in hanc virtutem propensione, nihil est, quod ambigas. 7. Qui æque lubenter celeriterque observantiæ sacræ exercitium capessunt, ac pueri petulantes atque ignavi solent libris operam dare, his pietas videtur molesta esse 8. Qui quam rarissime tandem ad illud accedunt, de his idem judicium faciendum quod de clientibus, qui salutandi officium Patronis non nisi summa necessitate coacti præstabant. Parvi enim hoc erga Patronum amoris indicium erat. 9. Quisquis desiderio loci, vel potius congregationis sancto-

virtutis defectum agnosco. Quod genus hominum tamen plerumque pessimis aliis vitiis se comquinabit, ac voluptatibus carnis indulgebit: Quia veram in Deo voluptatem nesciunt, nec requirunt. *Ut Jesaias* (b) de Judæis queritur; ad quem locum *Tremellius*: *nihil respiciunt*, inquit, *nihil audiunt, nihil denique sapiunt, nisi luxum suum, & ad nihil eorum, quæ facit Deus, animum aut sensus advertunt.* 3. Etiam vitii quid jam habere videtur dubitatio, aut nimia circa bonitatem operum Divinorum suspensio. *Proximus enim est a negante, qui dubitaverit*: effatum *Senecæ* (c) huc quoque applicandum. 4. Præsentia finis mali facile etiam de malitia observantiam S. præ se ferentis testabitur. Sic (α) alii sola præmii spe ad observandum Deum adducuntur, ita, ut hic primarius scopus sit: æquo id quidem ferentes animo, si forte gloriæ quid ad Deum simul inde redundet, interim non tam de hac, quam de proprio commodo solliciti. (β) Alii ad Curiositatem meram, atque oblectationem propriam, operum Div. studio tenentur: Vel ut rerum mirabilium copia sint instructi, ac differendi suppetat materia. Hæc pomposa, illa vero otiosa, utraque vitiosa erit contemplatio, de qua hæc *Witsii* (b) querela: *Maluit mundus otiose opera DEI contemplari, frigideque de iis disserere, nullum interea Conditori honorem exhibendo.* (γ) Alii solius consuetudinis, quæ forte invaluit, observandæ gratia, vel, ut ne aliis hymnum DEO decantantibus soli desipere videantur, virtuti huic operam dant. More illorum, qui frequentant templa, ne ab omni religione videantur alieni. Hoc autem est vereri hominum censuram magis, quam Divini numinis contemtum exhorrescere. (δ) Eodem laborat vitio, qui non solum non impius, sed insigniter religiosus Pharisaico fastu haberi cupit. Dirigitur enim utique hac via virtutis exercitium ad ostentationem, Christo tantopete invisam. Quamvis putem rarius hac in parte delinqui; Cum plerique minus, quam nimis pii in gratiam hominum esse malint. 5. Quicunque in sermone vel scriptis nunquam cogitationes ad venerationem DEI deflectunt, ubi tamen ejus rei occasio præsto erat, hi observantiæ sacræ nondum assveti videntur. 6. Qui frigide se in ipso actu gerunt, distractis ad alia cogitationibus, huic vero rei tantum obiter intenti, his pietatem haberi πάρεργον, facile colligitur. Exigui amoris erga Deum nota! 7. Qui vix inceptum gloriæ Divinæ præconium iterum deserturi vix degustant tanquam canes e Nilo: vel si hoc non permittat pudor, de nulla tamen re magis, quam de exitu, v. gr. hymni sol-

(b) C. V. 12.
(c) Ad Symb. Ap. Exerc. vid. pag 2.

liciti ſunt, iis honorem DEI cordi eſſe vix tibi perſuaſeris. 8. Perverſa DEI celebratio eſt, & quaſi adulatio, vel potius juſtitiæ Divinæ illata injuria: Si putes non convenire bonitati Divinæ, pati eos in æternum miſeros eſſe, qui amicitiam ejus tanto tempore continuo oblatam, impie repudiaverint. 9. Perverſe tamen æque Deum celebrant, qui otioſe ſemper de Divinis meditabundi ſanctam quandam quietem ſibi fingunt, & neſcio quam *ἀπραξίαν*, negligentes interea charitatis erga proximum opera (*d*) 10. Abſurda eſt veneratio DEI ac ſuperſtitioſa, eum in ſtatua honore afficere. 10. Idololatras etiam agunt, qui Diabolo vel hominibus tribuunt DEO accepta ferenda. 11. Neque multum ab hac labe ſunt alieni, *qui nimium* (ut verbis *Durrii* (*e*) utar) *& inordinate jactitant vires ingenii, & corporis, nec eas, aut facta, qua per easdem feliciter geſta ſint, DEI potentia & benignitati imputant.* Quos & Henr. *Mullerus* idololatriæ ex prava philautia ortæ inſimulat. (*f*) 12. Sicut e contrario non modeſti ſolum, ſed & Deum celebrantis nota eſt, qui virtutes ſuas ac præclare facta, non ſua, ſed DEI, hæc per ipſum operantis, agnoſcit, ſecundum illud *Plutarchi.* (*g*) *Qui coguntur ſemet ipſos laudare, minus ſe exhibent moleſtos, ſi non omnia ſibi adſcribant:* Sed *quicquid gloria ineſt oneroſum, id DEO acceptum ferant.* Quod licet Ethnici monitum, dignum tamen merito judicat *Durrius*, quod etiam Chriſtianis perpetuo ob oculos verſetur. Ejusmodi piæ modeſtiæ indicium præbebat celebris caſtrorum Svecorum Imperator *Joh. Torſtenſohnius*, qui (ut Rev. Dn. Lic. *Edzardi* commemorantem audivi,) aliis res geſtas ipſius deprædicantibus *quid:* ait, *egone miſellus podagricus quicquam effecero? Imo vero DEI hac opera ſunt, non mea.* Præclaras etiam ſuæ erga Deum *obſervantia* ſignificationes dedit *laudatiſſimus* Princeps Auriacus *Mauritius*, qui, rebus feliciter contra Hiſpanos geſtis, ſuper diſperſas in moneta conſpicuas hoſtium copias hæc ſcribi juſſit verba: A DOMINO FACTUM EST ISTUD, ET EST MIRABILE IN OCULIS NOSTRIS. Speciatim ingratis in verbum DEI accenſendi ſunt, qui vel parum reverenter illud tractant, vel contemtis (quod utinam non fieret!) nominibus appellant, vel Enthuſiaſticis etiam ſomniis ac figmentis aliisque abſurdis pſeudhermeniis interpolare non erubeſcunt. 14. Quicunque

(*d*) Quales inepte pios vide ſaniora docentem Lic. Foriſch, in ſeinem in GOtt ſtillen Chriſtenthum.

(*e*) Theol. Mor. Part. 1. Sect. 1. cap. 1. cap. 1. §. LVIII. pag. 62.

(*f*) Jn ſeinem Himmliſchen Liebes Kuß pag. 849.

(*g*) De laude ſua ipſius apud DURR. pag. 63.

afflicti-

afflictiones, & alia quævis judicia DEI finiſtre interpretantur, de magnis in hac virtute progreſſibus non multum gloriari poſſunt. Quam infirmitatem ingenue de ſe confeſſus eſt *B Lutherus*, nemorante *Durrio*, ſcribens: *Multa hore ſunt, in quibus cum DEO rixor. Mihi via & judicium DEI diſplicet; ipſi viciſſim diſplicet mea impatientia, murmuratio*, &c. Parum reverenter de tempeſtatibus ſentientes, hoc ipſo teſtantur, parum ſe in hac virtute profeciſſe. Siquidem non agnoſcunt, quod Deus ſit בורא רוח *Creator venti, efficiens auroram obſcuram*; *Neque credunt dictum Domini.* (*h*) *Ego cohibeo a vobis imbrem, dimitto pluviam ſuper civitatem unam; ſuper alteram vero civitatem non dimitto pluviam.* (*i*) Unde corrigendam eſſe vocem, nec dicendum, pluit, ronat, &c. Sed *Deus pluit*, *Deus tonat* B. W. *Franzius* pie monet in Tr. *de Interpret. S. Scripturæ.* 16. A Blaſphemia proxime abeſt facere Deum autorem peccati, ſi non directe, ſaltim oblique. 17. Eodem ſe crimine polluunt, qui Momi inſaniam in ſe refloreſcere patientes, corrigere Deum in factis ſuis non verentur. Qua in parte peccabat *Alphonſus* Arragoniæ Rex, exiſtimans (ſi vera ſunt quæ de illo referuntur) *Deum hunc mundum parum ſapienter adeo condidiſſe, ut vel, ſibi ſi liceret, meliorem & accomodatiorem hominum generi ſit daturus.* In quo quidem Rege alioqui etiam *gratitudinis ſacræ* indicia obſerves licet. Cum enim laudibus a quodam evectus eſſet; dixiſſe fertur; (*k*) *Si vera ſunt, quæ de me prædicas, DEO optimo maxime gratias ago: Sin aliter; vera ut iſthæc faciat, oro atque obſecro.* Cæterum nonnullos blaſpheme ingratos, recenſet *Seneca* (*l*) quos *iniquos munerum Divinorum æſtimatores* vocat. 18. Qui alios huic pietati deditos derident atque contemnunt, depravatam malitiam ſuam ſatis produnt. 19. Qui vero ne aliorum quidem ludibriis abſterrentur a pio propoſito, eximium jam in pietate gradum aſſecuti videntur: Exemplo *Davidis*, qui illuſus a Michale ſua nihilominus in DEO deliciari pergit. Et ſane teſtantur pſalmi ipſius, quantos in hac virtute progreſſus fecerit. 20. Optime etiam cum illis comparatum eſt, qui audientes ab aliis hymnum DEO decantari, lætantur, conſortioque illorum delectantur. 21. Denique ex virtutum & vitiorum nexu argumentari licet; Ingrati erga homines, plerumque & in Deum ingrati

(*h*) Amos. IV. 13.
(*i*) Ib. v. 7.
(*k*) v. LYC. Apophth. pag. 558.
(*l*) de Benef. L. II. c. XXIX.

erunt. Unde & Persæ (*m*) *τὰς ἀχαρίστους καὶ περὶ Θεοὺς ἂν μάλιστα ἀμελῶς ἔχειν ingratos etiam erga Deum maxime incuriosos* censebant. Et loquentes pacem cum proximis suis, malitia obtinente in animo, *Davidi* (*n*) etiam dicuntur *non animadvertentes ad opera Jehovæ.* Coronidis loco non pigebit, integrum, Regis ac Domini JEsu Christi majestatem rite venerantis, verique illius adoratoris, Characterem *Witsii* (*o*) verbis hic delineare: *Nimirum qui non ore tantum, & ex consuetudine, sed ex arcana Spiritus persuasione, Christum Dominum dicunt; ii tantam in ipso Deitatis excellentiam, tantam virtutum Divinarum sublimitatem, tam uberem gratiæ abundantiam, tam venerandam denique gloriæ ex omnibus illis resultantis coruscantiaque majestatem suspiciunt: Ut quicquid unquam præclarum augustumque in mundo visum est, quicquid in seraphinorum Cherubinorumque Choris illustre splendidumque micat, ei collatum fumus videatur, & umbra umbræ. Nemo certe dominatum Christi rite venerabitur, qui non eum creaturis omnibus immensum excellere perpendit, dignumque agnoscit, quem secum omnes orbis terrarum Principes, Reges, Imperatores; Omnes cœlestium Angelorum ordines cernui colant, celebrent, adorent; Coronas suas ad pedes ejus deponentes: qui non denique ita illius unius gloria in admirationem raptus est, ut totus ad eam esse cupiat gestiatque.* Quum Dominus tuus sit, incurva te ei. Psal. XLV. 12.

CAPUT V.

THERAPEUTICA OBSERVANTIÆ S.

§. I.

Devenio nunc ad partem doctrinæ moralis longe præstantissimam, sine qua *Hygieine*, illustri *Verulamio* (*a*) judice, *nihil aliud videtur, quam imago quædam, aut statua, pulchra quidem adspectu, sed motu & vita destituta.* Siquidem, ipsius etiam *Stagyritæ* confessione, *inutile fere fuerit virtutem quidem nosse, acquirendæ autem ejus modos & vias ignorare.* Ipsam igitur rem aggressurus, statim id operam dabo, ut secundum *Modum medendi mo-*

(*m*) Apud Xenophontem in Cyropædia. v. Dni Dris WALTHERI Disp. de Gratitud. & SENECAM l. c. C. XXX.

(*n*) Psal XXVII. 3. 4.

(*o*) In Symb. Ap. pag. 219. § XIV.

(*a*) De Augenda Eth. Cap. III. edit. cum. Comm. PLACCII.

ralem

ralem B. Placcii Cap. V. Therap. præſcriptam, conſilia hæc diſpertiam, ſeligendo pro hujus virtutis ratione præcipua, & componendo, ordinandoque ita, uti ad Praxin viſum fuerit quam maxime accommodatum. Eo autem potiſſimum hæc collineant, uti jam non obſcure indicatum eſt, ut pulchrum virtutis ſimulacrum tanquam extra nos poſitum mirabundi contemplari deſinamus, & manum potius ipſi admoventes, habitum ejus, quantum maxime fieri poſſit, in animum noſtrum introducamus, vitia vero ſi quæ adſint, exterminemus. Nam *qui didicit*, ut *Seneca* (*b*) autor eſt, *& facienda ac vitanda præcipit, nondum ſapiens eſt: niſi in EA, quæ didicit* (en pulchram finis expreſſionem) ANIMUS TRANSFIGURATUS EST. Nimirum ita virtutis imaginem animo inhærere oportet, ut impoſterum promte, expedire, & cum voluptate, pia hæc munia obeamus. Equidem cum & initia, & incrementa virtutum Divinæ debeantur gratiæ (quod etiam Ethnici videbant (*c*)) nobis hic nihil relictum erit, niſi, ut recipiendis DEI operationibus ſaltem non ineptiores nos reddamus. Nec enim plane *otioſe*, Enthuſiaſtarum ritu, & Manichæorum, *exſpectanda eſt illa infuſio qualitatum, ſine ulla noſtra actione* (*d*) ſed omnino in noſtra manu divino beneficio poſita conferenda ſunt, idque per Therapeuticam. Præterea nec illud prætermittendum, quod nos Chriſtiani, ex quo per ſacramentum initiationis in Eccleſiam DEI ſumus recepti, eximia præ cæteris ad virtutes gaudemus aptitudine ac diſpoſitione. Quæ tanta eſt etiam hujus ipſius virtutis reſpectu, ut ab ore *infantum & lactentium fundatam ſibi poſuiſſe laudem Deus* (*e*) dicatur. Unde nec credo futurum quenquam, intra Eccleſiæ pomæria natum, qui Deum ſibi laudandum eſſe plane ignoret. At ſicuti homo, etiamſi vivus & ſanus in lucem editus, tamen multimoda poſt nativitatem indiget cura, non ſolum ut nutriatur, ſed & ab ingruentibus morbis defendatur: Parili ratione homo poſt ſpiritualem nativitatem variis morbis, tum ab inſita infirmitate, tum a contagio mundi & ſpirituum malignorum facile orituris, eſt obnoxius, quibus etiam correptus, ita ſæpe ſuperatur, ut mortuo non ſit abſimilis. Ita igitur conſtituto, vel potius depravato parantur pharmaca, quorum ope, quantum in homine ſitum eſt, (nam DEI auxilia acceptanti ſemper præſto ſunt, non ſecus ac aer reſpi-

(*b*) Ep. 95.

(*c*) Vid. Max. Tyr. Diſſert. 22. an aliquis divinitus bonus fiat.

(*d*) Vid. CHEMNIT. de Lib. Arbitr. pag. m. 433.

(*e*) Pſalm. VIII. 3.

ranti) meliori restituatur vitæ, vel si restitutus sit, in eadem conservetur. Illa nunc sequuntur in quatuor classes redacta.

§. II. *Preparatoria.*

1. Quod si forte saniores, hujus te officii admonentes, in mentem veniant cogitationes, sive verbo DEI, sive aliorum adhortationibus excitatæ, sive alio quocunque modo ortæ: noli istas expellere. Res divina agitur. Fove igitur istas, mentemque adverte. (*a*) 2. Statim in te descende, inquire in te ope *Semeiotices*, quantum potes, coargue te ipsum, & examina, quo in loco res tuæ sint, num rite hactenus officio tuo functus sis, an minus? *Initium est salutis, notitia peccati. Nam qui peccare se nescit, corrigi non vult;* Ut recte notat *Seneca.* (*b*) Id vero potissimum attende, ad quod vitii genus prolapsus fueris? Num ad contradictorie opposita? Quæ peccata commissionis Theologis audiunt, & qualia hic sunt: *Blasphemia*, *Idololatrica*, & *superstitiosa observantia*: an vero contrarie saltem & privative opposita, sive *omissionis* delicta? 3. Si pro virtute vitia reperias: habes sane quod doleas. Namque Deum debito honore fraudasse, vah! Quantum hoc est! Et quis sine tristitia, pudore, pœnitentia cogitare possit, quod per tantum tempus tot beneficiis Divinis ingratus frui non dubitaverit? 4. Istæ cogitationes, si seriæ fuerint, non poterunt non jam voluntatem aliquomodo disponere, ut velle incipias, quæ ad virtutem in posterum sectandam, vitia vero abolenda te reddere queant aptiorem. 5. Cum vero sine adjumento Divino nihil hic tibi licere ex intima imbecillitatis conscientia certus sis: Proximum erit, ut vota ad Deum dirigas, primum quidem deprecatoria per Christum, hinc ulteriorem emendationem sollicitantia.

§. III. *Præservatoria.*

Porro de remediis, quæ afferre valeas, cogitaturus: pro ratione morbi feliges medicamina. Si deprehenderis *Blasphemiam*, vel *Idololatricam* &

(*a*) Ejusmodi initium in Therapeutica fere semper fieri, sunt rationes quæ suadent, & experientia testatur. Confer. PLACCII Typus Access. Mor. Ther. C. II. §. II. n. 1. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

(*b*) De ista autem bonarum cogitationum origine & occasione. v. Dn. Dris FECHTII Diss. de Ordine Modoque Gratiæ in Conversione hominis ejusque inprimis Aphor. VI. VII. VIII. IX.

(*c*) Epist. 28.

super-

superstitiosam observantiam (quod quidem raro cuipiam contingere speravero) applicabis remedia *Præservatoria Placcio* dicta, quæ vitiis directe oppugnandis inserviunt. 1. Cum hæc vitia tam fœda, tamque abominanda sint, ut vel ad solum nomen horrere debeas: Siquidem læsæ Majestatis divinæ crimina recte dixeris: Primum quidem id necessarium fuerit, ut de ipsa vitiorum natura te recte informes, ut cognoscas, quot modis committi queant. Multi peccant, quod vitia non reputant, quæ tamen vitia sunt. 2. Deinde diligenter cavebis, tum cogitata omnia custodiendo, ne quid horum subnascatur, tum verba, ne ullum in Majestatem Divinam injurium excidat.

§. IV. *Præservatorio-Curatoria.*

Si vero *omissione* saltim debitæ in Deum *observantiæ*, ac *gratitudinis*, aut *hypocrisi* etiam, aut quacunque alia inepta Celebratione peccaveris: Iterum constare debent e conscientiæ examine causæ, quæ virtutis exercitium hactenus impediverint. Siquidem latentibus causis morbi, dubito an idonea remedia parari queant. Hic autem cognitis inservient *remedia Curatoria*, virtutum defectus ipsis virtutibus compensantia, adeoque cum *Præservatoriis* omnino conjuncta. Quod hic aliter fieri non potest. Nam eo ipso, quod vitia, circa quæ hic quidem versamur, tolluntur, statim ipsæ virtutes introducuntur, ac in nobis generantur. vid. hac de re *B. Placcii* Ethica Germ. Therap. C. V. §. 1. Et Accesf. Eth. p. 639. Si mentem laborare animadverteris, si nondum exacta instructus fueris scientia. Forsan erroribus ac præjudiciis occupatus es, dubiis in diversum traheris: id age, quæso, impende aliquantum temporis huic studio, ut perdiscas, quæ salva conscientia ignorare non potes. Extant scripta, ex quibus præclaram ejus cognitionem haurias, inprimis sacer Codex optime te illam edocebit, non præcepta solum præscribendo, sed etiam in exemplis imaginem ejus delineando. Ista meditare: non autem desultorie; sed accurate, atque ita, ut menti insigantur tam salutaria monita, ut *pars tui fiant* (ita *Seneca*) *eoque quotidiana meditatione perducantur, ut sua sponte occurrant, & ubique, ac statim, desiderata præsto sint.* Non poterit pictor effigiem rite exprimere, nisi ideam Archetypi animo probe complexus sit. Nec quisquam virtutem actione recte expresserit; Nisi ὑποτύπωσις ὑγιαινόντων λόγων in mente efformata sit. Contuere ergo virtutem non amplius sub fallaci specie, sed in vera & nativa forma sua. Atque ad hoc adhibe Logicam tuam, ut omnia, si quæ oggerantur, perversæ naturæ sophismata, feliciter solvas, fallaciisque ejus obviam ire valeas

valeas. 2. At plerumque morbus residet in voluntate. Nimirum scis quod rectum est, uti olim Athenienses: (*a*) & tamen facere renuis. Obligationem agnoscis: at officium detrectas. Divinitus mandatum esse non latet; at voluntas nullum præstat obsequium. Quid ergo consilii? Evolve quæso Legis Divinæ tabulas. Cogita, divinum esse mandatum, cui simpliciter obediendum. Cogita præcipientis autoritatem. Deus est, a quo totus pendes. Perpende præmia, certissimos hujus virtutis comites. Nimirum uberrimos tam in hoc quam futuro ævo exspectandos fructus. Quod si homini etiam multo majori curæ est is, qui beneficia in ipsum collata gratus agnoscit, quam is, qui obliviscitur: quanto magis etiam a Deo plura sperare poterit, qui in referenda gratia non fuerit negligens. Ob oculos tibi pone jucunditatem, qua quidem hæc virtus omnes reliquas antecellere videtur. *Jucundissimum est in rebus humanis amari*, inquit *Plinius*, (*b*) *sed non minus amare.* Unde est ista jucunditas, quam ex aliorum amore sentis? Nimirum quod & tu te amari nosti. Quod si nescires, ex aliorum quamvis vehementissimo amore nihil voluptatis percepturus esses. Jam vero unde, quæso, agnosces DEI in te flagrantissimum amorem: nisi beneficia ejus consideres. Dum autem illa rite æstimas, & gratus recordaris, revera Deum amas, en iterum tibi jucundum illud studium! Præterea nec insuper habe aliorum adhortationes. Inprimis quas ex DEI ipsius ore in Psalmis Davidicis passim reperias, in animum illabi sine, & instar præceptionum tibi dictas puta. Moveant te aliorum exempla, præcipue primorum Christianorum hujus pietatis studiosissimorum, inter quorum posteros (utinam & sectatores) nomen profiteris. Pudorem incuriant exempla Ethnicorum & Judæorum. Christianus es, & majori gratia a DEO dignus habitus, & in laudando Deum Ethnicis concedis. Flectat te denique pœnarum metus præcepto huic peculiariter annexarum, quarum haud postremam nosti hanc esse, quod DEus subtrahat beneficia ingratis. Deinde si aversus a laudibus Divinis animus aversionis a DEO sibi ipsi indicio est: sufficiat cogitasse tantam miseriæ magnitudinem! Hæc si diligenti tecum animo volutaveris: Ferreus sis oportet, nisi commovearis. Imo crediderim, fieri non posse, quin firmo voluntatis proposito, quod voti, imo sacramenti vim obtineat, ita te DEO devoveas, ut nisi DEI in posterum continuo cum laude memineris, satis salvum non fore te existimes. Quod pium voluntatis de-

(*a*) Vid. Cic de Senect.

(*b*) In Panegyrico.

cretum

cretum lingua sæpius in forma præcationis profert hoc pacto: *Impleatur os meum laude tua, toto die gloria tua.* Pf. LXXI. 8. Atque sic putem voluntatis tum ad omissionem tum ad hypocrisin propensionem eodem curati negotio. Nam velle aliquid ex proæresi, & velle ex animo, unum idemque est. 3. *Quod quis vult, illud facit*, canon est Philosophicus. Sed recte additur, *quando potest.* Est enim & hic innata quædam imbecillitas, quæ etiam recte volentem sæpius a pia grataque DEI commemoratione avocat, idque vel ut non satis crebro faciat officium, vel non satis fervide, aut alio quovis modo inepte. Priori infirmitati recte medentur mnemosyna. Siquidem oblivio unica videtur causa esse, quod negligas, quæ tamen cordi sunt. Optima autem erunt in hoc genere memoriæ subsidia, quæ & memoriam excitant, & voluntatem incitant. De cujusmodi mnemosyno prospexit tibi, O homo, servator tuus. De quo recte etiam illud sacri vatis usurpaveris: *Memoriam comparavit mirabilibus suis, gratiosus & misericors Jehova:* Dum scilicet plenissimam sui copiam nobis faciens in S. Cœna, adjecit vocem: εἰς μνείαν ἐμοῦ. Nimirum optimum atque maximum Dei beneficium, salutis humanæ reparatio, etiam peculiare sibi postulabat mnemosynon. Cui hæc insuper Divina virtus inest, atque præstantia, quod tum alias virtutes omnes, tum inprimis hanc, animo ingenerare valeat quam efficacissime. Hoc autem sicuti ad maxime solennem Christi recordationem facit: Ita, cum quotidie Benefactoris memores esse deceat, etiam alia sunt memoriæ paranda adminicula. Quorum quidem alia ipsa Dei beneficia in memoriam revocabunt. Qua in parte sibi ipsi rectissime consulet, qui in commentaria retulerit, quotiescunque peculiare benignitatis divinæ documentum observaverit, uti sueverat *B. Placcius.* Siquidem Divina in nos merita hac industria digna videntur, atque erit eorum relectio non jucunda minus, quam pia ac utilis. Alia iterum mnemosyna saltim officii commonefacient. Qualia sibi quisque pro suo constituere potest ingenio, picturas, emblemata, sententias, parieti aliisve locis adscribendo. Versetur etiam in animo, si non ore, dictum huic fini maxime congruum. Commendant idem *Rabbini* (c) hac sententia: *Adsuefaciat se homo, ut semper dicat: Quicquid Deus facit, in bonum facit.* Ita litterarum studiis addicto inservier illud *Theodoreti*, sub lectionem cujusque libri pietatis nos admonens: *Eos, qui alienis superveniunt laboribus, moneo, si quidem omnia bene se habeant, quæ scripta sunt, illorum ut commemorent Datorem & autoribus bene precentur.* Aliis alia e sacris litteris potissimum depromenda, erunt usui. Imo res quævis sensibus frequenter obvia poterit

(c) Berach. fol. 60. col. 2. citante Buxtorffio.

terit mnemosynon cogitandæ cum laude bonitatis divinæ constitui. Vides solem, amœnissimis ejus tadiis, delectaris, ordinantissimum ipsius cursum demiraris (quæ res Ethnicis quoque providentiæ Divinæ argumentum fuit non infirmissimum) age, ad Creatorem devolve cogitationes. Et ansam hinc cape alia etiam opera illius encomiis exornandi. Idem præstabit vel solus cœli adspectus, & stellarum contemplatio; avium cantus &c. Monita aliorum huc iterum aliquid conferent, quæ frequentius audiendi cui copia datur, atque occasio, habet omnino de quo sibi gratuletur. Ita memini Rev. Dnum Lic. *Ankelmannum*, Præceptorem filiali cultu mihi prosequendum, inter legendum ex libro *Cohelet* atque *Jobi*, Triniunus creatoris pulchritudinem sæpius in memoriam nobis revocasse. Denique frequentissimum habebis ad celebrationem Dei incitamentum: si impios atque scurriles aliorum sermones per *Antizeliam*, in laudes Divinas tecum convertere didiceris. 4. Venio ad ultimum rectæ obser.. ntiæ sacræ impedimentum. Videas nonnullos, cætera recte se habentes; satis de virtute informatos, voluntate ad eam pronos, sæpius etiam de illa cogitantes, in ipsa tamen operatione non raro deficere. Idque ex insito quodam facultatis viriumque moralium defectu. Nimirum sunt qui nondum sueverunt morari secum atque consistere, nec plane cogitationes a distractione continere sufficiunt. Unde fit, ut, cum inter laudes Dei versari sibi videntur, per quævis alia vagentur atque errent. His *Seneca* autor est: *Loquantur cum Deo, tanquam homines audiant*. Consilium, incipientibus forte non incommodum. Alias vero ipsa potius Divina Majestas, menti, prout stylo Spiritus S. delineata est, repræsentanda, ad devotionem nos ac reverentiam componere debet. Ita ergo emendatum cujusque cum Deo colloquuturi animo obversetur monitum: *Loquere cum Deo, tanquam Deus audiat*. Deinde proficerit, oculum subinde ad se ipsum intendere, instar speculatoris, caventis, ne quid peregrini sanctuarium intret. Dantur præterea, qui opera Dei recte & accurate inspicere, encomiaque Divina inde eruere proprio ausu non valent. Iis ergo operam præstabunt utilissimam labores aliorum, & lucubrationes, facta Dei & benefacta cum laude & gratiarum actione enarrantes. Non enim abjiciendi sunt, qui certas ut precandi; sic & laudandi Deum præscripsere formulas; cum hisce devotio nostra non aliter, ac languida manus scipione suffulciatur. In hoc genere primum quidem Psalmis Davidicis nihil erit præstantius. Sicut & his veteres Christianos in eundem finem usos fuisse, *Hieronymo* teste accepimus. Deinde tamen nec aliorum Virorum piæ meditationes aut hymni spernendi sunt. Qualibus cum hodie per Dei gratiam abundemus: Agnoscenda etiam hac in parte beneficentia Divina. Idem tamen & in concionibus locum habebit, quarum vix ulla sine deprædicatione

operum

operum Divinorum habebitur. Quisquis ergo cogitationes suas cum concionantis verbis sæpius conjunxerit, is facile adsuescet ad celebranda Dei opera. Sed nec opus est, de his multum disserere: nota enim sunt. Id saltim videndum, ut cum recta intentione attentioneque meditatio ejusmodi instituatur. *Si vero* propria etiam industria aliquid tentare velimus, quo facilius præceptum *Cautelæ*, superius præscriptum, observemus, neque circa Divina turpiter hallucinando iram Dei amoris loco nobis conciliemus (exemplo *Eliphazi Themanitæ*, cui audire necesse erat ex ore Dei duram hanc vocem: *accensa est ira mea in te & duos socios tuos; quia NB. non estis loquuti de me recte.*) ut, inquam, hoc evitemus, amplectamur *Tullii* (*d*) consilium: *Ne incognita pro cognitis habeamus, hisque temere assentiamur. Quod vitium effugere qui volet (omnes autem velle debent) adhibenda ad considerandas res TEMPUS, & DILIGENTIA.* Et quæ alia ejus generis sua cuique solertia suppeditabit.

§. V. *Diætetica.*

Ut vita corporalis; Ita non minus moralis, si conservanda est, indiget bona diæta. Quæ sicuti in corpore pro cujusque partis conservandæ natura varia est (non enim ad solum nutrimentum pertinet) ita etiam animæ non unius generis applicanda erit, sed cuivis facultati illius accommodata. Quod quidem argumentum hic quoque accuratius paulo & explicatius prosequendum esset: Verum brevitati servientes pauca hæc saltem addimus. Nimirum si virtutem voluerimus fovere atque conservare, & magis magisque nobis conciliare (cum nullam plene possideamus) opus est: 1. Ut præcepta subinde consideremus atque ad animum nobis revocemus. Nemo sibi persuadeat hoc non necessarium esse. Homo naturalis sine alimento diu subsistere nequit. Et hominem moralem, si non ingerantur sæpius salutaria præcepta ac monita, verbo Divino conformia, vires paulatim deficiant necesse est. 2. Quibus corporis mundities curæ est, crebro singulas ejus partes contuentur: Inprimis faciei ac oris deformitates, adhibitio speculo diligenter notant. Sic & de pulchritudine animæ solliciti frequenter se ipsos inspiciant, visuri, utrum progressus fecerint tum in omni, tum inprimis, in ea, quæ circa Deum versatur, virtute; Secundum illud *Biantis* apud *Stobæum* (*a*) θεωρῆ ὥσπερ ἐν καθόπτρῳ τὰς σεαυτῦ πράξεις, ἵνα τὰς μὲν καλὰς ἐπικοσμῆς, τὰς δὲ αἰσχρὰς καλύπτῃς. 3. Quisquis motus vitales non subinde excitat, facile obtorpescit; Præsertim reliquis circumstantiis, v. gr. corpore languido, aëre denso, frigido, caliginoso

(*d*) Offic. L. 1.
(*a*) Serm. XXI. pag. 176.

concurrentibus; Ita ne observantiæ S. studium tepescat; Propositum sæpius iterandum est. Siquidem tum ipsa voluntas ad ejusmodi languorem valde prona, tum hominum mundanorum frigus in exercitio pietatis, ac princeps aereæ potestatis Spiritus, qui in infidelibus viget, non parum conferunt. 4. At sicut non raro, si vel maxime velimus, torporem tamen corporis excutere propriis viribus non valemus, nisi ab aliis, ut per varios motus nos excitent, impetremus, ita cum in exercenda virtute nemo non imbecillitatis suæ sibi conscius sit, aut esse debeat; hinc gratia Divina imploranda, ut nos ad laudes suas accendat, frequenterque ingeminandum illud: ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου (b) vel: *Domine labia mea aperias, ut os meum annunciet laudem tuam* (c) 5. Ne etiam quicquam obstaculi remanere patiamur, quod amovere liceat, solemus & ipsum locum si fuerit integrum, mutare, aerem commodiorem quærere, soli pervium &c. corporisque alacritati quam maxime inservientem. Idem fecisse Observantiæ S. studiosum juvabit. Adeat consortia bona. Frequentet cœtum sanctorum, quem *sol justitiæ* illustrat. Visitet loca sacrata, templa divina, ubi auditur vox laudantium Jehovam. *Nulla enim via ad Deum tutior, quam cum ejus amicis agere*: dictum, ni fallor, *Tertulliani*. Maximam habet similitudinem hæc virtus, inprimis *Gratitudo sacra* cum usu aeris (d) cujus attractioni in corpus fruitio beneficiorum Divinorum similis, emissioni gratiarum actio. Atque sic optabile quidem esset, ut ad continuæ respirationis exemplum quovis etiam momento DEO gratias ageremus. Attamen sicuti certis temporibus utimur aere ad videndum (visus enim per refractionem aeris lucidi fit) ad audiendum (faciles aeri commoto præbentes aures) ad loquendum (nam sonus loquelæ per repercussionem aeris efficitur) ita expediet, stata sanctis hisce exercitiis assignare tempora, eaque crebertima, quibus considerandis DEI operibus, atque meditandis summi ac beneficentissimi parentis encomiis vacare velimus. Quod quidem jam supra monitum, certo tamen respectu huc etiam pertinet. Egregius erat mos cui adsuverat jam aliquoties laudatus *Feldenus*: (e) *soleo*, inquit, *singulis diebus, sole oriente, ante quam aggrediar reliquos labores, summa cum jucunditate hæc meditari, Salvatori meo gratias agere, & in fide erga ipsum hilari animo quæ mihi gerenda sunt, suscipere.* Cæterum universam hujus Therapeutices summam cum Apostolo complector

(b) Matth. VI. 19.

(c) Pf LI. 17.

(d) Vid. PLACC. Diæt. Mor. pag. 719. in Accesf. Eth.

(e) Element. juris pag. 444.

his

his verbis; *γύμναζε σεαυτὸν πρὸς εὐσέβειαν.* Nam pars quidem remediorum tollendis defectibus, ac removendis impedimentis comparatur. His autem e medio sublatis, nihil manet reliquum, nisi exercitatio, & frequens præceptorum in *Physiologia* & *Hygieine* traditorum, usus. Neque enim alia via, quam crebris exercitiis ad habitum pervenitur. Hic autem optarem, vellent omnes nobilissimam hanc virtutem vel suam potius ipsorum salutem ac beatitatem tanti facere, & quantum possunt otii, curæ, industriæ in observantiæ sacræ exercitio collocare. Sane virtus, quæ tantæ est dignitatis, ut illius munia rite explere sancti Angeli, ac beati cælites a condito mundo sibi palmarium putarint, quæ deinde tantæ est excellentiæ, ut ea sola in omnem æternitatem ἔργον nostrum præcipuum sit futurum; Ea quidem mereri videtur, ut, quomodo officia ejus exequenda sint, solliciti simus, & ad tam sanctam functionem, in æternum duraturam jam hic nos præparemus. Quid enim, quæso, erit visio DEI beatifica aliud, nisi admirabundæ venerationis, sed & ineffabilis delectationis plena observantia ejus, cum intima ac lætissima Divini amoris fruitione perpetuo juncta? Agite ergo *discamus*, uti *Bernhardus* monet, *in terris*, *quorum scientia* (quin & usus) *manebit in cælis*; Et serio precemur, ubi precamur, *ut fiat voluntas DEI sicut in cælis, ita & in terra!* Imo fiat

I. N. J. C.

Psalm. CVII. 43.

QUIS EST SAPIENS? OBSERVET ISTA: UT ANIMADVERTANTUR BENIGNITATES JEHOVÆ.

Lemmata Capitum & Paragraphorum.

Cap. I. *Physiologia* Observantiæ sacræ. §. I. Definitio, Etymologia, Synon. Homon. §. II. Divisio in partes essentiales, nempe *observantiam stricte* sic dictam, & *celebrationem*, cujus species: Glorificatio & Gratitudo sacra: utraque interna & externa. §. III. Divisio accidentalis, sive Discrimina. § IV. Ulterior Definitionis explicatio, quod ad differentiam specificam: Unde *Subjectum*, qui est Homo, quod ad obligationem omnis, quod ad aptitudinem instructus donis tum gratiæ, tum naturæ; Nimirum generatim bonis animi & corporis, speciatim contemplandi, celebrandique facultate. §. V. Operationes, quæ sunt 1. Considerandi studium involvens partim desiderium voluntatis, partim Meditationem ipsam, & perceptione, & scrutinio, & memoriæ mandatione absolvendam. 2. Celebratio eaque vel interna vel externa. §. VI. *Objectum reale* Opera Dei, spectata vel absolute, quorum alia ad intra, alia ad extra nempe Creationis, Providentiæ, Justitiæ, Restaurationis: vel respective, ut beneficia, quorum discrimen alterum generale, quod alia sunt universalia, alia particularia, alia singularia: Alterum speciale, quod alia ex Creatione, alia ex Providentia, alia ex Restauratione nobis obveniunt. § VII. E genere & quidem proximo fluit *objectum personale*, qui est Deus Trinunus. Remotum v. suppeditat tum §. IIX. *partes* virtutis in genere, integrantes hic vocandas, quæ sunt: Scientia, Proæresis, Examen, Deliberatio, Executio. Tum §. IX. *Attributa*. §. X. Proponuntur Præcepto axiomatica.

Cap. II. *Hygieine* Observantiæ sacræ per partes Prudentiæ partim deliberantis Considerate, Circumspecte, Solerter, Discrete, Provide, Caute. Partim exequentis deliberata oportune promteque, industrie, ordinate, constanter, æquabiliter.

Cap. III. *Nosologia* Observantiæ sacræ, ubi oppisita virtuti vitia breviter enumerantur.

Cap. IV. *Semeiotica* Observantiæ sacræ, cujus §. I. exponitur natura, monenturque de Fine quædam, & cautela hic adhibenda.

Cap. V. *Therapeutica* Observantiæ sacræ. Ubi iterum §. I. nonnulla de natura ejus, de via in illius tractatione hic ingredienda, de Fine, ac ejus per gratiam sublevatione. §. II. Traduntur Remedia ipsa & quidem *Præparatoria*, §. III. *Præservatoria*. §. IV. *Præservatorio-Curatoria*. §. V. *Diætetica*. Conclusio denique totius tractationis subjungitur.

S. D. G.

Q. B.

Q. B. V. D.

DISSERTATIO
DE
HÆRESI ET MORIBUS
BOGOMILORUM,

QUAM

PRÆSIDE

JOH. ALBERTO FABRICIO

SS. THEOL. D. ELOQU. ET MORAL. PROF. PUBL.
ET H. A. RECTORE,

IN GYMNASIO HAMBURGENSI

PUBLICE TUEBITUR

AUTOR, RESPONDENS

JOH. ANTONIUS WINCKLERUS,

DIE 16. MAJI, ANNO CHRISTIANO MDCCII.

Excudit CONRAD NEUMANNUS, Senatus, Gymnasii
& Scholæ Typographus.

DNO. JOHANNI WINCKLERO,

REV. MINIST. HAMB. SENIORI ET PASTORI AD ÆDES S. MICHAELIS OPTIME MERITO, PARENTI SUO VENERANDO,

VIRO,

REVERENDO AC CLARISSIMO

DNO. HENRICO ALBERTO GODECKENIO,

PASTORI APUD QUICKBORNENSES VIGILANTISSIMO, COGNATO HONORANDO.

VIRO

NOBILISSIMO ET CONSULTISSIMO

DNO. JOHANNI LUDOVICO KUGELMANNO,

GENEROSI NOBILIUM CULMBACENSIUM ORDINIS SECRETARIO,

ITEM

VIRO

AMPLISSIMO AC SPECTATISSIMO

DNO. HENRICO PHILIPPO KUGELMANNO,

MERCATORI INTER HAMBURGENSES, FLORENTISSIMO,

AVUNCULIS ÆTATEM COLENDIS.

HASCE STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS IN GRATI ANIMI τεκμήριον DICAT ET CONSECRAT.

RESPONDENS.

CAPUT I.

DE NOMINE, ORIGINE, FATIS ET INTERITU BOGOMILORUM.

Bogomilos in ſcenam producturus, ab inſtituto meo non alienum fore arbitror, ſi antequam ad rem ipſam me accingo, nomen illorum conſiderem. Hoc itaque agenti, quidve nomine Bogomilorum indigitetur perpendenti, commodo ſeſe offert Euthymius Zigabenus, qui in Panoplia ſua ita ait: (a) Βὸγ μὲν γὰρ ἡ τῶν Βυλγάρων γλῶσσα καλεῖ τὸν Θεὸν, μίλυι δὲ τὸ ἐλέησον, εἴη δ' ἂν Βογόμιλος κατ' αὐτὺς ὁ τῦ Θεῦ τὸ ἔλεος ἐπισπώμενος. Quemadmodum Græca ex MSto codice excerpſit Lambecius. (b) *Bog Bulgarorum lingua ſignificat Deum, milvi vero miſerere, ut Bogomilus apud eos is ſit, qui Dei miſericordiam implorat.* Harmenopulus: εἴη δ' ἂν Βογόμιλος κατὰ τὴν Μυσῶν γλῶτ]αν ὁ τῦ Θεῦ τὸ ἔλεον ἐπισπώμενος. (c) *Bogomilus ſignificat juxta Myſorum linguam*, quæ cum Bulgarorum eadem, ſiquidem Bulgariæ & Servaniæ incolæ Myſorum nomine veniunt, *eum qui DEI miſericordiam implorat.* De rebus Turcicis præclare meritus Leunclavius in notis margini Harmenupuli appoſitis, idem nomen ex lingua Heneta ſive Wendica deducit, apud quos voce *Bog* Deus, *mile* vero propitium denotatur. Herodiani Epimeriſmus MS. apud Cangium: (d) Βὸγ ὁ Θεὸς (ita legendum, non Βὸλ) κατὰ Βυλγάρυς, ἐξ ὗ καὶ Βογόμιλος. Gothfr. Arnoldus, (e) vir ex multis peculiaribus & a veritate alienis hypotheſibus orbi jam tum ſat notus tradit, quod Bogomilorum nomine apud Bulgaros a Deo dilecti, apud Saracenos autem DEI miſericordiam implorantes ſignificentur. Nomen

(a) Tit. XXIII. p. 220. edit. latinæ in Bibl. P. P.
(b) Comm. de Bibl. Cæſ. LIII. Cod. XXVII. p. 170.
(c) De opinionib. hæret. §. 19.
(d) Gloſſar. Græc. p. 207.
(e) Kirchen. und Käßer-Hiſtorie. P. I. L. IV. c. 6. p. m. 211.

autem hoc Bogomilis videtur impositum (sunt verba Cl. quondam Jenens. Prof. Sagittarii (f)) quod in precibus consueta quadam formula (qualis hodie Moscovvitarum *Hospodi pomiloi* i. e. Domine, miserere mei) frequentius uterentur. Quicquid sit, singulare illud studium, quo Dei misericordiam quotidie implorabant, plurimum, ut Bogomili sint vocati, contulisse, ipsa rei evidentia nos minime dubitare sinit. Alio præterea *Phundagiagitarum* sc. nomine sive *Phundaiatarum* venire Bogomilos, ex quadam Euthymii epistola adversus illos scripta patet, cujus hæc inscripto est: (g) Ἐπιςολὴ Εὐθυμίου Μοναχοῦ τῆς Περιβλέπτου μονῆς πρὸς τὴν αὐτοῦ πατρίδα ςαλεῖσα ἀπὸ Κωνςαντινουπόλεως καὶ τῆς εἰρημένης μονῆς πρὸς τὴν αὐτοῦ πατρίδα ςηλιτεύουσα τὰς αἱρέσεις τῶν ἀθεωτάτων καὶ ἀσεβῶν πλάνων τῶν τε Φουνδαγιαγιτῶν, ἤτοι Βογομίλων, καὶ Μασσαλιανῶν λεγομένων, καὶ τὴν τῶν Ἀρμενίων βέβηλον καὶ βδελυρὰν αἵρεσιν, καὶ τὰς λοιπὰς ἀθέσμους καὶ πάνυ βεβήλους αἱρέσεις. *Epistola Euthymii Monachi cœnobii Deiparæ, missa Constantinopoli, e prædicto cœnobio ad patriam suam, confutans a Deo alienissimorum & impiorum seductorum Phundagiagitarum, qui & Bogomili & Massaliani appellantur, hæreses, nec non profanam & abominabilem Armeniorum hæresin, atque item ceteras id genus alias non minus hisce impias atque execrandas.*

§. 2.

Paucis hisce prælibatis, ad reliqua, quomodo scilicet hæresis Bogomilorum, cœperit, adoleverit, & tandem interierit, pedem promoturi sumus. Famosi fuerunt Bogomili, sub extrema Alexii Comneni Imperatoris A. C. MCXVIII. vita defuncti. Auctor detestandæ ac abominandæ hujus hæreseos extitit *Basilius* quidam, obscuris forsan parentibus prognatus; hinc quoque illi, qui res Basilii posteritati prodiderunt, silentio eosdem præterierunt. Statura erat excelsa & prælonga ore macilento barbaque rara. Ingenio malo pravoque, animo subdolo variisque sceleribus contaminato πολυτροπωτάτῳ μεταχειρίσασθαι τὴν ἀσέβειαν, quemadmodum Anna Comnena (a) styli sui penicillo eum depingit, ἀνὴρ ὀλέθριος μᾶλλον καὶ λοιμὸς καὶ φθορᾶς μεςὸς, καὶ πάσης κακίας ὄργανον. Ut ait Euthym. Zigab. & annotavit Lambecius. (b) Medicum fuisse tradit Zonaras (c) hisce verbis: Τοιαύτης αἱρέσεως κῆρυξ ἦν-- Βασίλειός τις λεγόμενος, ἰατρός. Et Euthymius: Βασίλειος οὗτος ὁ ἰατρὸς,

(f) Introd. in H. E p. 891.
(g) ap. Lamb. lib. III. p. 171. & lib. V. p. 38.
(a) Alexiad XV. p. 487.
(b) De Bibl. Cæs. Com. LIII. p. 170.
(c) Annal. L. XVIII.

quos

quos plerique recentiorum, ut Baronius, Natalis Alexander, Spanheimius secuti: quod tamen non ita intelligi velim, ac si artem medicam professus sit, sed potius quod eam cum rerum divinarum studio conjunxerit; quemadmodum Essæi s. Esseni, licet primario sacris literis operam navarent sedulam, singulis diebus per aliquot horas se totos medicinæ studio applicabant, unde viri Θεραπευταὶ & fœminæ Θεραπευτρίδες vocantur. conf. Josephus (*d*) & Philo Jud. (*e*) Monachali habitu amictum incedere consuevisse, Zonaras refert hisce verbis: Τῆς τοιαύτης αἱρέσεως ἐξῆρξε ἦν Βασίλειός τις - - σχῆμα μὲν περικείμενος Μοναχοῦ, αὐτὸν δ' ἐκεῖνον ἐνδεδυμένος Σατανᾶν. Hominem omnes fallendi artes probe callentem fugere non poterat, fore ut habitu, quo singularem pietatem præ se ferebat, plurimorum animi deciperentur, & hoc ipso, liberior illi ad turpia sua dogmata aperiretur via. Imitatus est Basilius circa vestitum alios hæresiarchas, qui orco dignis hypothesibus suis religionis illud velamentum obtexuerunt, ac impietati suæ aliqua externa pietatis specie consulere anxie allaborarunt.

§. 3.

Hisce igitur subnixus alis, prima perniciosissimorum dogmatum ponebat fundamenta; accedebat fœcundissima illa hæresium mater ambitio, quæ calcar Basilio suffigebat, omnibus viribus in id unum enitendi, ut penes Bogomilos regnum cœlorum tantum esse crederetur. Utinam nunquam fuisset auditum, quod de Poëtis & Oratoribus Cicero refert, neminem fuisse, qui sibi non videretur optimus: *Te tua, me mea delectant! nihil ego parvum aut humile, aut mortale, loquor!* vel quod de Callisthene Arrianus, Alexandrum ejusque facta se & scriptis suis inferiora prædicasse; aut veluti de se ipso idem Arrianus, dum rerum ab Alexandro M. gestarum memoriam transmitteret ad posteros, tam inter primos se scriptores, quam censendus inter duces esset Alexander: utinam hac ipsa Philautiæ vertigine Basilius non laborasset, profecto tam absurdis suorum phantasmatum illusionibus non actum crederem. Annos quindecim in fingendis suis blasphemis hypothesibus consumsit, pestiferos interim Manichæorum & Massalianorum libros evolvens multa ex illis hausit, plurima a se inventa, seu potius a Diabolo suppeditata adjecit; Inde illud insanæ doctrinæ portentum ortum traxit, & ut Petavius (*a*) ait ex Manichæorum & aliarum hæresium colluvione concretum fuit. Conceptum virus non continere potuit, sed viperarum instar in longe lateque dissidentia ter-

(*d*) De bello Jud. L.II. c. 12. (*e*) Libr. περὶ βίου θεωρητικοῦ ἢ ἱκετῶν ἀρετῶν.
(*a*) Dogm. Th. de Incarnatione, Lib. XV. c. 7. 5.

tarum spatia, eructavit. Per LII. annos discipulos detestandis suis dogmatibus imbuisse, Zonaras refert. (b) Euthymius vero Zigabenus inter XL. plus minus annorum spatium tempus illud quo docuit, coarctat. E discipulorum autem numero XII. primarios sceleris socios, Manetem (c) imitaturus, sibi adscivit, quos Apostolos nuncupans, in omnes ferme Orientis plagas emittebat, ut rudis indoctæque plebis animos retibus malitiæ suæ illaquearent. Spurcissimas quoque mulieres, probe aptas ad omnem orthodoxiam evertendam, in consortium suum admittebat, quemadmodum Saturninus Helenam, Montanistæ Priscam & Maximillan, quarum nugas pro inspirationibus a Spiritu S. profectis venditabant, Cajani Quintillam circumducebant: testatur hoc Anna Comnena: Βασίλειος γάρ τις Μόναχος ὠδύνων, δώδεκα μὲν ἔχων μαθητὰς, οὓς καὶ Ἀποστόλους ὠνόμαζε, συνεφελκόμενος δὲ καὶ μαθητρίας τινὰ γύναια κακοήθη καὶ παμπόνηρα ἐφήπλωσε τὴν κακίαν ἁπανταχοῦ. Hisce mediis per plurimas orbis terræ regiones nefaria illa, quæ excogitaverat, dogmata disseminavit. Nec prosperrimo res ipsa caruit successu: plurimi enim non ex ima tantum plebis fæce, sed & illi, queis de meliori luto præcordia finxit Titan, nomen suum inter Bogomilos professi, καὶ εἰς οἰκίας μεγίστας καὶ πολλοῦς πλήθους ἥψατο τὸ δεινὸν, ut Anna Comnena memorat. Bogomili majores indies acquirentes vires, summoque rerum ex voto fluentium culmini proximi, tandem in ultimum præcipites ruunt exitium. Cum enim per omnium ferme Bogomili volitarent ora, fama etiam ad Imperatorem Alexium Comnenum percrebuit. Hic alacri illa, qua in arduis suscipiendis rebus pollebat voluntate, in perspiciendis prudentia & sagacitate singulari, in quibuscunque ingruentibus malis supprimendis potentia, Bogomilorum hæresin funditus exstirpavit. Certi enim viri constituti sunt ab Imperatore, hoc consilio, ut omnino intenderent curam, quo auctores hæreseos Bogomilorum interciperent & in vincula conjicerent. Paulo post evenit, ut plurimos, atque in his Diblatium quendam, comprehenderent: Hi, cum auctorem suum rogati prodere detrectarent, equuleo imponebantur & tormentis eo adigebantur ut ingenue faterentur, Basilium esse sectæ suæ ducem, & locum, ubi se abdiderat, detegerent. ita Basilius, bipedum nequissimus tandem repertus, C. Polin ingredi, Cæsarisque aspectum subire cogebatur. Quid factum porro sit, luculentius ex ipsa A. Comnenæ ralatione perspicere licet, cujus Verba hæc sunt: ὁ δὲ αὐτοκράτωρ τὸ ἐνδομυχοῦν ἐθέλων παρα-

(b) Annal. L. XVIII. p m. 300.
(c) August de hæres. cap. 46.

συραι

σύρει ταῖς πειθανάγκαις, μετακαλεῖται τὸν ἄνδρα μεθ' οἵου προσχήματος. καὶ γὰρ καὶ θώκου ὑπεξανέστη αὐτῷ, καὶ καθέδρας μετέδωκε, καὶ τραπέζης τῆς αὐτῆς. καὶ ὅλην τὴν ὁρμιὰν τῆς ἄγρας αὐτῷ κατεχάλασε, καὶ τὸ ἄγκιστρον περιπείρας παντοδαποῖς δελέασσι, τῷ παμφάγῳ τούτῳ κήτει παρέχει ἐμφαγεῖν, καὶ ὅλον τὸ φάρμακον τῷ μοναχῷ τούτῳ καὶ πολλαχοῦ τὴν κακίαν φέρων ἐνέχει διὰ παντοίων ὑποκρινόμενος μαθητὴς αὐτοῦ ἐθέλειν γενέσθαι. οὐκ αὐτὸς τάχα μόνος ἀλλὰ καὶ ὁ αὐτοῦ ἀδελφὸς Ἰσαάκιος ὁ Σεβαστοκράτωρ. καὶ πάντα τὰ παρ' αὐτοῦ λεγόμενα ὡς ἐκ θείας ὀμφῆς λογίζεσθαι καὶ ὑπήκειν τούτῳ ἐν πᾶσιν, εἰ μόνον τὴν τῆς ψυχῆς σωτηρίαν πραγματεύσοιτο ὁ κάκιστος Βασίλειος. καὶ ἐγὼ μέν, φησιν, ὦ πάτερ τιμιώτατε, περιέχριε γὰρ τοῖς γλυκέσι τούτοις ὁ βασιλεὺς τὴν κύλικα, ὡς ἐξεμέσαι τὸν δαιμονιῶντα τὴν μελαγχολίαν αὐτοῦ, ἄγαμαί σε τῆς ἀρετῆς ἕνεκα. ἀξιῶ σε δὲ καταμαθεῖν τινα τὰ παρὰ τῆς σῆς τιμιότητος εἰσηγούμενα. ὡς τάγε τῶν ἡμετέρων, μόνον φαῦλα καὶ οὐδεμίαν ἀρετὴν φέροντα. ὁ δὲ τὰ πρῶτα μὲν ἐσχηματίζετο, καὶ τὴν λεοντῆν ὁ κατὰ ἀλήθειαν ὄνος ἐκεῖνος ἐφεῖλκεν εἰς ἑαυτὸν πανταχόθεν, καὶ ἀπεπήδα πρὸς τὰ λεγόμενα. πλὴν ἐχαυνώθη τοῖς ἐπαίνοις. καὶ γὰρ ὁμοδίαιτον ἐποίησε τοῦτον. συμπαρῆν δ' ἄρα τούτῳ ἐν πᾶσι καὶ συνεδραματούργει καὶ ὁ τοῦ βασιλέως ἐξάδελφος καὶ Σεβαστοκράτωρ. ὁ δὲ τὰ τῆς αἱρέσεως δόγματα ἀπήμεσε. καὶ ὁ τρόπος ὁ ποῖος. παραπέτασμα γὰρ μεταξὺ τήν τε γυναικωνῖτιν ἀπετείχιζε καὶ τοὺς βασιλεῖς μετὰ τοῦ βδελυροῦ τούτου πάνθ' ὅπως εἶχεν ἐν τῇ ψυχῇ ἐξερευγομένου καὶ ἀναφανδὸν λέγοντος. ὁ δὲ γραμματεὺς ἀπεγράφετο ἔνδοθεν τοῦ πετάσματος τὰ λεγόμενα, καὶ ὁ μὲν λῆρος ἐκεῖνος διδάσκαλος τῷ δοκεῖν ἐγίνετο, ἐσχηματίζετο δὲ τὴν μαθητείαν ὁ βασιλεύς. ἀπεγράφετο δὲ τὰ τῆς διδασκαλίας ὁ ὑπογραμματεύς. πάντα δὲ ῥητάτε καὶ ἄρρητα ἐπισυνῆρεν ὁ θεοπληγὴς ἐκεῖνος ἀνήρ, καὶ οὐδενὸς ἐφείσατο θεομισοῦς δόγματος. - - - Ἀλλὰ τί τὸ ἐντεῦθεν; ἀπορρίπτει τὴν σκηνὴν ὁ βασιλεύς, καὶ ἀναπετάννυσι τοῦτο καὶ τὸ συγκλητικὸν ἅπαν συνήθροιστο, καὶ τὸ στρατιωτικὸν συνείλκετο σύνταγμα. ἡ γὰρ γερουσία τῆς ἐκκλησίας συνῆν, προυκάθητο δ' ἄρα τὸ τηνικαῦτα τοῦ τῆς βασιλίδος πόλεως θρόνου, ὁ ἐν Πατριάρχαις μακαριώτατος ὁ γραμματικὸς ὁ κῦρος Νικόλαος. καὶ γὰρ ἀνεγινώσκετο τὰ θεοστυγῆ δόγματα, καὶ ὁ ἔλεγχος ἀδιάβλητος, καὶ οὐδὲ ὁ τῆς ἐναντίας μοίρας ἔξαρνος ἦν. Ἀλλ' αὐτίκα καὶ γυμνῇ τῇ κεφαλῇ πρὸς ἐναντιολογίας ἐχώρει. καὶ πρὸς πῦρ καὶ μάστιγας καὶ μυρίους θανάτους ἀντιπαρατάξασθαι ὑπισχνεῖτο. *Imperator eblandiri arcanum coitionis clancularia cum constituisset, oportunum non putavit odium & acerbitatem primo aspectu praeferre.*

præferre. Quin potius liberali fronte demulcet accersitum hominem, officiisque invitat ultro, assurgens venienti, assidereque sibi jubens: tum etiam mensæ secum regia communi accubitu dignatus. Sic lineam intendit totam piscator scitus & hamum irritante varii generis præfixum esca, voraci huic objecit ceto: ac quo illecebris omnibus pharmacum ita condiret, ut id solitarius iste plurifarius, versutus hic inquam & emuncta malitia monachus exsorbere induceret in animum, sese ipsi discipulum esse velle simulat, nec solum: Isaacium quippe fratrem Sebastocratorem simili nova doctrina cognoscenda teneri cupiditate. Addebat ambos mira docilitate præparatos ad accipienda quæ dicere vellet omnia, plane velut ex tripode voce oraculi proferrentur. Obtemperaturos mox in cunctis, ac quæcunque mandaret executuros, modo ipsis animæ videlicet salutem Basilius conficeret. (Sic enim dissimulationi indulgebat, ut quem pessimum non dubitabat, ab eo salutem animæ sperare præ se ferret.) Equidem, inquiebat, Pater Reverendissime (hoc melle appellationis honorificæ circumliniebat calicem, quo aptum veternoso hæretico curando vomitorium pharmacum propinabatur) miror te impense ac veneror, virtute tua captus, cupioque majorem in modum doceri abs tua Reverentia elementa illa, quæ quibusdam tradis arcana doctrinæ non vulgaris quibus hæc nostra quotidiana, vana esse doces & nullius frugis. Ad hoc ille primum circumagere se cautis versutiis, involvereque diligentius aliena illa quam obtendebat pelle, ut asellus de fabula, qui leoninam induerat. Verum ubi resiliit ac recusavit aliquamdiu, ad extremum intendente artes Augusto, laudesque ingeminante, emollitus adulatione paulatim est; annuitque tandem convictum oblatum Imperatoris ad occasionem commodiorem arcanorum sermonum. Serviebat egregie fabulæ Sebastocrator Isaacius, Imperatori fratri arte simulandi studii tuendarumque quas susceperat partium haud multum cedens. Quid multa? sublinitur os seni. Profert is tanquam ad fidos & penitus evomit nefaria illa & æterno fere digna silentio dogmata. Quæsitus ad id palatii locus erat a conspectu strepituque amotus urbis (qualia mulierum habitationi adium membra solent attribui) Præterea quasi ad tutiores latebras oppansum erat velum ac peristromatum scena quædam. Intra erant Augustus & ejus frater una cum abominando Hæresiarcha, qui tali loco, nihil omnium quæ intus animo hauserat venenorum eructare dubitavit. Subsederat occulto in loco tapete tectus scriba qui stylo celeri quæcunque loquebatur impurus nebulo mandabat libro. Jactabat se magnifice delirus Magister, præsertim Augusto scite sustinente discipuli personam &c. Librarius excipiebat cuncta quæ dicebantur. Dicebantur autem fanda infandaque. Nam ille nulli quamvis scelesta quamvis execrabili blasphemia

mia parcebat. Quid vero postea? Cum hec maxime diblateraret impurus nebulo, abjicit simulationem assumpta persona Augustus in tempore, velum reducit, pandi fores jubet. Convocatus adest subito cœtus universus conscriptorum Patrum, coëunt seque admovent pratoriani, militarisque omnis ordo, Senatus ipse totus Ecclesiasticus præsto est. Præsidebat tum in Regia civitatis throno Beatissimus Patriarcha Grammaticus Dominus Nicolaus. Recitata coram sunt execrabilia dogmata, negandi criminis facultas nulla, cum abundarent evidentissima testimonia. Ergo fatendi necessitatem in impudentiam vertens, quod inficiari non poterat, ultro affirmare perfricta fronte instituit: addens sese ad propugnationem sui dogmatis ignem, flagella mortesque innumeras paratissimum subire. Imperator Basilium, ut Palinodiam caneret, variis modis sæpissime tentabat: sed surdo narrabatur fabula; tanta animum Basilii occupabat rabies, ut nec discipulorum querelis ac minis, nec portentis (lapidibus enim cella, cui tenebatur inclusus miris modis petebatur) nec terræ motibus, ut pristinam mutaret mentem permoveri posset; quare communibus calculis condemnatur, ac vivus in Hippodromo C. Politano combustus fuit.

§. 4.

Basilio, lucis hujus, qua omnes fruimur, usura privato, asseclæ ejus quoque perierunt: imo universa ferme hæresis, morte Basilio illata, desiit. Summa Alexii Comneni Imperat. mansuetudo obstabat, alioqui plebs C. politana omnibus Bogomilorum labe infectis violentas intulisset manus, omnesque peremisset. Capti in carceres vinculaque sunt detrusi: Ubi aliquos tamen pristinæ vitæ subiit pœnitentia, hinc gratæ libertati iterum sunt restituti. Scripta cujusdam Constantini Chrysomalæ Bogomilorum lolio conspersa, post Basilii obitum adhuc superfuerunt, sed ad indicium a Monachis Monasterii S. Nicolai factum, auctore jam dudum vita defuncto ex latebris sunt producta. Duo alia, horum scriptorum exemplaria penes Petrum Monachum, S. Athenogenis Monasterii præsidem, & Georgium Præsulem cognomento Pamphilum fuerunt reperta, quæ in synodo a Leone Styppiora Patriarcha C. politano coacta, examinata, & una cum eorum Auctore perpetuo anathemati sunt subjecta, continebant enim Enthusiastarum & Bogomilorum ineptis absurdiora, quemadmodum uberrime patet ex variis illis, quæ recensentur in sententia Synodali, quam Leo Allatius (a) memoriæ prodidit. Petrus ille ejurans hypotheses illas gradu suo dejectus alii Monasterio nomen dedit. Georgius Pamphilus vero illa, quæ paulo ante probaverat, improbando, delictique

(a) De perpetuo Consens. Cap. XI. Lib. II.

veniam

veniam lacrymis implorando, ſpartam, quam ſemel nactus erat, conſervavit. Nipho (*b*) quoque & Pſeudoëpiſcopi Clemens ac Leontius hæreſin Bogomilorum amplexi ſunt, proptereaque a Michaele Oxita Patriarcha C. Politano condemnati. Excepit hos circa A. C. MCLX. Michael quidam patria Theſſalonicenſis, Magiſter rhetorum & magnæ Eccleſiæ protecdicus, qui propter hæreſin Bogomilorum, licet ſub finem vitæ ſententiam mutaret, confeſſionemque fidei orthodoxam exhiberet, damnatus eſt, quemadmodum notant Leo Allatius (*c*) & Caveus. (*d*) Ita breviſſime ex Euthymio Zigabeno & Anna Comn. calamo noſtro expreſſimus fata Bogomilorum, qui poſtquam per L. ferme annos variis fortunæ fluctibus jactati ſunt, funditus tandem interierunt. Erat enim *ἡ βουλὴ αὕτη καὶ τὸ ἔργον τοῦτο ἐξ ἀνθρώπων*, hinc *διελύθησαν καὶ ἐγένετο εἰς οὐδέν*. Act. V. 36. & 38.

§. 5.

Sed ne lectorem ad penetralia feſtinantem in veſtibulo detineamus diutius, ipſas Bogomilorum hypotheſes quemadmodum apud Euthymium Zigab. alioſque Scriptores ſunt obviæ, referam, & quantum anguſti illi, quos nobis ipſi conſtituimus limites permittunt, excutiam, ubi tamen in id intendam mentem, ne extra oleas vagari videar. Ineptiæ vero incredibiles ac monſtroſa Poëtarum commenta Baſilii hypotheſibus deprehenduntur immixta: etſi nec plane infitias eundum, quædam inter dogmata Bogomilis tributa aut dubia eſſe, aut a Græculis pro ingenio ex affectu conficta, vel exaggerata, quod ſummus quondam in Republica literaria Vir Spanheimius,

- - Cujus ſe pectore tota vetuſtas
Condidit, - -

haud ab re ſentit. Hinc, qui rem accurate cognoſcere ſatagit, certas hypotheſes a dubiis, veraſque a fictis fabularum tricis ſecernat oportet. Quare nemo ſanus nobis vitio vertet, ſi quid diſtent æra lupinis inquirere operam dederimus ſedulam. Melioris quoque ordinis & majoris perſpicuitatis ergo, hypotheſes Bogomilorum Syſtematice digeſturi & omnium oculis, quam valde in unum alterumve Articulum impegerint, expoſituri ſumus.

(*b*) Vide Cinnamum.
(*c*) De Conf. L. II. c. XII.
(*d*) De Script. Eccl. p. m. 472.

CAPUT II.
DE BOGOMILORUM HÆRESI ET FALSIS DOGMATIBUS.
SECT. I. De Scriptura S.

§. 1.

Primus in Scripturam Sacram impetum fecit, eamque mutilare non' est veritus inter Christianos Dositheus quidam, Sectæ Samaritanæ assecla & princeps, teste Tertulliano. (*a*) Hic Prophetias, quoniam Hierosolymam ad cœlum usque suis efferrent encomiis, e numero eorum librorum, qui a Spiritu S. Divinitus sunt inspirati, eliminandas censuit. Consule Virum Cl. Cellatium. (*b*) Hunc alii, eadem mente affecti, sunt subsecuti. Variis omni tempore sacræ literæ ab Hæreticis sunt objectæ fatis; valuerunt θεόπνευστοι libri apud hæreticos ut nummi, Patres apud Pontificios, prout a Romanæ sedis stant partibus, mox magni fiunt, mox nihili æstimantur: ita quoque ab aliis hæreticis Sacræ Scripturæ libri. Cerinthiani Evangelium Matthæi non solum mutilarunt, ac reliqua Evangelistarum scripta ausu temerario damnarunt, sed & electum illud Jesu Christi organon Paulum una cum variis illis, quas scripsit epistolis execrati sunt, teste Epiphanio. (*c*) Quem quæso latent portentosa Cerdonianorum somnia, qui Legem pariter ac Prophetas: Marcionitarum, qui universum V. Testamentum: Severianorum, qui non solum V. T. teste Augustino, (*d*) sed & ex novo Paulinas epistolas cum Actis Apostolorum, testante Theodoreto, repudiarunt, ex reliquis vero libris ea tantum amplexi sunt, quæ pro libidine sua depravare poterant; si Epiphanio fides habenda est: Quis non horreat deliria Manichæorum, qui Prophetas: Elcesæorum, qui Prophetas cum Apostolis: Nepotianorum, qui Prophetas, Evangelia & Apostolicas Epistolas damnarunt? Quis non impietatem Patritianorum abominetur, qui antiqui fœderis libros partim rejecerunt, partim pro arbitrio mutilarunt?

(*a*) Adv. hæres. Cap. XLV.
(*b*) Tract. de Hist. Sam, c. III. p. 34. seq.
(*c*) Hæres. VIII.
(*d*) Hæres. XXIV.

veniam lacrymis implorando, ſpartam, quam ſemel nactus erat, conſervavit. Nipho (*b*) quoque & Pſeudoëpiſcopi Clemens ac Leontius hæreſin Bogomilorum amplexi ſunt, proptereaque a Michaele Oxita Patriarcha C. Politano condemnati. Excepit hos circa A. C. MCLX. Michael quidam patria Theſſalonicenſis, Magiſter rhetorum & magnæ Eccleſiæ protecdicus, qui propter hæreſin Bogomilorum, licet ſub finem vitæ ſententiam mutaret, confeſſionemque fidei orthodoxam exhiberet, damnatus eſt, quemadmodum notant Leo Allatius (*c*) & Caveus. (*d*) Ita breviſſime ex Euthymio Zigabeno & Anna Comn. calamo noſtro expreſſimus fata Bogomilorum, qui poſtquam per L. ferme annos variis fortunæ fluctibus jactati ſunt, funditus tandem interierunt. Erat enim *ἡ βουλὴ αὕτη καὶ τὸ ἔργον τοῦτο ἐξ ἀνθρώπων*, hinc *διελύθησαν καὶ ἐγένοντο εἰς οὐδέν.* Act. V. 36. & 38.

§. 5.

Sed ne lectorem ad penetralia feſtinantem in veſtibulo detineamus diutius, ipſas Bogomilorum hypotheſes quemadmodum apud Euthymium Zigab. aliosque Scriptores ſunt obviæ, referam, & quantum anguſti illi, quos nobis ipſi conſtituimus limites permittunt, excutiam, ubi tamen in id intendam mentem, ne extra oleas vagari videar. Ineptiæ vero incredibiles ac monſtroſa Poëtarum commenta Baſilii hypotheſibus deprehenduntur immixta: etſi nec plane infitias eundum, quædam inter dogmata Bogomilis tributa aut dubia eſſe, aut a Græculis pro ingenio ex affectu conficta, vel exaggerata, quod ſummus quondam in Republica literaria Vir Spanheimius,

- - Cujus ſe pectore tota vetuſtas
Condidit, - -

haud ab re ſentit. Hinc, qui rem accurate cognoſcere ſatagit, certas hypotheſes a dubiis, verasque a fictis fabularum tricis ſecernat oportet. Quare nemo ſanus nobis vitio vertet, ſi quid diſtent æra lupinis inquirere operam dederimus ſedulam. Melioris quoque ordinis & majoris perſpicuitatis ergo, hypotheſes Bogomilorum Syſtematice digeſturi & omnium oculis, quam valde in unum alterumve Articulum impegerint, expoſituri ſumus.

(*b*) Vide Cinnamum.
(*c*) De Conf. L. II. c. XII.
(*d*) De Script. Eccl. p. m. 472.

CA-

CAPUT II.
DE BOGOMILORUM HÆRESI ET FALSIS DOGMATIBUS.
SECT. I. De Scriptura S.

§. 1.

Primus in Scripturam Sacram impetum fecit, eamque mutilare non est veritus inter Christianos Dositheus quidam, Sectæ Samaritanæ assecla & princeps, teste Tertulliano. (*a*) Hic Prophetias, quoniam Hierosolymam ad cœlum usque suis efferrent encomiis, e numero eorum librorum, qui a Spiritu S. Divinitus sunt inspirati, eliminandas censuit. Consule Virum Cl. Cellarium. (*b*) Hunc alii, eadem mente affecti, sunt subsecuti. Variis omni tempore sacræ literæ ab Hæreticis sunt objectæ fatis; valuerunt θεόπνευστοι libri apud hæreticos ut nummi, Patres apud Pontificios, prout a Romanæ sedis stant partibus, mox magni fiunt, mox nihili æstimantur: ita quoque ab aliis hæreticis Sacræ Scripturæ libri. Cerinthiani Evangelium Matthæi non solum mutilarunt, ac reliqua Evangelistarum scripta ausu temerario damnarunt, sed & electum illud Jesu Christi organon Paulum una cum variis illis, quas scripsit epistolis execrati sunt, teste Epiphanio. (*c*) Quem quæso latent portentosa Cerdonianorum somnia, qui Legem pariter ac Prophetas: Marcionitarum, qui universum V. Testamentum: Severianorum, qui non solum V. T. teste Augustino, (*d*) sed & ex novo Paulinas epistolas cum Actis Apostolorum, testante Theodoreto, repudiarunt, ex reliquis vero libris ea tantum amplexi sunt, quæ pro libidine sua depravare poterant; si Epiphanio fides habenda est: Quis non horreat deliria Manichæorum, qui Prophetas: Elcesæorum, qui Prophetas cum Apostolis: Nepotianorum, qui Prophetas, Evangelia & Apostolicas Epistolas damnarunt? Quis non impietatem Patritianorum abominetur, qui antiqui fœderis libros partim rejecerunt, partim pro arbitrio mutilarunt?

(*a*) Adv. hæref. Cap. XLV.
(*b*) Tract. de Hist. Sam. c. III. p. 34. seq.
(*c*) Hæref. VIII.
(*d*) Hæref. XXIV.

§. 2.

Bogomili quoque hisce sunt accensendi, qui plurimos Bibliorum libros ut Mosaicos & qui Judæis נביאים הראשונים ut & παραλειπομένων nomine veniunt, repudiarunt, septem duntaxat Vet. & Novi Testamenti volumina retinuerunt, quæ sunt: נביאים אחרונים cum Psalterio ex ἁγιογράφοις, Evangelium Matthæi, Marci, Lucæ, Johannis, Apostolorum Acta, omnesque omnium Apostolorum epistolas, item Apocalypsin. His septem libris tanquam columnis Ecclesiam suam inniti jactabant; respiciebantque ad Prov. IX. 1. ubi Salomo de sapientia inquit: *Sapientia adificavit domum suam excisis columnis suis septem.* Harmenopuli (*a*) de hac nefaria S. litteratum mutilatione verba sunt sequentia: Τὰς τῆς παλαιᾶς καὶ καινῆς ἀθετοῦσι βίβλους, μετὰ τοῦ ἐν αὐτοῖς γεγραμμένου θεοῦ, ὡς καθ' ἐπίπνοιαν γραφείσας τοῦ Σατανᾶ πλὴν μόνον ἑπτὰ, ὧν ἐστι καὶ τὸ εὐαγγέλιον. *Veteris & novi Testamenti libros repudiant, una cum exposito in eis Deo, quasi qui per adflatum Satana perscripti fuerint, septem duntaxat exceptis, in quorum numero & Evangelium est.* Huic Euthymius Zigabenus accedit: (*b*) *Rejiciunt*, inquit, *omnes libros Mosaicos, item omnes, qui postea scripti*, porro (verba interpretis Francisci Zini, quoniam Græca edita non sunt, retineo) *Septem duntaxat suscipiunt & colunt & in summo habent pretio, id est Psalterium & librum sexdecim Prophetarum & Evangelium secundum Matthaum & secundum Marcum & secundum Lucam & secundum Johannem & septimum librum quo res ab Apostolis gesta continentur, cum omnibus Epistolis & Johannis Theologi Apocalypsi.* Spanheimius sacris, quæ Bogomili recipiunt, scriptis Decalogum quoque inseruit. (*c*) Verum quo nitatur fundamento, non perspicio, hinc aliquid humani, virum alioqui in hisce literis prope absque pari, circa hoc ipsum commisisse mihi persuadeo: nulla enim nec vola, nec vestigium de decalogo a Bogomilis approbato, apud Euthymium, qui alioqui summa cura observavit quæ admittant quæ rejiciant Bogomili sacræ Scripturæ volumina, & Annam Comn. reperitur. Accedit, quod hypotheses Bogomilorum semel conceptæ Decalogo adversarentur. Qui vero sciscitatur causam, qua potissimum Bogomili compulsi V. T. volumina repudiaverunt, haud difficulter deprehendet, legis divinæ odio ad stupendum illud sacrilegium fuisse excitatos: Decalogum igitur nullo modo canoni illi, quem fingebant, adscribere potuerunt. Mosis libros tum

(*a*) Libro de opinionib. hæret. §. 19.
(*b*) Tit. XXIII Panopl. §. 1. p. m. 220.
(*c*) Introd. ad. H. E. p. 34.

propter

propter historiam creationis primo Geneseos Capite traditam, quæ cum Basilii de creatione hypothesibus nullatenus conciliari poterat: tum propter Decalogum aliquoties in eisdem repertum, rejecerunt. De reliquis idem sentimus, & quia perspicue veritatem Bogomilorum sententiis contrariantem velo remoto omnium oculis ingererent, neglectos statuimus. Etiamsi & aliam obtenderent causam, scilicet, quod a malo Principio sive Satana originem traherent. *Οὗτοι τὰς τῆς παλαιᾶς ἀθετοῦσι βίβλους ὡς κατ' ἐπίπνοιαν γραφείσας τοῦ Σατανᾶ. Hi* (Bogomili) *Vet. Testamenti libros repudiant, quasi qui per adflatum Satanæ perscripti fuerint.* Sunt verba Harmenopuli, quo cum Euthymius Zigab. consentit. Ad illud impietatis progressi sunt culmen, ut sanctissimam æterni Numinis veritatem summique DEI legem mendaciorum parenti, ac principi tenebrarum assignare auderent. Video apud eosdem scriptores etiam Novi Testamenti à Bogomilis rejecti mentionem fieri, sed hoc iidem ipsi refellunt, Euthymius præcipue, cujus verba paulo ante adduxi.

§. 3.

Illud tamen animadvertendum est, istos callide plerumque ex his libris, quos improbabant, ad opiniones suas comprobandas verba depromere. Quod si autem aliquo septem librorum, quorum in præcedentibus fuit mentio facta, dicto convicti ad veritatem cofitendam impellerentur, statim ut subterfugerent, ad allegoriam se conferebant, quemadmodum Harmenopulus refert: *παρερμηνεύουσι δὲ καὶ ταύτας καὶ βλασφήμοις ἐννοίαις καὶ μυσαραῖς πρὸς τὸ δοκοῦν αὐτοῖς μεταφέρουσιν. Hos ipsos quoque libros falso interpretantur, & sacrilegis execrandis sensibus ad ea quæ ipsis videntur detorquent.* Ex multis illis, quas Euthymius (*a*) adduxit allegoriis, aliquot saltem, animi gratia afferam. Johannem vestimento ex pilis camelorum amictum & Zona pellicea circa lumbos cinctum fuisse, tradunt sacræ literæ. Hisce ad eludendam legem abutuntur; pilos enim cameli, Mosaicæ legis volunt denotare præcepta, quæ, æque ac caro cameli, impura. Zonam pelliceam Evangelium designare ajunt. Quibus ineptiis probandis abusi sunt præcepto Paulino: (*b*) *lumbos vestros cingite veritate.* Pari modo cibum Johannis, ut locustas de lege, mel sylvestre de Evangelio interpretabantur, ad quam allegoriam confirmandam verba illa: *dulcia sunt gutturi meo eloquia tua*, adhibebant. Ita etiam explicuerunt illa Johannis: (*c*) *Venturus est ecce! cui ut calceamenta solvam*

(*a*) Panopl. Tit. XXIII. §. 27. sq.
(*b*) Eph. VI. 14.
(*c*) Luc. III. 16.

omnino sum indignus. Manu sua tenet ventilabrum &c. Calceamenta, inquiunt, sunt miracula a Christo edita, quibus Johannes Christo longe inferior; quippe qui nullis doctrinam confirmavit miraculis, &c. Ridicule sane, verba quibus Christus avaros ad aviculas nec serentes nec metentes nihilo secius nutritas respicere jubet, iidem Bogomili ad Monachos retorquent; hos enim sine ullo labore inertem transigere vitam, & tamen a Deo servati alique: ita se lilia dicunt, nimirum qui candidissima animæ puritate gaudeant, inde haud difficulter Salomonem summo etiam splendore fulgentem à se superati. Plurimas alias Bogomilorum Allegorias, meras spirantes fabulas, omitto, ne nauseam B. Lector, cui canoris Bogomilorum nugis nasum ciere intendebam, contrahat. Si quis plures oculis percurrere cupit, adeat Euthymium Zigabenum, ut pote qui uberrimam harum allegoriarum messem offert quærenti.

SECT. II. De Deo.

§. I.

Pudendis porro Articulum de Deo involverunt erroribus, siquidem Deum ἀνθρωπόμορφον s. humana, ut ait Euthymius, forma præditum sibi fingebant, atque adeo mentis suæ deliriis indulgebant, ut Deum Patrem senis forma, prolixa barba; filium ut juvenem pubescentem, & Spiritum S. adolescentis instar imberbis à se non solum per quietem, sed et à vigilantibus conspici somniarent. (a) λέγουσι οὐ μόνον ὄναρ, ἀλλὰ καὶ ὕπαρ βλέπειν τὸν μὲν πατέρα ὡς γέροντα, καθειμένον ἱκανῶς τὴν ὑπήνην, τὸν δὲ υἱὸν ἄρτι τὸν ἴουλον παραμείβοντι ἐοικότα. τὸ δὲ ἅγιον πνεῦμα ὡς νεανίαν δεινῶς ἐψιλωμένον τὰς παρειάς. *Non modo per somnum, sed vigilantes etiam videre se dicunt, patrem ut senem, cui prolixa barba sit admodum: filium ei similem, qui recens lanuginem primam mutet: Spiritum S. juvenis, cui valde nuda sint genæ.* Hinc vestes, stolam, tunicam, sellas ejusque generis alia à spiritibus aliena Deo tribuerunt. Spanheimius l. c. sententiam hanc Bogomilorum de Deo barbato & corporeo vel inter dubia, vel plane per Græculos illis afficta, referendam censet. Spanheimii mentem assensu excipit, ille in turpissimarum hæresium apologiis laureolam quærens Gothofr. Arnoldus. Verum nullo argumento & prægnanti ratione instructus illud quod intendit perficit. Verba ejus hæc

(a) Harmenop de opinion. hæret. §. 19.

sunt:

ſunt: (*b*) Sie (die Orthodoxen) ſchämen ſich auch nicht ihnen die unerhörteſten Dinge beyzumeſſen, dazu gehört, daß ſie von GOtt ſolten geſaget haben, er ſey leiblich und habe einen Bahrt, welches auch die Verſtändigen nicht glauben. Quanquam autem Bogomilos ita craſſius Deum ἐνσώματον ſive corporeum ſtatuiſſe difficilius mihi perſuaſerim, quod tamen Euthymius (*c*) etiam diſerte imputare illis videtur hiſce verbis: *Patri tres* (filii quoque & Sp. S.) *appellationes tribuunt, & humana forma præditum putant, & ex binis cerebri panniculis, binos radios emittere, alterum filii, alterum Spiritus S. atque ita fides eorum in Deum corporeum*; non tamen plane pernegari poteſt, quod Bogomili Deum forma & figura præditum ſtatuerint, ut pluribus etiam aliis hæreticis in mentem venit. Multum vero differt, utrum Deum corporeum, an humana forma ſpecieque præditum crediderint. Ita Epicurus Deum hominis eſſe ſpecie confitebatur: ſpecies vero non eſt corpus, ſed quaſi corpus; non habet ſanguinem. (*d*) Non igitur plane abjecte & abſurde de Bogomilis ſentit, qui Deum humana forma ab illis creditum affirmat. Ipſæ ſacræ literæ, ſi in Analphabetorum incidunt manus, videntur non minimam de Deo ita ſentiendi præbere occaſionem: Ita Scriptura refert, Deum ſecundum imaginem ſimilitudinemque ſuam creaſſe hominem, quod Audius, Anthropomorphitarum ille princeps, paulo craſſius, quam hominem doctrinæ Chriſtianæ minime rudem decet, eſt interpretatus: Arbitrabatur enim Deum corporis quidem eſſe expertem; nihilo ſecius imaginem in hominis expreſſiſſe corpore: Et alii ut Eugubinus & jam olim Prudentius hoc dicto ſeducti, ut crederent, Deum in creatione hominis humanam aſſumſiſſe formam, quo ad illius inſtar hominem fingeret. Quoties vero Scriptura numini divino actiones humanas, item membra, utpote oculos, os, brachia, aliaque adtribuit, toties ἀνθρωποπαθῶς fit, & θεοπρεπῶς intelligendum eſt. Abutuntur ergo hiſce, ut & apparitionibus in V. T. factis, quando Deus Abrahamo in aſſumpta humana forma apparebat in convalli Mamre. Hæc cum ſiniſtre Bogomili interpretarentur & verum ſacrarum literarum ſenſum perverterent, facile fieri potuit, ut in Anthropomorphitarum errorem delaberentur. Quid vero mirum, Bogomilos in hoc fidei momento eaſdem cum clariſſimis V. Eccleſiæ doctoribus Melitone, Tertulliano & aliis, quos lubens prætereo, in-

(*b*) Kirchen- und Kätzer-Hiſtorie. P. I. L. XII. c. 5.

(*c*) Panopl. T. XXIII. §. 2.

(*d*) Cic. de natur. Deorum Lib. I. med.

flasse tibias. Lactantius: (*e*) *Omitto* inquit, *de figura Dei dicere, quia Stoici negant habere ullam formam Deum, & ingens alia nascitur materia, si eos coarguere velimus.*

§. 2.

Circa Trinitatis Mysterium graviter quoque impegerunt Bogomili, & licet Trinitatem non simpliciter negarent, (quod tamen Baronius contendit (*a*)) variis deliriis & ineptiis tamen Articulum hunc obscurarunt & macularunt. Euthymius hoc ipsum prodit, (*b*) quando ait: *Ea re decipiunt simpliciores, quod fingant se credere in Patrem & Filium & Spiritum S. cum tamen Patri tres istas appellationes tribuant.* Trinitatem insuper subalternam statuerunt & Arianorum exemplo ὑποβάθμους in illa propugnarunt, quod luculenter ex Euthymio patet: (*c*) *Pater, inquiunt, filium genuit, & filius Spiritum S. hic autem Judam genuit proditorem & undecim Apostolos.* Harmenopulus idem nobis persuadet, qui relatis Bogomilorum, de senili juvenilique S. S. Trinitatis forma, somniis annectit hoc *ἐπιφώνημα, τῶν δαιμόνων οὕτως ἐξαπατώντων αὐτοὺς καὶ διδασκόντων, ἄνισον εἶναι τὴν ἁγίαν Τριάδα κατὰ τὴν τῶν σχημάτων τούτων διαφοράν.* Ad hanc thesin stabiliendam, quæ de Genealogia Christi scripta leguntur, Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Jacob, hic genuit Judam cum XI. fratribus, accommodabant Bogomili, acsi de S. S. Trinitate interpretanda essent.

§. 3.

Sed hæc de Trinitate impia dogmata patebunt magis, si quid de Christo, quid de Spiritu S. senserint, detexerimus. Primum hic occurrit negata Christi æternitas, ita enim Euthymius Zig. *negant filium & Spiritum S. usque ad quinquies millesimum & quingentesimum annum extitisse, eoque principium suscepisse.* Vulgata nempe Græcorum plerorumque sententia est, Christum natum circa annum orbis conditi 5500. Negarunt itaque fuisse filium & Spiritum S. antequam homo Jesus e Maria nasceretur. Zigabenus ita pergit: *Dicunt, cum homines acerbo dæmonum dominatu premerentur, Patrem animam, quam ipse insufflasset quæ tam misera servitute affligeretur, commiseratum ad ultionem anno quinquies millesimo, ex corde suo eructasse verbum i. e. filium, & Deum.* Alibi idem Euthymius: *Dicunt filium & Spiritum S. in patrem rursum ex quo*

(*e*) Libro de Ira.
(*a*) T. XII. Annal. Eccl.
(*b*) Tit. XXIII. §. 2.
(*c*) Ib. §. 5. p. 221.

prove-

provenerunt resolvi, ipsumque, qui anno quinquies millesimo trigesimo tertio trium fuerit personarum, rursum unius factum persona. Ubi animadvertimus, Bogomilos Deum aliquando tribus personis constantem credidisse, postquam nempe post Christi e Maria nativitatem filius, & 33. annis post Spiritus S. ex Patre progressi: ante illud tempus solum fuisse patrem, & postea in eundem illos iterum reversos. Perspicuum quoque exinde est, (qui volunt Christum cœpisse) quod æternitatem Christi negarint. Hoc ipsum manifesta etiam ratione cernitur, quando satanam fratrem Christo natu majorem blasphemarunt. Si enim Satanas, qui e Bogomilorum sententia creationi interfuit ipseque creavit, Christo est natu major: sequitur, Bogomilos Christi æternitatem negasse. Diabolum quippe ut angelum bonum a Deo creatum constat. Alia huc facientia nemini obscura silentio involvo. Cæterum Bogomilos perfrictæ frontis videmus, ut qui Christi æternitatem multis licet S. scripturæ locis assertam & confirmatam negare non sunt veriti.

§. 4.

Pessime quoque de humana Christi Natura Bogomili sentiunt, quam Servatori nostro adimunt plane, & nescio quid ejus loco introducunt. Carnem enim assumsisse veram, simpliciter negaverunt, ac corpus tantum putatitium Doceticum sive Phantasticum Christo tribuerunt. Ita enim Anna Comnena enarrat, quando dicit: τὴν οἰκονομίαν πᾶσαν ἐφάντασε. Quod Petrus Possinus, qui Alexiadem Annæ Comn. Latio reddidit idiomati, interpretatus est, *divinam Christi naturam creditam a nobis traducebat impius, & humanitatem ipsam incarnati verbi nihil verum extitisse, sed merum duntaxat spectrum phantastici corporis garriebat.* Idem tradit Euthymius: *Christum dicunt carnem induisse, quæ aspectu quidem videatur ex materia constare, & humani corporis est similis, cum tamen revera materiæ sit expers ac divina.* Inde actionibus & passionibus humanis Christum obnoxium fuisse, ac consequenter passionem, mortem, resurrectionemque pernegarunt. Ad modum generationis Christi quod attinet, eum hunc volunt: Christum in dextram virginis aurem influxisse, perque eandem virgine nec introitum nec egressum sentiente rediisse, deinde a Maria in spelunca repertum tradiderunt. Secuti sunt in hoc ipso varios priscæ Ecclesiæ hæreticos, ita enim Ebionei asserebant Christum nihil assumpsisse de virgine Maria, sed per illam tanquam per rivum aut per fistulam sine ulla de illa assumpta carne transisse. (a) Ita & Valentinus, quemadmodum refert Tertullianus, spirituale Christo assignavit corpus,

(a) August. adv. hæres.

idque

idque prout aqua per fiſtulam, ſic per Mariam tanquam canalem transmeaſſe, nihil inde accipientem. Paulicianos eodem errore imbutos prætereo. Extitiſſe & Apoſtolorum temporibus, qui eandem cum Bogomilis foverunt ſententiam, conjiciunt quidam ex Epiſt. I. Joh. IV. ubi, *πᾶν*, inquit, *πνεῦμα ὃ μὴ ὁμολογεῖ τὸν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα, ἐκ θεοῦ οὐκ ἐστίν.* Sunt, qui volunt Bogomilos loco Chriſti Michaelem Archangelum incarnatum, deliraſſe. Verum & illi Bogomilorum mentem non ſatis percepiſſe videntur, intelligebant enim hæretici illi per Michaelem Archangelum ipſum Chriſtum, ita quippe Euthymius, cum ex eorum ſententia dixiſſet: *Deum animam commiſeratum verbum eructaviſſe, id eſt filium & Deum.* Addit: *Hoc autem verbum & filium, Michaelem Archangelum eſſe contendunt. Vocabitur enim inquit, nomen, ejus magni conſilii angelus. Archangelum vocari, quod Angelis omnibus antecellat, Jeſum autem, quod omnem morbum curet.* Chriſtum ergo ſub Michaelis nomine illis indigitatum luce meridiana elucescit clarius.

§. 5.

Non omittendum præterea eſt, quod ſe *Deiparos* jactarent, & quidem eodem modo, quo Maria, ſe verbum concipere, in utero gerere, parere quoque, eo quod alios inſtituerent atque docerent, affirmabant. Harmenopulus: *θεοτόκους λέγουσι τοὺς παρ' αὐτοῖς ἐνοίκον κτησαμένους τὸ ἅγιον πνεῦμα, ὡς τὸν λόγον ἐν τῷ διδάσκειν γεννῶντας.* Huc etiam facit, quod Synagogam ſuam appellarent, qua in naſceretur Chriſtus. Verum per hanc allegoriam Regenerationem, & quod fit a miniſtro Eccleſiæ per prædicationem verbi, intellexiſſe videntur. Cujus rei anſam ſine dubio eis dedit gentium ille Doctor Paulus (*a*) ubi, *filioli*, inquit, *quos iterum pario usque quo formetur Chriſtus in vobis.* Peſſime autem docebant, eodem modo in Maria etiam Verbum conceptum fuiſſe.

§. 6.

Perſonalem Spiritus S. proprietatem quoque rejecerunt, ejusque æternam a Patre & filio proceſſionem 1. Joh. V. 6. Apoc. XXII. 1. Job. XXXIII. 4. Pſalm. XXXIII. 6. 2. Theſſ. II. 8. traditam negarunt; Quum autem ſacra Scriptura *ἐκπόρευσιν* hanc denominet veluti a proceſſione in via, ſive ab exitu verbi aut Spiritus ex ore, aut fluvii ex fonte: Bogomili Spiritum S. a Chriſto genitum eſſe ſtatuerunt, nihil curantes quod Scriptura ſacra tam clare ac perſpicue inter utriusque proprietates Characteriſticas diſtinguat, licet non ſimul

(*a*) Gal. IV. 19.

innuat,

innuat, quid proprie & accurate loquendo inter generationem filii & processionem Spiritus S. intercedat discriminis, quod in hujus vitæ caligine nos fugere ingenue fatemur.

SECT. III. De Creatione.

Mundum a Satana jam lapso conditum esse contendebant. Aniles ad confirmandam hanc sententiam adhibentes fabulas, Diabolum nempe montem in quo Christum tentabat non fuisse ausum ascendere, nisi illum suum opus agnovisset. Fusius hæc ab Euthymio exponuntur, a quo etiam modus Creationis ex Bogomilorum mente perhibetur. (a) Hominem quoque a Satana conditum esse volunt, ut qui corpus e luto finxisset, quum autem facultate, vitalem auram corpori inspirandi careret, DEI auxilium implorasse, qui quoque conditionem a Satana oblatam accipiens, ipsi morem gerere & succurrere non recusasset, & ita Deum exanimi corpori vitalem spiritum insufflasse volunt. Hæc Ethnicorum in cimmeriis tenebris ignorantiæ versantium fabulis pœne deteriora sunt, qui hominem a Prometheo e terra formatam, a Minerva, vita cœlitus allata præditum fingebant, ita Bogomili semper sui similes ab uno absurdo ad alterum progrediuntur.

SECT. IV. De Baptismo.

Baptismum quoque venerandum illud regenerationis Sacramentum mire depravarunt. Aquam, terrestrem partem, plane sustulerunt, & ita quoque cælestæ baptismi rejecerunt. Originem traxisse error videtur, ex male intellectis Johannis Baptistæ verbis, cum ait: Ego quidem baptizo vos aqua ad resipiscentiam, is vero, qui post me venit, validior me est, cujus ut soleas portem indignus, ipse vos baptizabit spiritu S. & igne. Inde Baptismum aquæ in Ecclesiam orthodoxam expresso Christi maadato introductum, Baptismum Johannis vocant, τὸ μὲν παρ' ἡμῖν βάπτισμα τȣ̃ Ἰωάννȣ λέγοντες, τὸ δὲ παρ' αὐτοῖς τȣ̃ Σωτῆρος, (b) omnesque more nostro tinctos Baptismatis lavacro, Pharisæis & Judæis ad Johannem accelerantibus comparant, quapropter & eos, qui se sectæ Bogomilorum applicabant, rebaptizabant. Modum vero ejus observatum Euthymius loco laudato ita tradit: *Primum qui-*

(a) Tit XXIII. §. 7.
(b) Harmenop. de op. hæret. §. 19.

dem tempus illi præscribunt ad confessionem & expurgationem & continuam precationem, deinde Johannis Evangelium capiti ejus imponunt, & Spiritum S. invocant & Pater noster canunt. Hoc ipso morem Primitivæ Ecclesiæ quodammodo referre videbantur, quod initiandis certum aliquod constituebant tempus, quo melius in suis dogmatibus eosdem instruere & informare possent. Verum dolendum est, quod alia majoris momenti negligerent, & ipsas essentiales partes e Baptismo proscriberent, ipsumque baptismum vere & proprie talem tollerent e medio. Quid autem sibi velit Baptismus per Evangelium Johannis capiti initiandorum impositum, fateor me fugere, eo quod de hoc altum apud Euthymium, Harmenopulum & Annam Comn. observemus silentium. Hunc autem suum Baptismum, Christi baptismum vocabant, quia ad solem, atque ita igne administrabant. *Statuunt enim miserum*, ut Euthymius asserit, *ad orientem Solem, prioresque cerimonias repetunt, & ita initiatum confirmant.* Manichæos scimus in multis unum idemque cum Bogomilis sensisse, ut & exinde Viri in hisce sacris versatissimi in hanc opinionem inciderint, plurimas hypotheses Manichæorum a Bogomilis esse receptas, & Bogomilos Manichæorum vitula arasse: hoc & in præsenti invenire locum nobis quodammodo videtur verisimile. Manichæi enim una cum Marcionitis & Paulicianis & aliis de Cajana hæresi, (adversus quos Tertullianus stylum stringit cum ait: (*a*) *atque adeo nuper conversata istic quadam de Cajana heresi vipera venenatissima, doctrina sua plerosque rapuit, imprimis baptismum destruens plane secundum naturam, nam & viperæ & aspides ipsique reguli serpentes arida & inaquosa sectantur, sed nos pisciculi secundum ἰχθὺν nostrum Jesum Christum in aqua permanendo salvi sumus. Ita Quintilla monstrosissima, cui nec integra quidem docendi jus erat, optime norat pisciculos necare aquam auferens*) Baptismi aquam, quam Diaboli creaturam vocabant, rejiciebant: Solem autem divino afficiebant honore, nunc ipsum Christum vocantes. (*b*) Inde, si conjecturis conceditur locus, factum mihi videtur, ut Bogomili absurdam illam circa Baptismum sententiam fuerint commenti. Quæ ipsa nullo veritatis divinæ fundamento superstructa per se facile corruit.

SECT. V. De Sacra Cœna.

Quemadmodum primum illud N. T. Sacramentum Baptismum, januam illam æternæ salutis, cœno fœdissimarum suarum opinionum inquinarunt;

(*a*) De Baptismo. C. I.

(*b*) Augustin. de hæres. Cap. XLVI. Bellarmin. Lib. I. de Bapt. c. 2.

narunt; ita quoque S. Cœnam, ſignaculum gratiæ divinæ præſtantiſſimum, minime intactam reliquerunt: ſed odium adverſus hanc Chriſti Salvatoris noſtri inſtitutionem, intra pectus ſuum conceptum effuderunt, dum corpus & ſanguinem Chriſti, ſub externis ſymbolis pane & vino, Diabolorum, templa inhabitantium ſacrificium nuncuparunt. Anna Comnena ita loquitur: Τὸ τελούμενον παρ' ἡμῖν σῶμα καὶ αἷμα τοῦ πρώτου καὶ ἀρχιερέως καὶ θύματος, παρὰ φαῦλον ἔθετο καὶ ἀλογίσατο. Huic calculum ſuum adjicit Harmenopulus: καὶ τὴν φρικτὴν ἱερουργίαν τοῦ δεσποτικοῦ σώματος καὶ αἵματος τῶν ἐνοικούντων τοῖς ναοῖς δαιμόνων θυσίαν ταύτην ἀποκαλοῦντες. Ad hanc ſententiam ſtabiliendam verbis Eſ. LXV. 11. *Parantes Gad menſam, & implentes Meni libamen*, abutebantur. Subſtituebant autem in locum ejus orationem Dominicam, quam Communionis panem appellant. Occaſionem forſan illis præbuit, quarta petitio, quam plurimi Veterum, ut Tertullianus Carthaginienſis ille Presbyter, (*a*) Cyprianus, (*b*) Hilarius Pictavienſis, (*c*) Cyrillus Hieroſolym. (*d*) Ambroſius, (*e*) Hieronymus, (*f*) Joh. Chryſoſtomus, (*g*) Auguſtinus, (*h*) Gregorius Magnus, (*i*) Walafridus Strabo Fuldenſis (*k*) qui creditur Autor Gloſſæ ordinariæ, Theophylactus, (*l*) Joh. Huſſus, (*m*) Eraſmus, (*n*) Claudius Salmaſius, (*o*) de pane Euchariſtico intellexerunt. Hinc & in priſca Eccleſia quotidie communicabant fideles, quemadmodum conſtat ex Act. II. 42. 46. conf. Cyprianum, (*p*) & Auguſtinum, (*q*) ex quibus manifeſtum eſt, quod in Veteri Eccleſia iidem numero Chriſtiani quotidie communicarint, & manſit hæc conſuetudo usque ad Hieronymi ætatem, Romæ ac in Hiſpania, ſicut ipſe teſtatur. (*r*) Mediolani idem ritus quotidie communicandi perduravit ad Ambroſii usque tempora, ut colligere licet ex Cap. ult. Libri. IV. de Sacram. In Africa autem usque ad Auguſtini ætatem viguit hæc conſuetudo, ut apparet ex epiſtola ejus CXVII. Patet igitur quo ſenſu panis Euchariſticus ſub pane ἐπιουσίῳ ſeu quotidiano ab illis intelligatur. Quum autem tandem peſſima ingruerent tempora, mos quotidie communicandi paulatim ceſſavit. Fieri igitur potuit, ut

(*a*) Libr. I. de Oratione. (*b*) De oratione Dominica. (*c*) Can. V. in Matth. (*d*) Catecheſ. Myſtag. (*e*) Libr. V. de Sacram. cap. 4. (*f*) Comment in Cap. VI. Matth. (*g*) Homilia de Orat. Domin. (*h*) Soliloq. c. 23. (*i*) In Pſ. 4. pœnit. (*k*) L. de rebus Eccleſiaſt. cap. 20. (*l*) Comment. in Matth. V. (*m*) Operum Part. I. (*n*) Annot. in Matth. VI. (*o*) de fœnore Trapezit. (*p*) De oratione Domin. (*q*) L. de dono perſeverantiæ. (*r*) Epiſt. XXIIX. ad Lucinium.

Bogo-

tiloquia gentilibus propria vocantes contemnebant, solaque oratione dominica septies in die & quinquies de nocte utebantur. (*e*) *μόνην ὀνομάζουσι προσευχὴν τὸ πάτερ ἡμῶν, τὰς δὲ ἄλλας ἀθετοῦσι, βαττολογίαν καλοῦντες.* Quoties ad precandum accederent, toties, alii decies, alii quinquies, sæpius alii, alii rarius genua flectebant. Imitabantur hoc ipso Massalianos, qui ab assiduo precum studio quoque Græco vocabulo Evchitæ nuncupantur, unde & Massalianorum nomen a quibusdam ipsis inpositum diximus. (*f*) A sanctæ crucis quam furcam vocabant signaculo abhorruerunt, non minus atque a verbis orationem Dominicam claudentibus. *Quia tuum est regnum &c.* Jejunia celebravere frequentissima, singulis hebdomadibus ter cibis abstinentes, die lunæ, Mercurii & Veneris, jejuniaque ad horam usque nonam protrahentes. Sed hisce diebus præterlapsis non dubitarunt commessari, atque ut Euthymii utar verbis, (*g*) instar elephantum vorare & bibere.

Hæc pauca & tenuia sunt, B. L. quæ de Bogomilis tecum communicare volui. Pluribus omnia deducere cogitaram, sed tempus quod alio me jam vocat, aliud mihi, & vela hic contrahere imperavit. In hisce igitur qualibuscunque studiorum, quæ oculis tuis subjeci primitiis, pro humanitate tua acquiesce, & quæ forte parum tibi placebunt, ætati benevole tribue: denique mecum ora Deum, ut ab omnibus noxiis erroribus liberos nos præstet, liberatosque in viis suis doceat alacriter ambulare.

ΘΕῼ ΔΟΞΑ.

(*e*) Harmenop. §. 19.
(*f*) Toll. pag. 119. & 120.
(*g*) Euthym. Tit. XXIII.

Q. D.

Q. D. B. V.

EXERCITATIO
DE
BRACHMANIBUS
PHILOSOPHIS INDORUM,

VENTILANDA PUBLICE
IN GYMNASIO HAMBURGENSI
DIE XVIII. SEPTEMB.

SUB PRÆSIDIO

JO. ALBERTI FABRICII
D. PROF. PUBL. ET GYMNASII H. A. SCHOLÆQUE
JOHANNEÆ RECTORIS.

RESPONDENTE AUCTORE

FRANCISCO VON SOM,
HAMBURGENSI.

HORIS A DECIMA ANTEMERIDIANIS.

HAMBURGI A. cIↄ Iↄ ccvIII.
Typis CONRADI NEUMANNI, Amplisſ. Senatus, Gymnaſii & Scholæ Typographi.

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO ATQUE CONSULTISSIMO VIRO

DOMINO

JOANNI VON SOM,

JURIS UTRIUSQUE INCLYTO DOCTORI ET SENATORI REIP. HAMBURGENSIS SPECTATISSIMO, MERITISSIMOQUE

DOMINO PATRUO MEO AC PATRONO, FILIALI OBSEQUIO ET PIETATE OBSERVANDO.

S. P. D.

FRANCISCUS VON SOM.

Nisi jam a prima ætate in Te, Amplissime Vir, colendo præcipuum mihi posuissem jucundissimumque debiti officium, oportune monuisset me Dandamis meus, Brachmanum sua ætate princeps, venerationis ac reverentiæ cultu honorandum * esse eum qui sapientiam honorat. A quo autem magis honoratur sapientia, quam ab illo, qui eam

* Dandamis apud Palladium de Brachman. p. 38.

pectore

pectore suo tanquam pulcherrimo sacrario reconditam ac comprehensam in actionibus suis unicam sequitur ducem, & suavissimo consortio virtutis atque doctrinæ ornat atque excipit? Sane qui ita complectitur atque observat sapientiam, eum necesse est vicissim ab omnibus observari honorarique: Huic ipsam oportet fortunæ iniquitatem & improbæ vim invidiæ tandem concedere seseque submi[illegible], hunc boni habent in deliciis, mali soli quia vel non intelligunt vel metuunt, oderunt. Equidem probe perspectum habeo, Patrone honoratissime, non minus modestiam a Te coli filiam sapientiæ, quam exosam Tibi esse vanitatem sapientis verecundiæ inimicam, quare a Te in os laudando, quamvis nihil præter vera dicturus, ultro abstineo. Tantum vellem ut quam singulares habeo rationes colendi honorandique Tui, tam feliciter quoque cupidæ voluntati meæ responderet facultas, possetque dignum aliquid a me proficisci, quod ex asse Tibi faceret testatum, quantum Tibi debere me agnoscam & libenter profitear. At quæ Tua est humanitas & immerita in me benevolentia, hoc studiorum meorum tenue quamvis præmessum non aspernaberis. Tu mihi ad ea suscipienda suasor auctorque fuisti, Tu juvisti consilio, atque innumeris me jampridem measque Musas tibi beneficiis devinxisti, jure itaque Tuo habes a me Tibi primitias hasce, quas adspirante DEO maturior suo tempore messis consequetur. Quod superest, vita me relinquet citius, quam ego desinam omni Te obsequio colere, Tuaque me benevolentia magis magisque conari reddere digniorem, præcipue vero DEI T. O. M. misericordiam calidissimis votis implorare, ut in Reip. commodum salutemque Tuorum, in quibus me a Te numerari imprimis gaudeo, quam diutissime Te rebus publice ac privatim lætis incolumem sospitemque servare dignetur. Scripsi Hamburgi Nonis Septembribus Anni Christiani cIↃ IↃ cc vIII.

Argumentum Exercitationis.

B*rachmanæ ante Pythagoræ & Alexandri potissimum tempora Græcis parum cogniti. Scriptores quidam præcipui de Brachmanibus.* Præfat. *Nomen Brachmanum varie scriptum.* Cap. 1. §. 1. *Tribum, gentemque Indorum & Philosophos ac sacerdotes denotat.* §. 2. *ita dicti a Brachma quodam, quod vocabulum Indorum lingua significat perspicacem.* §. 3. *Falli eos qui ex Hebraismo illud repetunt,* §. 4. *Gymnosophistæ non omnes fuere Brachmanes.* §. 5. *Brachmanes universi ab una stirpe.* 6. *Calani nulla peculiaris Brachmanum secta.* 7. *Quibus in locis Brachmani morati fuerint.* 8. *Brachmanum de DEO sententia.* Cap. 2. §. 1. 2. 3. *Quinam Stoici ex Indorum genere homines apud Geographum Ravennatem.* ibid. *Nomen DEI proprium apud Brachmanes.* 4. *Inferiores Dii culti sub uno DEO summo.* 5. *De anima & præmiis pœnisque post hanc vitam Brachmanum dogmata.* 6. *Quo cultus genere prosecuti sint Deum.* 7. *Inter precandum bicubito elevati sublimes a terra.* 8. *De aqua Brachmanum Tantalia atque exploratoria.* 9. *Grammatica Brachmanum.* Cap. 3. §. 1. *Rhetorica.* 2. *Dialectica.* 3. *Physica.* 4. *Ad Pythagoræ Philosophiam nonnulla contulisse.* 5. *Menses ipsorum diebus quindecim constantes.* ibid. *Philosophia Brachmanum moralis.* 6. 7. *Mores quidam, atque ἀσκήσεις asperiores.* 8. *Nomina quorundam Brachmanum veteribus memoratorum. Philosophorum item Græcorum qui Brachmanas sapientiæ causa adierunt.* 9. *Recentiores Bramines Brachmanum veterum ἀπόγονοι.* Cap. 4. §. 1. *Per varias dispersi regiones.* ibid. *Qua parte deteriores illis antiquis esse videantur.* §. 2. *Scriptores nonnulli de rebus & dogmatis Bramnium recentiorum.* §. 3. *Exercitationis conclusio.* §. 4.

LECTOR

LECTOR BENEVOLE,

Ante quam Gymnasio patrio valedicerem, vires periclitaturus ingenii in argumento non inutili prorsus neque injucundo, perantiquum Philosophorum genus considerandum mihi delegi, quod jam Pythagoræ & Alexandri M. ætate in India clarum fuit sub nomine vulgatissimo etiam hodie *Brachmanum*. Quanquam vero longe ante illa tempora apud Indos floruisse utique videtur, vix tamen prius Græcis atque inde Romanis plenius innotuit, quam Rex ille Macedonum arma victricia usque in intimas Asiæ regiones protulisset, & scriptores qui Alexandri expeditionem prodiderunt memoriæ, etiam Regis hujus cum Brachmanibus colloquia ac congressus, litterarum monumentis consignassent. At scriptoribus hisce qui Alexandro suppares vel non multo juniores fuere, Megasthene, Diodoto Erythræo, Eumene Samio, Strattide Olynthio, Æschrione Mytilenæo, Onesicrito, & Orthagora jampridem deperditis, soli nobis restant qui ab illis tradita vel compendio retulerunt, vel attigerunt obiter, ut Strabo, Plutarchus, Arrianus aliique perpauci, Palladius præcipue, cujus libellum *περὶ τῶν τῆς Ἰνδίας ἐθνῶν καὶ τῶν Βραγμάνων*, *de gentibus India & Bragmanibus*, vir summus Joachimus Camerarius primum Græce in lucem edidit nullo adscripto nomine auctoris, ad calcem libri Gnomologici, sine temporis nota Lipsiæ forma foliorum octo-

Tt 2 partita

partita vulgati. Palladium huncce vix dubito eundem esse cum scriptore Historiæ Lausiacæ, sive relationis de vita Patrum Monachorumque (Brachmanibus per multa simili) quam Lauso cubiculi Theodosii junioris præfecto dicavit, cujus Palladii nomen libello de Bragmanibus præfixum in Codice MS. Regio Londinensi cum reperisset V. C. Eduardus Bissæus, nunquam ante vulgatum ratus, latina versione donavit, & cum Pseud-Ambrosii & alterius Anonymi veteris latini scriptis ejusdem argumenti, & vetustiorum quorundam de eodem Philosophorum genere testimoniis, Græce & Latine in lucem dedit Londini forma τετραπτύχῳ A. MDCLXVIII. Ex hoc & aliis quæ ad manus meas pervenerunt veterum recentiumque monumentis, succinctam de Bragmanibus tractationem digerere aggressus sum, ea methodo, ut hac veluti in tabella tibi eorum instituta dogmataque, & hodiernorum in India Braminum cum antiquis Bragmanibus discordia vel consensio demonstrentur.

CA-

CAPUT I.

DE NOMINE, ORIGINE ET PATRIA SEDE BRACHMANUM.

I.

Brachmanum nomen, ut in peregrinis fere fieri ſolet, varie ſcriptum reperio, Βραχμᾶνες, (a) Βραχμᾶναι, (b) Βραχμανοὶ, (c) Βράχμαι, (d) Βραγμᾶνες, (e) atque recentiore uſu *Babrama*, (f) *Brammines*, (g) vel *Brahmines*.

II.

Nomine illo denotatur tribus ſapientum (h) Indorum & Sacerdotum: (i) neque cum hac re pugnat, quod videmus idem nomen integris etiam

(a) Sic pleriſque appellant, ut Diodor. Sic. XVII. 102. Strabo XV. p. 715. Clemens I. Strom. p. 303. Apuleius 2. Florid. Porphyr. IV. de abſtinendo ab animatis p. 404. qui ſingulari etiam utitur, Βραχμάν. Philoſtr. III. 4. de vita Apollon. Origenes Philoſophum. p. 161.

(b) Clemens Alex. I. Strom. p. 305. III. Strom. p. 451. Plin. Hiſt. natural. VI. 17.

(c) Ptolemæus Geograph. VII. 1. p. 204. & Pſeud-Ambroſius de Brachmanis.

(d) Stephanus Byz. Βραχμᾶνες, Ἰνδικὸν ἔθνος σοφώτατον, ὃς καὶ Βράχμας καλοῦσιν. Ptolemæo Geographo poſt Βραχμᾶνες μάγους memoratur Βράχμη civitas, quam illi incoluere.

(e) Sic ſemper hoc nomen ſcribitur apud Palladium & Anonymum latinum a Biſſco editum.

(f) In Hiſtoriola de Sinis ex Armenico verſa, quam Imperii Sinenſis Nomenclatori Geographico ſubjunxit Andreas Muller Greiſenhagius: *Indi Sacerdotes illos Bahrahma vocant, & Idola Tien.* Ad quem locum editor: *Bahrama, hoc eſt Brachmaner, voce Indica. Sicuti eosdem Sinenſium ſacrificulos Benzios vocant, voce Japanica.*

(g) Sic in Rogeri libro & recentibus itinerariis paſſim nomen illud ſcriptum occurrit.

(h) Philoſophi Indorum vocantur fere ab omnibus quiqui Brachmanum meminere. Sic Origenes Philoſophum. ἔστι δὲ καὶ παρὰ Ἰνδοῖς αἵρεσις φιλοσοφ-

opidis (k) & gentibus adſcribi. Nam ita apud Judæos quoque tribui ſacerdotali (l) integræ civitates aſſignatæ fuerunt, & Perſarum Magi *aucti paulatim in amplitudinem gentis ſolidæ conceſſerunt & nomen: villasque inhabitantes nulla murorum firmitudine communitas, & legibus ſuis uti permiſſi, religionis reſpectu ſunt honorati*, ut notavit (m) Ammianus Marcellinus.

III.

Nomen duxiſſe videntur a Brahmo ſive Brachmane quodam ſapiente, quem Regem (n) fuiſſe nonnulli perhibent, & cui divinos quos exiſtimant libros (o) referunt in acceptis, quemque rebus divinis hodieque annume-

μένων ἐν τοῖς Βραχμανοῖς - - - - καὶ αὐτοὶ δὲ Βραχμᾶνες καλοῦνται &c. Porphyrius θεοσόφους appellat, loco laudato.

(i) Idem Porphyrius: ἀλλ' οἱ μὲν Βραχμᾶνες ἐκ γένους διαδέχονται ὥσπερ ἱερατείαν τὴν τοιαύτην θεοσοφίαν. De cultu quo interdiu Solem & de nocte ignem e radiis ſolis accenſum pro ſalute Indorum ſoliti ſunt proſequi, meminit Philoſtratus III. 4. de vita Apollonii Tyanenſis.

(k) Plinius VI. 17. *Multarum gentium cognomen Brachmanæ, quorum Maccocalingæ.* Confer Chriſtoph. Cellarii τοῦ μακαρίτου Geographiam antiquam lib. III. c. 23. p. 871. Ptolemæus Geograph. p. 204. Τὰ μὲν ὑπὸ τὸ Βιττίγο ὄρος κατέχουσι Βραχμανοὶ Μάγοι, μέχρι τῶν Βατῶν, ἐν οἷς πόλις ἥδε, Βράχμη (al. Βράμη vel Βράγμη.) Vetus orbis deſcriptio a Jac. Godofredo primum edita p. 254. edit. Jac. Gronovii V. C. *Poſt ipſam gentem* (Serum) *venientibus ad Occidentem Brachmani degunt, & ipſi ſine imperio tranſigunt bene, & detinent vicinorum bonitatem. Et eſt habitatio eorum manſionum quinque.*

(l) Vide Joſuæ cap. XXI.

(m) Ammian. lib. XXIII. cap. 6. p. 375

(n) Suidas: Βραχμὰν βασιλεὺς ὁ καὶ τῇ χώρᾳ δοὺς προσηγορίαν. Ἔγραψε νόμους Βραχμάνων καὶ πολιτείαν τοῦ αὐτοῦ ἔθνους ἰδίᾳ διαλέκτῳ.

(o) Bartholomæus Herbelotus Bibl. Orientali p. 212. *Brahma ſelon la doctrine des Indiens eſt le premier des trois eſtres* (reliqua duo vocant Garronda & Annemonta) *que Dieu a creé, & par le moyen duquel il a fait enſuite le monde. Ce Brahma publia & donna aux Indiens les quatre livres qu'ils appellent Beth ou Bed*, (al. Vedam) *dans leſquels toutes les ſciences & toutes les ceremonies de la religion des Brachmanes ſont compriſes : c'eſt pourquoy on repreſente ordinairement ſa figure avec quatre têtes.*

rant

rant Indi ac religioſo afficiunt cultu (p) licet hominem, & a DEO ſummo conditum, ſed primum omnium, & vita longiſſima, ac facultate maxima qua mundum hunc ipſe condiderit regatque, ab eo donatum. Nomen ipſius Brahmæ ſive Brachmanis, perſpicacem (q) & acutum lingua Indorum ſignificat.

IV.

Veriſimilior certe hæc eſt nominis originatio, quam eorum, qui illud ex medio deducunt Hebraiſmo, quos merito ridet (r) Joſephus Scaliger, quibusque Brachmanes dicuntur veluti *Abrahamidæ* vel *Beruchim*, vel alia ejusmodi etymologia (s) ex Judæorum idiomate repetita placet.

V.

Brachmanes dicuntur etiam a nonnullis *Gymnoſophiſtæ*. Sed Gymnoſophiſtarum ſive nudorum Philoſophorum nomen latius patet & diverſa ſapientium Indiæ genera complectitur. Itaque Strabo ex Megaſthene duplices Indorum Philoſophos introducit, Brachmanas & Germanas: ac Ptolemæus (u)

(p) Multis hoc expoſitum videre licet in Abrahmi Rogeri lectu digno libro quem Anglice ſcripſit & Chriſtophorus Arnoldus cum auctario ſuo & obſervationibus edidit Germanice, ſub titulo; fores ad adyta Ethnicismi apertæ. Noremb. A. 1663. 8. pag. 223. ſeq.

(q) Herbelotus loco laudato: *Le mot de Brahma en langue Indienne ſignifie penetrant de toutes choſes, & c'eſt de lui que les Bramens ou Brachmanes comme nous les appellons ordinairement, qui ſont le premier tribu des Indiens, ont tiré leur nom, comme étant particulierement devouez à ſon culte & aux autres devoirs de la religion.*

(r) Scal. ad Græca Euſebii p. 408. & ad Euſebii Chron. p. 52.

(s) Vide Georgii Hornii Hiſt. Philoſoph. libro 2. c. 9. p. 105. 106.

(t) Adi Lexicon Bælii in *Gymnoſophiſtes* & Rev. D. Jo. Schmidii Exercitationem de his Lipſiæ habitam.

(u) Gymnoſophiſtas in Septentrione locavit Ptolomæus poſt fluvios illos inter quos Alexander res geſſit, id eſt poſt Hyparim ſeu Hyphaſim ab ortu: Brachmanos Magos autem in meridie, inter Soleнum & Chabernum fluvios, haud longe a mari ſeu paralia quam vocat, id eſt maritima regione. Cellar libr. 3. Geographiæ Antiquæ p. 871. Vide & Clementem Alex. I. Strom. p. 305.

in

in Geographia ſua diverſo loco aſſignat Gymnoſophiſtas, diverſo Brachmanas. Neque univerſi Brachmanes nudi usque quaque inceſſerunt, ut infra videbimus.

VI.

Etiam in hoc differre Brachmanas ab altero genere Gymnoſophiſtarum, Porphyrio (v) traditum eſt, quod Brachmanæ omnes ſint poſteri unius viri, & unius fœminæ: Βραχμᾶνες ἑνὸς εἰσι γένους, ἐξ ἑνὸς γὰρ πατρὸς καὶ μιᾶς μητρὸς πάντες κατάγουσι. De Samanæis vero paullo ante dixerat: Σαμαναῖοι δὲ λογάδες εἰσιν, ἐκ τῶν βουληθέντων θεοσοφεῖν συμπληρούμενοι. Atque iterum: Σαμαναῖοι δὲ οὐκ εἰσι τοῦ γένους αὐτῶν (x) (Βραχμάνων,) ἀλλ᾽ ἐκ παντὸς τοῦ τῶν Ἰνδῶν ἔθνους συνειλεγμένοι. *Samanai autem* (hi videntur eſſe quos Germanas Strabo appellat) *colliguntur undique ex iis qui rerum divinarum ſcientia operari volunt - - - - neque enim ex gente Brachmanum ſunt, ſed ex variis Indorum populis collecti.* Quod vero Brachmanes omnes communi auctore ſtirpis gaudere Porphyrius e Bardeſane retulit, pulchre illa quidem in parte huic Philoſophorum nationi iterum convenit cum Perſarum Magis, de quibus Ammianus XXIII. 6. cum de Zoroaſtro & a Brachmanis edocto (y) Hyſtaspe Darii patre memoraſſet, *Ex eo* inquit,

(v) Porphyrius lib. IV. de abſtinendo ab animatis p. 405. cujus teſtimonio addam recens Petri de Valle, Epiſtola XVII. de itinere ſuo Perſico T. 2. p. 704. *Brahmani nome non di ſetta ma di razza fra gli Indiani la piu nobile,*

(x) Poſſit fortaſſis rectius legi τοῦ γένους ταυτοῦ, ut doceatur, Samanæos quos σεμνοὺς vocat Clemens Alex. 3. Strom. p. 451. univerſos non fuiſſe gentis ejusdem. Nam a Brachmanis illos jam tum diverſos fecerat Porphyrius.

(y) Ammiani verba quibus Brachmanorum mentionem fecit, hæc ſunt: *Deinde* (poſt Zoroaſtrem) *Hyſtaſpes Rex prudentiſſimus Darii Pater, qui cum ſuperioris Indiæ ſecreta fidentius penetraret, ad nemoroſam quandam venerat ſolitudinem, cujus tranquillis ſilentiis præcelſa Brachmanorum ingenia potiuntur, eorumque monitu rationes mundani motus & ſiderum puroſque ſacrorum ritus quantum colligere potuit eruditus, ex his quæ didicit, aliqua ſenſibus Magorum infudit, quæ illi cum diſciplinis præſentiendi futura, per ſuam quisque progeniem poſteris ætatibus tradunt.* Hyſtaspem Regem vocat Ammianus, ſimili errore, quo Magos qui ad Incunabula CHRISTI religioſe acceſſere, Reges vulgo appellant. Sunt præterea qui Hyſtaſpem illum Magum longe antiquiorem Darii parente faciunt. Vereor etiam ne Brachman a Suida perperam appelletur Rex, in loco quem ſupra

per

per ſæcula multa ad præſens una eademque proſapia multitudo creata, Deorum cultibus dedicatur.

VII.

Calanos ſingularem fuiſſe Brachmanum ſectam ægre mihi perſuaſerim. Potius unius e Brachmanis hominis nomen proprium fuit, qui ex præpoſtera ambitione ſeipſum vivum Alexandri ætate in ſuburbio Babylonis flammis ſua voluntate tradidit comburendum. Hoc perſpicue docent Cicero (z) Strabo, Diodorus, Philo, Valerius Max. Plutarchus, Arrianus, Ælianus, Palladius. Somniis certe adſcribenda veniunt quæ veluti Ariſtotele auctore ex Clearchi Peripatetici libro primo de ſomno referunt Joſephus (a) & Euſebius, Judæos fuiſſe poſteros τῶν ἐν Ἰνδοῖς Καλανῶν, quos Syri Judæos a loco in quo deinde habitarent appellaverint. Quod ſi verum eſt, ſapientes quoslibet Calanos vocatos, (a Græcis quibusdam, credo, non ſane ab Indis, ut affirmat Suidas in Καλανός) factum hoc fuerit per antonomaſiam ab illo quem dixi Calano, non vero a Chalane civitate, a Nimrodo condita, cujus mentio Gen. X. 10. ut in mentem veniſſe video Georgio Hornio, (b) in originibus rerum vocumque aſſignandis non plane certiſſimo auctori. Neque vero Calano nomen illi Indo patria lingua proprium, ſed a Græcis inditum fuit, ut his verbis refert Plutarchus; (c) Τὸν μὲν Κάλανον ἔπεισεν ὁ Ταξίλης

attuli. Sententiæ meæ favet quod ſi Bardeſani apud eundem Porphyrium credimus, ὄτε βασιλεύεται Βραχμὰν, ὄτε συντελεῖ τι τοῖς ἄλλοις, *neque Regem habet Brachman, neque tributum aliis ſolvit.*

(z) Cic. 2. Tuſc. p. 186. Strabo XV. p. 715. 717. Diodorus lib. 17. p. 619. Philo lib. quod omnis probus liber. p. 680. Plutarchus in Alex. p. 701. Arrianus lib. 7. p. 444. Ælianus 2. Var. c. 41. & lib. 5. c 6. Valerius Max. lib. 1. c. 8. extern. 10. Palladius de Bragmanibus p. 14. &c.

(a) Joſephus 1. contra Apion. p. 1047. & Euſebius IX. 5. præparat. Clearcho ſuppoſitum librum rejicit Jonſius lib. 1. Hiſt. Philoſoph. cap. 18. Ad Jonſii argumenta reſpondet V. C. Chriſtianus Wormius de corruptis Hebræor. Antiquitatum apud Tacitum & Martialem veſtigiis c. IV. p 117. ſeq. Equidem Clearcho tale aliquid traditum, negare nolim propter hæc Laertii, præf. ſect. 9. Κλέαρχος δὲ ὁ Σολεὺς ἐν τῷ περὶ παιδείας καὶ τὰς Γυμνοσοφιστὰς ἀπογόνους εἶναι τῶν Μάγων φησὶν, ἔνιοι δὲ καὶ τὰς Ἰεδαίες ἐκ τέτων εἶναι.

(b) Hiſt. Philoſoph. p 108.

(c) Plutarch. in Alexandro p. 701.

ἐλθεῖν πρὸς Ἀλέξανδρον. Ἐκαλεῖτο δὲ Σφίνης. Ἐπεὶ δὲ κατ' Ἰνδικὴν γλῶτταν τῷ Καλὲ προσαγορεύων ἀντὶ τοῦ χαίρειν τοὺς ἐντυγχάνοντας ἠσπάζετο, Κάλανος ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων ὠνομάσθη. *Calanum quidem ut ad Alexandrum proficisceretur, Taxiles induxit.* Sphines *vocabatur, sed quod sermone Indico* cale *pro* salve *salutans obvios compellaret*, Calanus *est a Græcis nominatus.*

VIII.

In India, quam ut ab Occidentali, sive America distinguamus, Orientalem vulgo dicimus, versatos fuisse Brachmanas notissimum est, omniumque consensu convenit: & quamquam per varios Indorum populos sparsi essent, præcipue tamen sedes suas habuere circa Gangis ostia (d) non procul ab Oceano, in illa Indiæ parte quam intra Gangem veteres appellabant. Multæ ipsis tribuuntur urbes, (e) quarum nonnullas Alexander expugnavit. Alii in montibus montiumque cavernis, (f) alii in lucis (g) antiquo more vixere. Etiam in campis sub dio habuisse conventus, Arrianus (h) auctor est. Sed jam qualis ipsorum vita, quæ Philosophia fuerit, paucis videamus.

(d) Palladius de Brachman. p. 9.

(e) Vide Cellarii τοῦ μακαρίτου Notitiam Vet. Orbis loco laudato. Auctor expositionis Mundi a Jac. Gothofredo editus amplam Brachmanis ditionem tribuit mansionum quinque: *Et ipsi sine imperio transigunt bene, & deriment vicinorum bonitatem. Et est habitatio eorum, mansionum quinque.* Notus est per mansiones sive σαθμοὺς denotari iter equestre unius diei. Confer Eduardum Bernhardum de mensuris ac ponderibus p. 248. Curtius VIII. 9. de Brachmanis disserens: *illi qui in urbibus, publicis moribus degunt.*

(f) Strabo, Porphyr. &c. Anonymus de Bragmanibus p. 89. seq. *In defossis telluris speluncis, aut concavis montium latebris capaciter habitamus. Nullos ibi ventorum fremitus, nullos tempestatum turbines formidamus. Tutius nos defendit ab imbre spelunca quam tegula, cujus geminus nobis usus est mansionis, quia dum vivimus præstat vita, dum morimur sepultura.* Caucasi nives hiemalemque vim sine dolore perferre tradit Cicero V. Tusc. quæst.

(g) ἐν ἄλσει πρὸ τῆς πόλεως, Strabo. Tertullian. c. 42. Apologet. *Neque enim Brachmanæ aut Indorum Gymnosophistæ sumus, silvicolæ aut exules vitæ.* Augustinus XIV. 17. de Civ. Dei. *Per opacas quoque Indiæ solitudines, cum quidam nudi philosophentur &c.*

(h) Arrianus lib. 7. de expedit. Alexandri, sub init. ἐπαινῶ τοὺς σοφιστὰς τῶν Ἰνδῶν καταληφθέντας ὑπ' Ἀλεξάνδρου ὑπαιθρίους ἐν λειμῶνι, ἵναπερ αὐτοῖς διατριβαὶ ἦσαν.

CAPUT

CAPUT II.
DE BRACHMANUM VETERUM THEOLOGIA.
I.

Cum Theologia omnis duplici capite absolvatur, sensu de DEO rebusque divinis, & cultu DEI, primum quæ Brachmanum de Numine sententia fuerit cognoscere juvat. Unum (a) itaque agnovere Deum summum, auctorem lucis & omnis boni, ipsumque lumen (b) non quale communiter adspicimus & quale sol est vel ignis, sed longe subtilius perfectiusque, conditorem mundi (c) conservatoremque, hoc universum permeantem, hoc indutum * corpore.

(a) Dandamis apud Palladium p. 22. Ὁ Θεὸς ὁ μέγας βασιλεὺς ὕβριν οὐδέποτε γεννᾷ κ. τ. λ. *Deus magnus Rex, nunquam injuriæ auctor, sed lucis, pacis, vitæ, aquæ, corporum animarumque humanarum, quas recipit cum eas fatum solverit, nunquam indulgens cupiditatibus. Hic meus Dominus est & Deus solus.* & p. 39. Βασιλεύεις γὰρ τῶν ὅλων σὺ μόνος ἀληθῶς. Quanquam vero libenter fateor. Christianorum scriptorum longius ab Alexandri ætate remotorum, Palladii, Anonymique & Origenis testimonia haud tantæ auctoritatis esse, ut non suspicari liceat illa Christianis phrasibus & fortasse sensibus interpolata fuisse; utemur tamen illis tantisper, quamdiu non occurrent nobis vetustiorum scriptorum loca, illis diserte contraria, vel aliquid quod ab Ethnico proficisci non possit, ad Brachmanas ab ipsis referri annotabimus.

* Origenes Philosophum. p. 164. 165.

(b) Origenes sive quisquis auctor Philosophumenon c. 24. de Brachmanibus: αὐτοὶ τὸν θεὸν φῶς εἶναι λέγουσι, οὐχ ὁποῖον τις ὁρᾷ, οὐθ' οἷον ἥλιος καὶ πῦρ κ. τ. λ.

(c) Strabo loco laudato, ubi de Brachmanis: ὅτι γεννητὸς ὁ κόσμος καὶ φθαρτὸς, λέγειν κἀκείνους, καὶ ὅτι σφαιροειδής. ὅ, τε διοικῶν αὐτὸν καὶ ποιῶν Θεὸς δι' ὅλου διαπεφοίτηκεν αὐτοῦ.

II.

Ab hoc DEO immortali (d) & munifico (e) ſcienteque omnia (f) Domino cunctorum atque judice (g) non dubitarunt curam haberi (h) rerum omnium, humanarum præſertim, amari maxime pios tanquam ipſius ſimiles (i) animasque corpore ſolutas (k) ſuſcipi; honorari probos, condemnari ac puniri (l) improbos.

III.

Si Auctorem Philoſophumenon audimus, Deum vocarunt (a) λόγον, quod in Anonymo (b) diſertius etiam traditur his verbis; *Nam verbum Deus*

(d) Dandamis apud Palladium p. 39. Ἀθάνατε κύριε κ. τ. λ.

(e) Id. p. 38. Τὰ γὰρ πάντα δωρεὰν ὁ Θεὸς δίδωσί μοι, καρποὺς εἰς τροφὴν, καὶ ὕδωρ εἰς πότον, ὕλας εἰς τόπον οἰκίας, ἀέρα εἰσ αὔξησιν τῶν πάντων.

(f) Id. p. 31. καὶ τούτῳ λέληθεν οὐδὲν, οὗ ὄμματα πάντες οἱ ἀστέρες ἥλιόςτε καὶ σελήνη. *Nihil DEO latet, cujus oculi omnes ſtellæ, ſol & luna.*

(g) Id. p. 24. 31. 41.

(h) Id. p. 18. 32. 45. 46. 51. Quod itaque p. 8. Palladius negat Brachmanas potuiſſe διευκρίνειν τοὺς τῆς προνοίας λόγους, non indicat eos negaſſe providentiam, ſed non potuiſſe omnia providentiæ divinæ opera, præcipue gratioſæ illius de ſalute per Chriſtum humano generi paranda, aſſequi.

(i) Anonymus p. 94.

(k) Dandamis ad Alexandrum: *Etſi me occideris tibi utilia dicentem, non metuo. Abibo enim ad Deum meum qui omnia creavit.* ἀπελεύσομαι γὰρ πρὸς τὸν Θεόν μου ὃς κατεσκεύασε τὰ πάντα. Pallad. p. 31.

(l) Id. p. 24. 31. 41. &c.

(a) Origenes Philoſophum. p. 159. ὁ Θεὸς αὐτοῖς λόγος, οὐχ ὁ ἔναρθρος ἀλλὰ ὁ τῆς γνώσεως, δι' οὗ τὰ κρυπτὰ τῆς γνώσεως μυστήρια ὁρᾶται σοφοῖς. Τοῦτο δὲ τὸ φῶς ὅ φασι λόγον τὸν Θεὸν, αὐτοὺς μόνους εἰδέναι Βραχμᾶνες λέγουσι διὰ τὸ ἀποῤῥίψαι μόνους τὴν κενοδοξίαν.

(b) Anonymus de Bragmanibus p. 94.

eſt,

eſt, hoc mundum creavit, hoc regit & alit omnia: hoc nos veneramur, hoc diligimus, ex hoc ſpiritum trahimus, ſi quidem ipſe Deus Spiritus eſt atque mens. Quanquam vero hæc Chriſtiano more ſcripta adeoque Brachmanis afficta poſſint videri, certum tamen eſt, quam plurimos etiam Græcorum Philoſophos Deum rationem & Spiritum, ſed minime Chriſtiano, ut libenter fateor, ſenſu confeſſos fuiſſe. Nam ut Platonicos omittam, quid diſertius his verbis Senecæ, Conſolat. ad Helviam capite VIII. *Id actum eſt, mihi crede, ab illo, quisquis formator univerſi fuit, ſive ille* Deus *eſt potens omnium, ſive* incorporalis ratio *ingentium operum artifex, ſive* Divinus Spiritus *per omnia maxima minima æquali intentione diffuſus.* Similiter Manilius lib. 2. v. 60. ſeq.

Namque canam tacita Naturæ mente potentem
Infuſumque Deum *cælo, terriſque fretoque,*
Ingentem æquali moderantem fœdere molem,
Totumque alterno conſenſu vivere mundum
Et rationis *agi motu, quum* Spiritus *unus*
Per cunctas habitet partes atque irriget orbem
Omnia pervolitans, corpusque animale figuret.

Plutarchus lib. I. Hiſt. Philoſoph. cap. VII. οἱ ςωϊκοὶ κοινότερον ΘΕΟ'Ν ἀποφαίνονται, πῦρ τεχνικὸν ὁδῷ βαδίζον ἐπὶ γενέσει κόσμȣ ἐμπεριειληφότα πάντας τȣ̀ς σπερματικȣ̀ς ΛΟ'ΓΟΥΣ, καθ' ὃς ἕκαςα καθ' εἱμαρμένην γίνεται, καὶ ΠΝΕΥ͂ΜΑ μὲν διῆκον δι' ὅλȣ τȣ̃ κόσμȣ, τὰς δὲ προσηγορίας μεταλαμβάνον δι' ὅλης τῆς ὕλης &c. Sane cum Græcis Philoſophis in multis capitibus conſpirare, περὶ πολλῶν τοῖς ἕλλησιν ὁμοδοξεῖν Brachmanas, diſerte traditum Megaſtheni apud Strabonem: præcipue vero illi ad Stoicorum placita acceſſiſſe videntur, unde Geographus Ravennas a Porcherono & hinc a Jac. Gronovio V. C. editus per *Stoicos ex Indorum genere homines* (c) Brachmanas haud dubie intellexit.

(c) Geographus Ravennas lib. 1. p. 12. *Legimus etiam illum magnum Regem Macedonum Alexandrum, dum trans Indorum patriam eremum diebus perambulaſſet plurimis, non ſolum a Stoicis ex Indorum gente hominibus, ſed & a Dæmonibus, qui etiam nolentes proferre veritatem, ut aſſolent, accepit reſponſum idem Alexander, quod infinita apud humanos greſſus illa exiſteret eremus, & ideo quidem ad propria remeandum, ipſe regrediebatur Alexander.*

IV.

Deum ἰδίᾳ φωνῇ (a) semper appellatum a Brachmanibus, auctor Philosophumenon annotat, hoc est singulari nomine quod lucem ipsorum lingua significabat. Ita enim locus ille videtur esse intelligendus. Hodie Bramines summum Deum ***Wistnou*** (b) appellare dicuntur vel ***Peremael*** vel ***Eswara*** denique, sed & aliis millenis affirmant venire nominibus, quorum unum vel plura habeantne cum veteri illo Brachmanum quicquam commune, mihi haud constat.

V.

Sub summo DEO saltem nonnulli Brachmanum inferiores coluere Deos, *solem* maxime lucis invisibilis simulacrum, quem jam pyram conscendens adorabat Calanus, teste Æliano; (c) tum Bacchum (d) & Buttam (e)

(a) Origenes p. 162. ἀεὶ δὲ ἰδίᾳ φωνῇ Θεὸν ὀνομάζουσι καθὼς προείπομεν. Recte observatum a Clarissimo J. Christophoro Wolfio in eruditis ad Origenem notis est, ἰδίᾳ φωνῇ esse vertendum *proprio nomine*, non *propria lingua*. Quodnam vero proprium illud ac singulare nomen? Quoniam addit Origenes, καθὼς προείπομεν, suspicor fuisse nomen hujusmodi quod *lucem* Brachmanum lingua significaret. Nam lucem vocatum esse ab aliis Deum jam prædixerat Origenes.

(b) Roger p. 219. seq.

(c) Ælian. V. 6. Var. Hist. καὶ ὁ μὲν ἥλιος αὐτὸν προσέβαλλεν, ὁ δὲ αὐτὸν προσεκύνει. Idem testatur Lucianus de morte Peregrini p. 781. cujus locum jam annotavit eruditissimus Æliani editor Perizonius: ὡς πρὸς ἀνίσχοντα τὸν ἥλιον ἀσπασάμενος, ὥσπερ ἀμέλει καὶ τοὺς Βραχμᾶνας φασὶ ποιεῖν, ἐπιβήσεται τῆς πυρᾶς. Solem a Brachmanibus cultum, refert etiam Philostratus lib. 3. de vita Apollonii c. 4. p. 120.

(d) Confer Hornii Hist. Philosoph. p. 108. seq. & quæ Viri docti ad Curtium lib. 10. cap. 8.

(e) De Indorum Philosophis Clemens I. Strom. p. 305. εἰσὶ δὲ τῶν Ἰνδῶν οἱ τοῖς Βουττὰ πειθόμενοι παραγγέλμασιν. ὃν δι᾽ ὑπερβολὴν σεμνότητος εἰς Θεὸν τετιμήκασι. Ejusdem Buddæ sive Buttæ meminit Hieron. I. contra Jovinian. T. 2. Opp. p. 35. *Apud Gymnosophistas Indiæ quasi per manus hujus opinionis auctoritas traditur, quod Buddam principem dogmatis eorum è latere suo Virgo generavit.* Sed fallitur utique vir doctus G. J. Vossius qui lib. I. c. 1.

Hercu-

Herculemque (f) ac Panem. Atque si Curtio (g) credimus, *Deos putabant quicquid colere cœperunt, arbores maxime, quos violare capitale.* Imagines sive ξόανα nulla (h) venerabantur Θεῷ προσέχοντες, neque templa (i) Deo splendida arasve auro & gemmis superbas dedicabant. Sacrificiis (k) quoque & mactatione animantium, neutiquam putarunt Numen delectari.

VI.

Animam nobiliorem (a) partem hominis corporique superstitem (b) esse non dubitavere, unde mortis apud eos (c) contemtus: Recte tamen hanc alacriter potius exspectandam (d) quam sponte sibi consciscen-

§. 20. de sectis Philosophorum, cum hoc Budda sive Butta confundit Buddam juniorem Manetis discipulum, de quo Suidas in Μάνης, Cedrenus & alii. οὗτος ὁ καὶ Μάνης καὶ Σκυθιανὸς λεγόμενος, Βραχμὰν ἦν τὸ γένος, διδάσκαλον δὲ ἔσχε Βουδδᾶν τὸν πρώην καλούμενον Τερέβινθον, ὃς παιδευθεὶς τὰ Ἑλλήνων τὴν Ἐμπεδοκλέους ἠγάπησεν αἵρεσιν, δύο ἀρχὰς λέγων τὰς ἀντικειμένας ἀλλήλαις, νεῖκος καὶ φιλίαν.

(f) Clemens 3. Strom. pag. 451. ex Alexandri Polyhistoris Indicis: Βραχμᾶναι γοῦν - - οἱ δὲ σέβουσιν Ἡρακλέα καὶ Πᾶνα.

(g) Curtius VIII. 9.

(h) Bardesanes apud Euseb. VI. 10. præparat. p. 275.

(i) Dandamis apud Anonymum de Bragmanibus p. 94.

(k) Palladius p. 45. Anonymus p. 94. 95.

(a) Corpus vestimentum animæ. Origen. p. 158.

(b) Strabo: παραπλέκουσι δὲ καὶ μύθους, ὥσπερ καὶ Πλάτων περί τε ἀφθαρσίας ψυχῆς καὶ τῶν καθ᾽ ᾅδου κρίσεων.

(c) Orig. Philosophum. p. 162. Palladius p. 26. ἡμεῖς Θεὸν τιμῶμεν, ἀνθρώπους φιλοῦμεν, χρυσοῦ ἀμελοῦμεν, θανάτου καταφρονοῦμεν, ἡδονῶν οὐ φροντίζομεν. Clemens Alex. III. Strom. p. 451. καταφρονοῦσι δὲ θανάτου καὶ παρ᾽ οὐδὲν ἡγοῦνται τὸ ζῆν, πείθονται γὰρ εἶναι παλιγγενεσίαν. Strabo: πλείστους δ᾽ αὐτοῖς εἶναι λόγους περὶ θανάτου, νομίζειν μὲν γὰρ δὴ τὸν μὲν ἐνθάδε βίον ὡς ἂν ἀκμὴν κυομένων εἶναι. Τὸν δὲ θάνατον γένεσιν εἰς τὸν ὄντως βίον καὶ τὸν εὐδαίμονα τοῖς φιλοσοφήσασι. Διὸ τῇ ἀσκήσει πλείστῃ χρῆσθαι πρὸς τὸ ἑτοιμοθάνατον.

(d) Megasthenes ap. Strabon. ἐν μὲν τοῖς φιλοσόφοις οὐκ εἶναι δόγμα ἑαυτοὺς

dam

dam duxerunt, nonnullis licet (ut Calanus fecit) præpostera ambitione sibi ipsis diem leti admoventibus. Quosdam recidivatum quoque animæ (e) sive *μετενσωματωσιν* statuisse traditum est, atque hac in parte cum Pythagoricis placitis, quibus innumeri alii assensi sunt, conspirasse. De piorum certe præmiis (f) post fata, suppliciisque (g) impiorum præclara ipsorum scita referuntur.

VII.

Cultum Numinis, cujus se filios esse (h) & cognatos gaudebant, constituerunt in imitatione (i) & amore DEI, in cura diligenti animæ (k) atque corporis debellatione, (l) in perenni DEI concelebratione, (m) precibusque & hymnis. Ad Deum denique qui solus sapientiæ (n) auctor Brachmanis creditus, illis solis rati sunt patere accessus, (o) qui de cupidi-

ἐξάγειν, τὺς δὲ ποιῦντας τῦτο νεανικὺς κρίνεσθαι. Curtius VIII. 9. *Nec quemquam admovere leti diem credunt cui expectare interrito liceat.*

(e) Vide Vossium lib. I. de Philosophorum sectis cap. 1. §. 21.

(f) Palladius p. 39.

(g) Idem p. 34.

(h) Anonymus de Bragman. p. 94.

(i) Pallad. p. 40.

(k) Origenes p. 158. seq.

(l) Pallad. p. 16. Origenes p. 165. 166. Philosophum.

(m) Pallad. p. 17. Θεῷ ὕμνυς ᾄδομεν. Porphyr. Θρησκεύυσί τε τὸ θεῖον καὶ ἐυσεβῦσι περὶ ἀυτὸ καθορῶνται. Τὸν τοίνυν Χρόνον τῆς ἡμέρας καὶ τῆς νυκτὸς τὸ πλεῖσον εἰς ὕμνυς Θεῶν ἀπένειμαν καὶ ἐυχάς. Etiam pro publica Indorum salute sacra facere solitos Brachmanes, & privatis Indorum sacris ἐξηγητὰς adstitisse, auctor Arrianus in Indicis. Dandamis apud Ambrosium p. 66. *Hymnos Deo canimus, & futuri sæculi vitam desideramus, nullumque quod prodesse nobis non possit audimus.* Hymnorum exempla vide apud Palladium. p. 39. Ambros. p. 77.

(n) Orig. p. 160. δι' ὃ τὰ κρυπτὰ τῆς γνώσεως μυσήρια ὁρᾶται σοφοῖς. Confer. Ambros. de Bragman. p. 76.

(o) Orig. p. 661. Πάντας δὲ ἀνθρώπυς λέγυσιν αἰχμαλώτυς εἶναι τῶν ἰδίων συγγενῶν πολεμίων, γασρὸς καὶ αἰδοίων, λαιμῦ, ὀργῆς, χαρᾶς, λύπης, ἐπιθυμίας καὶ τῶν ὁμοίων. Μόνος δὲ πρὸς τὸν Θεὸν χωρεῖ ὁ κατὰ τύτων ἐγείρας τρόπαιον.

ratibus

tatibus suis tanquam consanguineis hostibus tropæum erexerint; Neque animam cupiditatibus refertam (p) divinæ capacem esse sapientiæ.

VIII.

Precati oculos in quamcunque cœli plagam intentos habuerunt, non in solum orientem, [q] licet quidam ex Indorum Gymnosophistis feruntur ab exortu ad occasum perstitisse, contuentes solem immobilibus oculis, [r] ferventibusque arenis toto die alternis pedibus institisse, quæ ipsorum patientia omnem Stylitarum constantiam exsuperat. Est etiam aliud quod de illis refertur a Philostraro [s] adhuc incredibilius, quod inter precandum terra sub ipsis elevata eos in sublime sustulit duarum ferme ulnarum altitudine, ut a Brachmanibus videatur mutuatus Palladius cum in Lausiaca sua de Macario Alexandrino scripsit p. 51. ἐπὶ τοσοῦτον ὁ ἅγιος τούτῳ ἐπήυξατο, ἕως οὐ αὐ-

(p) Pallad. p. 26.

(q) Palladius de Bragman. p. 8. εὐχόμενοι δὲ ἀντὶ τῆς ἀνατολῆς τῷ οὐρανῷ ἀτενίζουσι, τῇ τροπῇ τῆς ἀνατολῆς οὐ προσέχοντες.

(r) Plinius Hist. Nat. lib. VII. cap. 2. Solin. c. 66. Strabo: χαλεπώτατον δ' εἶναι τὸ ἥλιον ὑπομεῖναι οὕτω θερμὸν, ὥστε τῶν ἄλλων μηδένα ὑπομένειν γυμνοῖς ἐπιβῆναι τοῖς ποσὶ τῆς γῆς ῥᾳδίως τὴν μεσημβρίαν.

(s) Philostratus III. 5. de vita Apollonii p. 123. λυσάμενοι ὧδε πρὸς τὸ ἱερὸν ἐβάδιζον ἐστεφανωμένοι καὶ μεστοὶ τοῦ ὕμνου. Περιστάντες δὲ ἐν χοροῦ σχήματι καὶ κορυφαῖον ποιησάμενοι τὸν Ἰάρχαν ὀρθαῖς ταῖς ῥάβδοις τὴν γῆν ἔπληξαν. Ἡ δὲ κυρτωθεῖσα δίκην κύματος ἀνέπεμψεν αὐτοὺς ἐς δίπηχυ τοῦ ἀέρος. οἱ δὲ ᾖδον ᾠδήν &c. Mihi videtur hæc res gesta esse per artificium pegmatis humo atque herbis superstrati quod se machina quadam attolleret. Dixerat idem Philostratus III. 4. p. 119. seq. ὁ δέ γε Δάμις φησὶ χαμευνίᾳ μὲν αὐτοὺς χρῆσθαι, τῇ δὲ γῇ ὑποστρωννύναι πόας ἃς ἂν αὐτοὶ αἱρῶνται καὶ μετεωροποροῦντας δὲ ἰδεῖν ἀπὸ τῆς γῆς ἐς πήχεις δύο, οὐ τῆς θαυματοποιίας ἕνεκα, τὸ γὰρ φιλότιμον τοῦτο παραιτεῖσθαι τοὺς ἄνδρας, ἀλλ' ὁπόσα τῷ ἡλίῳ ξυναποβαίνοντες τῆς γῆς δρῶσιν, ὡς πρόσφορα τῷ Θεῷ πράττοντες. Meminit & Eusebius contra Hieroclem, ἱστάναι τε αὐτοὺς μετεώρους ἐν αὐτῷ ἀέρι ἐπί τι χρόνου διάστημα, sed plus mihi, quam Philostratus dixerat, referre Eusebius videtur.

τὸν ἀπὸ ἀέρος ἐποίησεν κρεμασθῆναι. Neque ab hoc abludit quod Jo. Petrus Maffejus in vita Ignatii Lojolæ [t] retulit, *visum illum esse orantem elevante Spiritu sarcinam corporis quatuor fere cubitis a terra sublimem.*

IX.

Appendicis loco huic capiti locum insignem subnectam Bardesanis, quem e Porphyrii libro de Styge servavit Stobæus [u] & post Lucam Holstenium [x] Jac. Tollius [y] V. C. latine reddidit, ex quo apparebit, qualis fuerit Brachmanum quorundam initiatio aquaque Tantalia atque exploratoria, qua reos criminis quod fateri nollent a DEO prodi affirmabant: Πυνθάνοντες τοῦ ἀνθρώπου &c. *Interrogant primum hominem cujus delatum nomen est, velitne per aquam illam in se inquiri? Recusantem velut confessum reum ablegant ad tribunal, daturum illic admissi facinoris commeritas pœnas. At si quæstionem admiserit, inducunt eum una cum accusatoribus in illud quod memoravimus stagnum. Nam & hi in aquam descendere coguntur, ut & ipsorum exploretur animus, verene an per calumniam reum accusaverint. Ergo ubi*

(t) Mericus Casaubonus lib. de Enthusiasmo c. VI. *In vita Ignatii Lojolæ descripta à viro nescio utrum tam fide digno quam eloquentissimo Maffejo legitur, visum illum esse orantem elevante spiritu sarcinam corporis, quatuor fere cubitis à terra sublimem. Ubi admirari juvat prudentiam Jesuitæ, si legit quæ de Apollonio Tyaneo Philostratus olim prodidit memoriæ, Philosopho an Mago nescio -- Quod si non legit Philostratum Maffejus, non minus admiratione dignum videatur duos homines versutissimos in tanto non locorum tantum intervallo sed temporis quoque aliquoties centum nimirum annorum supra mille, ita plane convenire potuisse non in re ipsa modo verum etiam nomine genereque (diversa licet quantitate) mensura.* &c Non omittenda & hæc Bodini in Colloquio Heptaplomere MS. libro 2. *Memini cum essem in Hispania, Magdalenam Crucoam Monasterii Cordubensis principem a Paulo III. Pontifice Max. veniam impetravisse, quæ annos amplius triginta cum atrato dæmone ephialte concubuisset, tametsi tantam vitæ ac religionis integritatem præ se ferret, ut quasi ab angelo dum sacra fierent sublimis veheretur à terra, quod Porphyrius etiam Jamblicho sacra facienti contigisse tradit.* Nusquam equidem de Jamblicho hæc tradit Porphyrius, ac ne Eunapius quidem.

(u) Eclog. Phys. Locum qui in editione Antwerpiensi non occurrit vulgavit A. Schottus lib. 5. Obs. human. c. 20.

(x) Holsten. ad calcem Vitæ Pythagoræ a Porphyrio scriptæ.

(y) Tollius c. 28. fortuit. p. 230. seq.

& hi

& hi & ille stagnum ingressi sunt, ad adversam pertendunt ripam. Stagni vero altitudo passim vix ad genua attingit, nec ultra ascendit si reus insons fuerit, sic, ut is tuto stagnum transeat. Quod si vero culpa proximus fuerit, progressus aliquantum, increscentibus aquis sensim obruitur, capiteque tenus immergitur. Tum vero Brachmanes inde retractum tradunt eum accusatoribus, rogantes ut intra mortis supplicium corrigatur. Raro autem accidit ut negare quis crimen ausit, omnibus passim per hanc aquam redargui metuentibus atque indicari. Hanc igitur sponte patratorum facinorum habent indicinam.

Ceterum eorum quæ præter animi sententiam ac inviti committunt, imo & quorumvis, etiam spontaneorum, adeoque totius vita alia etiam apud eos est explorandi ratio ac via. Specus enim illic est ingenuus, ingens, in medio ferme perexcelso monte in quo statua (Naturæ imaginem referens) *visitur cubitum decem admodum vel duodecim, erecto corpore, manibus in speciem ferme crucis dispessis: cujus dextra faciei pars virum, sinistra fœminam refert, nec vultus tantum sed & brachii pedisque adeoque universi altera pars virilis est altera vero fœminea, sic ut in ipso statim primo intuitu conjuncta hæc in uno corpore collataque inter se amborum diversitas spectatores mirifice commoveat ac perturbet. Dextra hujus mamma sol insculptus, sinistra luna: utrique autem brachio ἀγγέλων ἀριθμὸς angelorum numerus, tum cuncta quæ spectantur in hoc mundo, ut sunt cœlum, montes, maria, flumina, oceanus, plantæ, animalia cateraque id genus alia. Hanc statuam Deum filio dedisse ajunt, cum mundum conderet* (z) *ut exemplar haberet condendorum, neque quenquam scire mortalium ex quanam materia facta esset. Neque enim auream esse, nec argenteam, nec æream, nec lapideam nec ex ulla alia ejusmodi materia: proxime tamen potius ad ligni speciem accedere, verum durissimi, & si quod aliud incorruptibilis, neque tamen esse lignum. Addunt hisce, fuisse olim de Regibus quendam, qui ex occipiti statuæ capillum evellere voluerit, sed emanante statim sanguine adeo perterritum animo & consternatum, ut vix intercedentium pro ipso Brachmanum precibus recreari Deoque reconciliari potuerit. Hujus statuæ vertici Dei imaginem, Θεοῦ ἄγαλμα, veluti throno cuidam insidere, ac totam subinde statuam æstuante aëre sudore diffluere, qui ventulo flabellis facto a Brachmanis sistatur, quod ni faciant, plurima diffluentis sudoris copia omnem circum illam tellurem velut irrigari.*

(z) Equidem mundum non ab ipso summo Deo sed jussu ejus a Brahma conditum hodie quoque sentiunt Brahmines. Sic & Platonis schola DEO subordinabat Demiurgum.

Interiora autem atque ipsum adeo specus recessum obscurum plane esse ferunt ac tenebrosum, ita ut penetrare cupientes facibus opus habeant, quo viam inveniant. In hoc intimo recessu januam ulterius tendentibus obstare, per quam aqua effluat, illa quæ circa extima specus restagnet. Hac intrare conantibus qui semet ipsi explorare volunt, si puri innoxiique fuerint, patere viam, ac statim amplissimum sese aperire aquæ fontem limpidissimæ, e quo fonte illa quam diximus aqua emanat. Sed qui in culpa reatuque sint, multo nisu intrare nitentes non posse, ita sese illam coarctare. Repulsos igitur confiteri sodalibus delicta rogareque, ut pro se reliqui precibus placent Deum, diutinisque semetipsi jejuniis macerent.

Illic offendisse se Sandales ajebat Brachmanum conventus annuos, ad condictum diem: Ceterum nonnullos illic assidue commorari, ceteros undequaque quotannis tempore æstivo atque etiam autumnali, vigente cum maxime vindemia, cum ad statuæ contemplationem tum ad mutua colloquia convenire, suique experimentum capere, si qua forte per prædictam januam intrare possint. Illic quæri de insculptis illi corpori figuris: non enim facile esse eas omnes assequi, quod & multa sint, nec omnia animalia seu plantas quævis terra ferat.

Atque hæc sunt quæ de sua explorationis aqua Indi narrant. Puto autem & Apollonium Tyaneum aquæ hujus quæ in specu est meminisse. Brachmanibus enim scribens, jusjurandum aliquod concipit: Non per aquam Tantaliam qua me initiastis. *Ita enim existimo, Tantaliam ipsum ideo illam appellare, quod ad se adire summo studio annitentes, ex eaque potum petere desiderantes, perpetua illa expectatione torqueat & castiget.*

Artificium hujus aquæ exploratoriæ assequi cogitando atque aperire non est difficile. Erant enim intus meatus subterranei, ut non absurde conjicit V. C. Jacobus Tollius (a) fistulis plumbeis instructi atque adornati, unde ab hujus technæ consciis Brachmanibus aqua clam emittebatur. Hi namque cum ex ipso vultu tum e sermone aliisque multis argumentis facile de cujusvis innocentia, integritateque facere poterant conjecturam. Hinc signo dato adapertisque clanculum valvulis, immissa in stagnum aqua, repente ad eam, qua opus erat, adsurgebat altitudinem. Nec aliam in propellenda in antro janua machinam adhibere erat necesse. Si quis ea de re dubitat, Lucianum velim respiciat libro de Dea Syria.

(a) Tollii fortuita p. 255.

CA-

CAPUT III.

DE VETERUM BRACHMANUM PHILOSOPHIA ET MORIBUS.

I.

Logicæ veterum Brachmanum quemadmodum Rhetoricæ quoque & Grammaticæ exigua supersunt vestigia. Nam ut de Grammatica prius dicam, cum Græcis per interpretes (a) locutos & Indorum lingua usos constat, qualis vero illa fuerit, vel quam longe fuerit ab hodierno Braminum (b) idiomate diversa, vix quisquam sit hodie qui accurate definire queat. Dubitari quoque possit, miserintne quicquam in litteras, an potius eadem fuerit ipsorum sententia quæ Amuntis Ægyptii apud Platonem (c) existimantis litterarum usum obesse memoriæ, vel cum Druidibus (d) nefas forte esse duxerunt disciplinæ suæ capita litteris complecti. Nam illæ quidem Epistolæ quæ Dindimi sive Dandamidis vel Calani vel alius cujusque e Veteribus Brachmanis feruntur nomine, diu post confictæ videntur.

II.

Dicendi præcepta quænam expectemus ab his, quorum eloquentia omnis in tacendo (e) vel paucissima loquendo consistebat. Non defuit tamen

(a) δι' ἑρμηνέων Arrian. VII. de expedit. Alex. δι' ἑρμηνέων τριῶν Strab.

(b) Orationis Dominicæ versionem latinam litteris Brachmanum hodiernorum descriptam exhibet Kircherus China illustrata p. 162. Occurrit etiam inter orationis Dominicæ versiones centum p. 24. Brachmanicam Grammaticam Ms. asservari in Museo Kircheriano Romæ, auctore Henrico Roth, Missionario Mogoritano, e Georgio de Sepibus notavit Jo. Jacobus Hofmannus in Lexico universali.

(c) Amus ad Theutum litterarum repertorem apud Platonem in Phædro: οὐκ οὖν μνήμης ἀλλ' ὑπομνήσεως φάρμακον εὗρες, σοφίας δὲ τοῖς μαθηταῖς δόξαν οὐκ ἀλήθειαν πορίζεις.

(d) Cæsar VI. 14. de bello Gallico.

(e) Sic Calanus moniturus Alexandrum ut in medio regni sui consisteret, neque procul ab hoc vagaretur, corium in medium coniecit siccum & retorridum cuius oram calcavit. Id uno loco pressum cæteris partibus extulit se. Idem circu-

ipsorum sermoni si loqui vellent acumen, (f) vim eis suppeditabat libertas ac naturæ veritatisque simplicitas, licet alioqui a Rhetorum præceptis & ornate atque copiose verba faciendi disciplina prorsus alienos (g) se profitebantur.

III.

Dialecticæ disciplinæ, apud Brachmanas perinde ut apud multas alias gentes orientales, & Judæos (h) exiguus usus, vestigia propemodum nulla, altercationum vero quales fuere inter Græcorum Philosophos frequentissimæ, justus contemtus ac detestatio. Pro Criterio veritatis non solum sensuum judicium habebant, docendi vero causa vel persuadendi raro usi sunt demonstrationibus, nedum formatis syllogismis, sæpius parabolis, fabulisque, & brevibus sententiis atque acute vel etiam obscurius dictis, quæstionibus & responsionibus.

IV.

Physices sive doctrinæ naturalis ab ipsis traditæ capita hæc fere pauca a veteribus (i) referuntur. Mundum a DEO conditum esse universum simul,

lans undique & pedibus stringens in quaque parte ostendit evenire, quoad medium pedibus occupavit, tunc omnes partes quievere. *Refert Plutarchus in Alex.* Alii e Brachmanibus viso Alexandro cum maximis copiis adventante pedibus pulsarunt terram, reprehensuri ejus stultitiam, quod cum homo esset nec plus terræ quam pede calcaret vel quanta sepulturæ esset suffectura possidere posset, relicto regno suo ad extrema terrarum procurreret & sibi aliisque tantum negotii facesseret. *Arrianus lib. 7. de Alexandri expedit.*

(f) Exempli loco sunt responsiones Brachmanum ad quæsita Alexandri, apud Plutarch. loco laudato.

(g) Dandamis apud Anonymum de Bragmanibus p. 93. *Nos artem bene loquendi non discimus, neque facundia Rhetorum Oratorumque damnis operam, cujus officium est phaleratis sermonibus figmentare mendacia, & innocentia fidem conferre criminibus, ac parricidis reos assignare piissimos, qui dum putant se aliena laudis factum per iniquam victoriam rapuisse, nesciunt munimentum se suæ conscientiæ perdidisse. Simplex apud nos eloquentia est communisque omnibus NON MENTIRI.*

(h) Confer Jo. Jacobi Schudt Orat. de artificio disputandi, ad calcem Judæi Christicidæ p. 405. seq.

(i) Videndus præter Strabonem Philostratus III. de vita Apollonii c. 11.

unum

unum sphæricumque, animatum, atque corruptibilem: compositum ex quatuor elementis & quinta materia subtiliore atque ætherea: Terram aquis minorem (k) & ab illis sustineri, inque medio universi sitam. Animæ velamentum (l) corpus, quo in morte deposito (m) integrum fore homini instar piscium ex aquis prominentium solem purum contemplari.

V.

Apulejo si credimus (n) Pythagoras Brachmanas adiit, & Brachmanæ ad Pythagoræ Philosophiam pleraque contulerunt, *quæ mentium documenta, corporumque exercitamenta, quæ partes animi, quot vices vitæ, quæ Diis Manibus pro merito suo cuique tormenta vel præmia.* Ex Q. Curtii testimonio (o) *illi qui in urbibus publicis moribus degunt, siderum motus scite spectare dicuntur & futura* (p) *prædicere - - Menses in quinos denos descripserunt dies, anni plena spatia servant. Lunæ cursu notant tempora non ut plerique quum orbem sidus implevit, sed quum se curvare cœpit in cornua. Et idcirco breviores habent menses quia spatium eorum ad hunc lunæ modum dirigunt.* Habuit igitur annus Brachmanum menses saltem quatuor & viginti, quorum primus incepit primo quadrante sive a *Φάσει* lunæ corniculatæ seu

(k) Jarchas apud Philostratum p. 144. εἰ μὲν πρὸς τὴν θάλατταν ἡ γῆ ἐξετάζοιτο, μείζων ἐστι, τὴν γὰρ θάλατταν αὐτὴ ἔχει. Εἰ δὲ πρὸς πᾶσαν τὴν ὑγρὰν οὐσίαν θεωροῖτο, ἥττω τὴν γῆν ἀποφαινοίμεθα ἄν, καὶ γὰρ ἐκείνην τὸ ὕδωρ φέρει. Hinc ἀρχὴν τῆς κοσμοποιΐας esse aquam ex Brachmanum mente scribit apud Strabonem Megasthenes, ἀρχαὶ δὲ τῶν μὲν συμπάντων ἕτεραι, τῆς δὲ κοσμοποιΐας τὸ ὕδωρ. Πρὸς δὲ τοῖς τέσσαρσι στοιχείοις πέμπτη τίς ἐστι φύσις ἐξ ἧς ὁ οὐρανὸς καὶ τὰ ἄστρα. γῆ δ᾽ ἐν μέσῳ ἵδρυται τοῦ παντός.

(l) Origenes Philosophum. p. 158. seq.

(m) Id. p. 167.

(n) Apulejus Floridis lib. 2. p. 231. edit. Colvii.

(o) Curtius lib. 8. cap. 9.

(p) Quod vero Solinus cap. 52. in globo igneo rimantes secreta quædam inducit Brachmanas, non ita acceperim cum erudito viro P. Bælio, ac si sole veluti speculo Mantico usi fuissent, sed quod tam intentis oculis atque ut Plinius VII. 2. Hist. tradit immobilibus sint speculati, ac si in eo nescio quæ secreta rimarentur.

διχο-

διχοτόμου potius: alter a quadrante tertio sive a φάσει lunæ iterum decrescentis postquam ἀμφίκυρτος apparuit. Tertius mensis iterum a quadrante primo sive a facie lunæ falcata atque ita deinceps. Sic putem Curtium intelligendum, atque adeo absolvendum esse a plerisque ἀκυρίαις atque contradictionibus, quarum eundem arguuit (q) vir summus Josephus Scaliger. Neque tamen ab omnibus Brachmanis ita annum dispertitum esse affirmaverim, certe ita non visum Anonymo de Bragmanibus p. 22. apud quem Dandamis: *Alia porro nobis spectacula diversasque voluptates exhibet mundi machina, - - - Solem - - quem bissenis incumbens mensibus redivivus annus inde persequitur.*

VI.

Philosophiæ moralis majorem rationem habuisse videntur Brachmanæ quam ceterarum Philosophiæ partium, atque ad eam tantum non omnia retulisse. Ceterum universa ipsorum moralis doctrina mihi in hoc videtur non leviter peccare, quod non adeo ad vitam sociabilem, charitatem, & honestam consuetudinem cum aliis hominibus fuerit comparara, quam in austera corporis domatione & remota ab vitæ usu contemplationis voluptate acquievit, in quo ipso Judæorum Essæi, Cynicique & alii quidam Philosophi Græcorum & Christianorum Monachi eremitæque similiter offenderunt.

VII.

Summum bonum non constituerunt Brachmanes in corporis voluptate, neque in opibus, neque in honore, solam sapientiam (a) omni regno præstantiorem esse rati, & tranquillitatem animi vitæque gratiorem omnibus divitiis. (b) Una genti lex contra naturam non ire (c) aspernari mortem fortunæque ludibria, detestari avaritiam, frena injicere ventri, linguæ & libidini. Bella nisi quæ cum suis quisque vitiis (d) gerit tanquam naturæ adversa horruerunt. Ipsi nullis legibus (e) nullis judiciis nullis Magistratibus sibi crediderunt esse opus, quod corrigenda non facerent. Natu maximus

(q) Scal. de emendat. temporum lib. 2. p. 180. & Can. Isagogicis p. 11. seq.
(a) Anonymus p. 87.
(b) Pallad. p. 38.
(c) Anonymus de Brachman. p. 88.
(d) Pallad. p. 25. seq. & 17.
(e) Anonymus p. 88.

cæteros

cæteros non subjectos habebat sed sectatores, ut Alexandri tempestate Dandamis. (f) Fatebantur tamen, urbes vulgo cœtus ut ipsi ajebant latronum (g) & malitiæ omnifariæ officinas non posse sine legibus & pœnis subsistere, modo esse opus ut princeps aliis jura dicturus ipse non sit vitiorum mancipium, sed procul libidine, fastu & avaritia sapienter justitiam colat.

VIII.

Vitam inprimis frugalem & temperantem duxere, a cœtu hominum plerumque remoti (nam alios etiam publicis moribus in urbibus vixisse, (h) Curtii testimonio constat) animalibus non vescentes (i) sed lacte, oryza sponte nascente, herbisque: fructibus vero illis fere usi tantummodo (k) qui sponte de arboribus deciderent, bibebant aquam sive terræ matris ubera emulgebant. Multi a fœminarum plane abhorruerunt consortio, (l) alii sed rarissime eo usi sunt (m) propagandi generis caussa. Plerique singularibus atque asperrimis modis corpus suum exercuerunt, ad patientiam rerum gravissimarum, & naturæ quam tantopere sequi se jactabant adversissimarum. Quid enim minus est naturæ humanæ consentaneum quam calidissimis (n)

(f) Anonymus lib. VIII. de expedit. Alex.

(g) Pallad. p 42.

(h) Curtius VIII. 9. De Brachmanis ejusmodi puto etiam intelligendum Apulejum in Floridis, ubi ait a Magistris perrogari Gymnosophistas pransuros, quod factum a lucis ortu ad illud diei bonum fecerint? *Hic alius se commemorat inter duos arbitrum delectum, sanata simultate, reconciliata gratia, purgata suspicione, amicos ex infensis reddidisse: inde alius, sese parentibus quidpiam imperantibus obedisse, & alius, aliquid meditatione sua reperisse, vel alterius demonstratione didicisse. Qui nihil habet afferre cur prandeat, impransus ad opus foras extruditur.* Cæterum Porphyrius 4. de abstinendo ab animatis Brachmanum vitam ita describit ut solitariam maxime; ἑκάστου καλύβην ἔχοντος καὶ ὡς ἐνὶ μάλιστα ἰδιάζοντος. κοινῇ γὰρ Βραχμᾶνες μένειν οὐκ ἀνέχονται, ἀλλ᾽ ὅταν τοῦτο συμβῇ, ἀναχωρήσαντες ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας οὐ φθέγγονται.

(i) Clemens 3. Strom. p. 451. ubi & nonnullos semel de die, alios tertio quoque die cibum capere solitos testatur. Adde Porphyrium loco laudato, qui animatis prorsus abstinuisse ac frequenter jejunasse refert.

(k) Pallad. p. 17.

(l) Clemens Alex. 3. Strom. p. 451.

(m) Strabo Lib. XV. e Megasthene.

(n) Plin. VII. 2. Hist.

nudo pede insistentem arenis toto die solem intentis oculis speculari, vel Caucasi (o) nives hyemalemque vim & imbres nudo corpore excipere, aut in uno per vices stantem pede lignum tricubitale (p) ambabus manibus sublatum sustentare per integri diei spatium, vel denique ut fecit (sed improbantibus (q) aliis ex Brachmanum genere sapientioribus) Calanus, in ignem sese conjicere atque vivum exurere. Nemo jam miretur *agreste hoc & horridum genus sapientum* vocari a (r) Curtio. Nudi incesserunt (s) non omnes, (alii enim (t) induti fuerunt sindone) neque toto corpore nudi, sed vel pedibus (u) tantum, vel si cætera corporis nudassent, membra duntaxat (x) papyri tegmine velabant.

IX.

Nomina Brachmanum celebrium in veterum scriptis perpauca occurrunt, ut quæ & ipsi jam memoravimus: Brachman, (a) Buddas, (b) Calanus (c) qui vero nomine Sphines, Mandanis (d) (idem ut videtur quem

(o) Cicero Tusc. quæst. lib 5. ὑπαιθρίους sive sub sole & imbribus versatos testatur etiam Philostratus III. 4. de vita Apollonii.

(p) Strabo loco laudato.

(q) Dandamis apud Strabon. & alios. Ceterum mortuorum cadavera non combusserunt Brachmanæ instar Græcorum, existimabant enim ignem inquinari si non spirantes recipiat: sed quod est naturæ vel maxime congruens, terra sepeliverunt.

(r) Curtius VIII. 9.

(s) Confer, si placet Clariss. Bælii Lexicon in *Gymnosophistes*, nota A. Origenem Philosophum. p. 158.

(t) Hierocles apud Stephanum Byz. in Βραχμ.

(u) Philostrat. III. 4. de vita Apollonii p. 121. γυμνὸν δὲ αὐτοῖς βάδισμα. Ibidem testatur comam nutriisse, mitram albam gestasse, & vestem ex lino, exomidibus sive lacernis angustis servorum similem.

(x) Anonymus de Bragmanibus p 90. *Membra papyri tegmine vel quod est verius pudore velantur.* S. Augustinus XIV 17. de C. D. *Per opacas quoque Indiæ solitudines cum quidam nudi philosophentur, unde Gymnosophistæ nominantur, adhibent tamen genitalibus tegumenta, quibus per cætera membrorum carent.*

(a) Supra Cap. 1. §. 3.

(b) Cap. 1. §. 5.

(c) Cap. 1. §. 7.

(d) Strabo loco laudato.

ali

alii Dandanim (e) vel Damadamin (f) appellant vel Dindimum (g)) & Jarchas (h) denique quocum Apollonius Tyanensis est versatus. Adierunt vero Gymnosophistas atque adeo Brachmanas quoque sapientiæ caussa Philosophi præstantissimi Græcorum, Pythagoras, (i) Democritus (k) Anaxarchus, (l) Pyrrho, (m) isque quem jam dixi Apollonius, & quam plures haud dubie alii, ne de Hystaspe jam & Persarum Magis memorem, de quibus Ammiani locum produxi Capite 1. in notis ad §. VI.

CAPUT VI.

DE RECENTIORIBUS BRACHMANIBUS SIVE BRAMINIBUS.

I.

Veterum Brachmanum progeniem atque reliquias esse Braminas hodiernos, qui in regno amplissimo Indostan atque inde per regnum Siamense aliaque vicina & Malabaricum Theologiam atque Philosophiam profitentur, præter mitam nominis similitudinem congruentiamque locorum suadet dogmatum convenientia, quæ & ipsi velut per cabalam quandam arcanam fovent de Mundi ortu, ordine, interitu, & de recidivatu animarum in alia corpora; denique morum eadem fere species, & vita ab aliis hominibus sejuncta separataque & abstinentia ab animatis, ut alia in præsenti haud memorem.

(e) Plutarch. Pallad. &c.
(f) Porphyr. IV. περὶ ἀποχῆς.
(g) Anonymus de Bragman. p. 87.
(h) Philostratus III. 4. seq. de vita Apollonii.
(i) Apulei 2. Florid.
(k) Laert. IX. 35. Ælian. IV. 20. Var. Hist. Hesychius illustris & Suidas in Democrito.
(l) Laertius IX. 61.
(m) Id. ibid.

II.

Si tamen universe spectes, vix ullo capite videbis eos antiquis illis Brachmanis præstare, aliquibus etiam partibus esse deteriores. Nam & idola admittunt eaque perquam horrenda & absona, & dogmata sua ac religionem longe pluribus & absurdioribus involvunt fabulis ceremoniisque, & non

parum temisisse a veterum concordia & moribus videntur. In hoc quoque differunt a veteribus, quod libros quosdam (a) jactant traditos sibi divinitus sed habendos ἐν ἀποῤῥήτοις, neque facile cum aliis communicandos.

III.

De Braminibus hisce copiose inprimis tradidit Abraham Rogerus (b) qui per decennium inter ipsos versatus est, tum itinerum in Indiam Orientalem & finitimas regiones scriptores eximii Thevenotus, Taberneriius, Berneriusque, Petrus de Valle, Henricus Lord, Waltherus Schultze, aliique: quibus addi possunt Kircherus in China illustrata, Johannes Marshallus in Epistola ad Cogam (c) & Bartholomæus Ziegenbalg Epistola tertia (d) earum quas nupertime ex Colonia Danorum Transgebarensi in ora Coromandelensi ad Berolinates scripsit.

IV.

Ex his non difficile foret bene longam neque fortasse injucundam de recentioribus Brachmanibus fabulam texere, ipsorumque mores & Philosophiam ac Theologiam persequi, & qua parte vel cum Judæis (e) vel cum Philosophis Græcorum conspirent, vel ab his dissideant, tum veteres illi Brachmanes tum Bramines hodierni, subtilius disputare: Sed juvat manum jam tollere de tabula, & reliqua lectoris igenio atque industriæ perquirenda committere, DEO autem humillimas persolvere gratias, quod se non intestatum relinquere gentibus, nobis vero plenam ac salutarem in CHRISTO lucem indulgere voluerit, qua utinam digne vivere studeamus, nec plerique Christianorum multis ethnicis pejores esse videamur.

(a) Collectio illorum librorum appellatur *Anbertkend* sive cisterna, ex qua aquam vitæ haurias scilicet. Vide Herbeloti Bibl. Orientalem in hac voce.

(b) In Libro laudato supra Cap. 1. §. 3.

(c) Inserta est Memoriis litterariis Trevultii collectis mense Junio A. 1701. p. 402. edit. Amst.

(d) Editæ sunt Germanice a Joachimo Langio Ecclesiaste & Rectore Berolinensi, Lipsiæ 1708. 4.

(e) Confer Huetium demonstrat. Evangel. proposit IV. p. 162. seq. Thomam Burnetum in Appendice ad Archæologiam Philosophicam, & auctorem libri Gallice editi Bruxellis A. 1704. 12. qui inscribitur: Conformité des Coutumes des Indiens Orientaux avec celles des Juifs & des autres peuples d' Antiquité.

EXER-

EXERCITATIO
CRITICA
DE
RELIGIONE
ERASMI,

QUAM
IN AUDITORIO GYMNASII HAMB.
AD d. XVIII. MART.
ANNI MDCCXVII. JUBILEO SECUNDO ECCLESIÆ,
DIVINIS AUSPICIIS REFORMARI COEPTÆ,
MEMORABILIS,

PRÆSIDE
JO. ALBERTO FABRICIO,
S. S. THEOL. D. ET PROF. PUBL.
DEFENDET PUBLICE
JOHANNES KLEFEKER,
HAMBURGENSIS.

HAMBURGI,
Typis CONRADI NEUMANNI, Ampliss. Senatus, Gymnasii
& Scholæ Typographi.

VIRIS

PLURIMUM VENERANDIS, AMPLISSIMIS, ATQUE DOCTISSIMIS

DOMINIS

VALENTINO HEINS,

AD ÆDEM D. CATHARINÆ HAMBURGENSEM ECCLESIASTÆ DISERTISSIMO,

ET

ANDREÆ EHLERS,

PASTORI HAMMENSI SUBURBII HAMBURGENSIS VIGILANTISSIMO,

DOMINIS ET PROPINQUIS, EA, QUA PAR EST, ANIMI OBSERVANTIA SUBMISSE AC DEVOTE COLENDIS

D. D. D.

RESPONDENS.

VIRI PLURIMUM VENERANDI,
DOMINI AC PROPINQUI HONORATISSIMI,

Neque exsolvere me posse turpi nota oblivioni traditæ honoratissimæ, qua vobiscum conjungor, propinquitatis, neque Vestrorum simul in me meritorum, ingrata mente exceptorum, crimen unquam me posse abstergere metuebam, nisi, quæ tam expense tulit mihi prolixus Vester amor, beneficia, quoniam compensare illa viribus est denegatum meis, grati saltim animi testificatione in sinum quodammodo vestrum refundere allaborarem. Nolite igitur quæso, VIRI PLURIMUM VENERANDI, vitio mihi vertere, aut temeritatem interpretari, quod publicam hanc mei in Vos studii probandi atque significandi occasionem, antequam ex Patrio Gymnasio in Tubingensem Academiam me conferrem, amittere noluerim. Tanta enim præterea Virtutum Vestrarum, quibus sacrum, quod magno cum fructu a vobis geritur, munus mire quantum exornatis, fama est, ut cum illæ omnium ore & linguis celebrentur, mihi, cui propius illas contigit nosse, hac quoque de caussa studiorum meorum primitias Amplissimis Nominibus Vestris *consecrare, incumbat. Quanto lubentius veniam mihi dabitis, quod hasce paginas Vobis, ad quos colendos consociatio ipsa saguinis, ut dixi, & beneficia vestra aditum mihi aperuere, offeram, simul vero pro ingenti favore Vestro me ipsum vobis tradere, atque absentem etiam & logo locorum intervallo a Vobis disjunctum Vestro patrocinio quam obnixe commendare audeam.*

Faxit

Faxit SUPREMUM ET PRÆPOTENS NUMEN, *ut ad Nestoreos usque annos salvis & sospitibus Vobis gaudeat* Ecclesia, *gaudeat* familia, amici *atque* Clientes *gaudeant, operaque Vestra in arduo salutis animarum negotio* Auditores Vestri, *quorum voluntates dogmatum illibata puritate, Zelo, fide, industria sollicitudineque Vestra, ac cæteris dignos Ecclesiæ Ministros decorantibus virtutibus Vestris allicere nostis, atque vobis conciliare, per multas annorum series utantur. Quid vero in votis Vos distringo? simplex cunctaque ista complexum unum omnium & meum quoque* VOTUM *est:* SALUS VESTRA. *Ita Valete, & amare, ut cœpistis, pergite*

AMPLISSIMORUM NOMINUM
VESTRORUM

Cultorem & Clientem Devotissimum

JOHANNEM CLEFEKER.

CAP.

CAPUT I.

DE ERASMI MERITIS IN RELIGIONEM, LITTERASQUE, PRÆCLARAS RELIGIONIS ADMINISTRAS.

§. I.

ERASMUM, (a) magnum ſuæ ætati, poſteriſque omnibus venerabilem, ac vere *ἱεράσμιον* reddidit non generis ſplendor, aut dignitatum munerumque amplitudo, vel auctoritas, potentia, aut magnitudo opum, ſed ſola ingenii acuti vis & amœnitas, fœcunditasque conjuncta cum aperto candore animi & bonitate, indefeſſoque labore ac ſtudio incredibili bene de litteris ac religione promerendi, quæ utraque illis temporibus per hypocriſin & ignorantiam eorum, qui debuerant illa tueri & amplificare, mire obſcurata fuerant. (b)

(a) Eraſmus prius patrio more *Gerardus Gerardi* F. poſtea e Gerardo (a Germanico *Geer*, avidus, & *Arth*, natura) *Deſiderius*, e Gerardi filio *Eraſmus* fuit appellatus. v. Erycius Puteanus diatriba de Erycio. c. 3. & Heumanni Poecile. II. 4. p. 571. ſq. Jo. Owenus ita ludit:

Quæritur unde tibi ſit nomen Eraſmus? *eras mus.*
Si *ſum mus* ego, te judice *ſummus* ero.

(b) Conf. Cl. Heumanni conſpectum Hiſt. literar. p. 87. Jo. Henr. a Seelen, programmate, de meritis Eraſmi in literas humaniores, 1730. Jo. Abr Wimmerum in vita Greg. Pontani. p 77. Ge. Frid. Schmid ad vitam Eraſmi, Calvini & Bellarmini, e Bælio germanice editam cum notis Hanover 1731. 8. Roterodami in Eraſmi patria, ubi ſtatuam pulcherrimam memoria ejus decorat, domus in qua natus eſt, hanc præfert foribus ſuperpoſitam inſcriptionem:

Ædibus his ortus mundum decoravit Eraſmus
Artibus ingenuis, Relligione, Fide.

Guil. Hornius, Epigrammate in urbis Roterodami laudem:

Hic ſatus & ſuſus Sol & Sal orbis Eraſmus
Viſitur, excellens aeris & artis opus.

§. II.

Genere adeo non gloriari potuit, ut verius etiam de illo dicere liceat, quam de Rege Romano pronunciavit Seneca: (a) *Anci pater nullus.* Et de Tullio; *Cicero ex se natus.* Nulla affinitate, nullis necessitudinibus honoratus, nullis liberis memorabilis, neque enim unquam uxorem duxit. Dignitatibus adeo non se efferre gestiit Erasmus, ut etiam ipse ultro oblata munera publica respuerit constanter, licet non desunt, qui Cardinalis infulas (b) consequi si ambiisset vel von recusasset, atque ad ipsum Summi Pontificis potuisse adspirare fastigium, testentur. Ipse quidem (c) narrat, oblatum sibi a Guilelmo, Archiepiscopo Cantuariensi in Anglia Sacerdotium improbe recusasse, dixisseque; qua fronte fruar illorum pecuniis, quibus ut linguæ ignarus nec concionari possum, nec monendo nec consolando adesse, nec ullum boni Pastoris officium præstare? *Quasi vero*, inquit Archiepiscopus, *non plus efficias, qui libris doces pastores omnes, quam si uni rusticanæ plebeculæ inservias.* Fassus sum, addit Erasmus, amice dictum, mihi tamen non persuasit. Ac ne parva tantum existimes ab Erasmo refutata, idem XXVII. 25. ad Petrum Tomicium Episcopum Cracoviensem. Cal. Sept. A. 1535. *Audi, quod rideas: Paulo tertio visum est in futuram Synodum creare Cardinales aliquot insigniter eruditos, inter quos propositus est & Erasmus* κόρχορος Φασὶν

Multis ætatibus neminem utiliorem Christiano orbi contigisse quam Erasmum, Jo. Aventini judicium est lib. IV. Annal. c. 8. §. 36. Statura parvus fuit, ita ut imagini ejus adscripserit nonnemo: *quam modice habitat Philosophia.* Epitaphium Erasmi Basileense vid. in Actis Philos. P. X. p. 652. adde Jo. Secundi poemata p. 190. edit. in 12. de Statua Erasmo posita, annulo, testamento. vid. Beyschlagii Syllogen p. 518. ff.

(a) Seneca Epist. 108. Theoph. Raynaudus ait, Erasmum non fuisse filium Regis, licet is qui eum genuit, fuerit coronatus, ut de alio quodam dixit Pet. Blæsensis. v. Rich. Simon lettres choisies T. IV. p. 239. Origine enim *heteroclita* fuisse constans fama est, de cujus generis hominibus interdum valet illud Euripidis Andromache: νόθοι τε πολλοὶ γνησίων ἀμείμονες, ut de Erasmo Jul. Cæs. Scaliger. conf. Amœnit. lit. T. VIII. p. 601.

(b) Elias Du Pin T. XIV. Bibl. Eccl. p. 17. Bayle T. II. Lexici, & projet d'un Dictionaire Critique p. 261. sq. Ridet sed inepto risu Laur. Crassus in Historia Poetarum Græcorum p. 150. Cardinalis infulas Erasmo paratas ex Pauli III. epistolis probat auctor libri, Abregé de l'Histoire des Savans.

(c) Erasmus lib. III. Apophthegm. 10.

ἐν λαχάνοις. Sed obſtabant quum alia quædam, tum vero præcipue cenſus nimium tenuis: præterea ſenectus ac valetudo parum utilis obeundis Eccleſiæ negotiis. Itaque nunc magno ambitu agitur, ut me Præpoſituris onerent reclamantem, ac manibus pedibusque recuſantem, ac perpetuo recuſaturum.

§. III.

Vere idem Johanni Coleto deſcribit ſe *hominem tenui imo nulla fortuna, ab ambitione alienum.* Cum unice libris duceretur, Bibliothecam ſuam paullo ante mortem Johanni a Laſco Polono ducentis florenis vendidit. * Neque a bibliopolis factus eſt valde pecunioſior, licet omnia tunc præla ferverent Eraſmi ſcriptis, & ſolus Colineus excuderit ad viginti quatuor millia exempla colloquiorum, *non ſtudio mei*, inquit Eraſmus, *ſed amore quæſtus.* (d) Ipſe interim Eraſmus liberalis in eos, qui vel in conferendis vel in deſcribendis libris operam ei ſuam commodabant. (e) *Vereor ne intra annum non ſim recepturus obolum, cum ego plus quam totam illam ſummam partitus ſim in eos, qui libros ex variis Bibliothecis inveſtigarunt & contulerunt atque enotarunt, quo mihi judicandi fieret poteſtas.* Ex emendandis typographorum ſpeciminibus qui putant eum multa lucratum eſſe, falluntur, cum non niſi in libris quos ipſe ederet (f) hujusmodi labore perfunctus ſit, atque ab ipſo potius fuerint excuſoribus xenia perſolvenda: quod cum aliquando facere diſtuliſſet, narrat ipſe, quas pœnas veterator quidam typotheta ab illo repetierit, fœda corruptione dedicationi Viduæ ad Mariam Hungariæ Reginam illata, quam multis aureis voluiſſe ſe redimere haud diffitetur. Neque ex inſtitutione juvenum ſtudioſorum larga ad eum præmia conſtat rediiſſe, nam vix ullis operam ſuam addixit, ac ſi quos docuit, expertus eſt minime profuſos, ſed potius tenaciſſimos. In Epiſtola ad Andream Ammonium data Cantabrigiæ A. 1511. *Nondum quinque menſes ſunt, quod huc me contuli, interim ad ſexaginta Nobiles inſumſi. Unum duntaxat ab auditoribus quibus-*

* De Bibliotheca Eraſmi Laſco Polono vendita. vide Bibl. Brem. T. VII. p. 313. ſq. 320. Acta Erud. 1727. p. 36. ubi teſtamentum.

(d) Eraſmus XIX. 29. Epiſt. p. 842. Vigneul Marville Tom. II. Miſcell. p. 125.

(e) Eraſmus ibid. p. 843.

(f) Baillet, jugemens des principaux imprimeurs p. 4. ſeq. Jo. Conradi Zeltneri centuria eruditorum Correctorum in Typographiis p. 168. Jul. Cæſ. Scaliger Eraſmo objecit, quod miniſter fuerit Aldi. Eraſmus negat: *An ille*, inquit, *miniſter eſt officinæ, qui proprio adeſt operi? Officina mihi potius erat miniſtra.*

dam accepi, eumque multum deprecans. Quamvis etiam viros Principes, qui vel eruditionem ejus atque ingenium amabant, vel quibus libros suos obtulit, muneratores quandoque fuit expertus, tamen parce hoc factum & raro, unde in Epistola ad Eobanum Hessum VI. 25. de Comite quodam: *Favet ille bonis literis, & earum gratia mihi quoque: sed nostri principes laudare norunt, numerare non norunt.* (g) *Quod tamen mea causa non dico, qui nihil ambio, sorte mea contentus.* Atque ex tota vita ejus patet, nunquam admodum nummatum fuisse Erasmum, licet eum decoraret suadela, uti nec pecuniarum appetentem fuisse, etiam quando ipsi propemodum erat conflictandum cum paupertate. *Rursum, licet gravissimum sit onus paupertas,* inquit Epistola ad Andr. Ammonium VIII. 20. *præsertim* χαλεπῷ ἐπὶ γήραος οὐδῷ, *tamen pudore magis commoveor quam inopia. Quanquam hic quoque mihi concoquendus dolor, & perfricanda facies. Si his fatis natus sum, non est meum* Θεομαχεῖν.

§. IV.

Ipsius celebritatis ac famæ, quam, si quisquam, longe maximam consecutus est, adeo non extitit avidus, neque per malas artes captator, ut pro onere illam habuerit, jamque Anno 1519. Ludovico Ruseo fuerit testatus *se ejus ad nauseam usque esse saturum,* scripseritque ad Joannem Borsalum: *pecuniæ studium nunquam habuit animum meum; famæ sarcinam lubens, si queam, posuerim.* Atque Anno 1536. ad Petrum Tomicium XXVII. 25. *Si olim scissem, quid sit celebre nomen, summa vi fuissem adnixus, ne quis præter domesticos novisset Erasmum; nunc frustra mihi placet illud Epicuri* λάθε βιώσας. (h) Cæterum ut tam mature inclaresceret, ut innumerorum Mo-

(g) Janus Vitalis: Nam præconia principum esse debent Claræ munera liberalitatis.

(h) Stephanus Doletus, perpetuus Erasmi obtrectator, libro de imitatione Ciceronis p. 25. ait Erasmum immortalitatis avidum, testamento pecuniam reliquisse ad ejus Operum certos Tomos excudendos, *qui proxime,* inquit, *ad nos allati sunt, asinaria mehercule sarcina grandiores.* Sed in quam rem potius quam in labores suos hominum usibus impertiendos destinaret peculiolam quam habebat modicam, de fama & immortalitate securus, magnique nominis certus præ sexcentis Doletis. Doletum Dialogo adversus Erasmum pleraque sibi suffuratum queritur alter Erasmi professus inimicus Jul. Cæs. Scaliger epist. ad Arnoldum Ferronum Tom. VIII. Amœnit. litterar. p. 582. Vide & Scaligeri Erasmo detrahentis epistolam ad Arn. Ferronum. ib. p. 593. sq. & utriusque Scaligeri cum Erasmo comparationem apud Gerh. Joh. Vossium epist. 45. ad Franc. Gomarum.

nacho-

nachorum & aliorum adversariorum linguis & scriptis etiam confossi semper tamen cresceret admiratio Erasmi & fama amorque, ut non modo eruditissimo cuique, sed et Regibus ac viris Principibus esset in deliciis, ut liberum ejus calamum ipsi ferrent Pontifices, atque Erasmum veluti dilectum filium (i) etiam laudibus & commendatione prosequerentur, ut adhuc post ducentos etiam annos non imminuta sit ipsius gloria, sed, si potuit illi aliquid accedere, tempore ipso aucta fuerit atque incrementa ceperit, moderante ita Divini gratia Numinis, ingenio duntaxat & meritis in Religionem, Litterasque Sapientiæ cœlestis administras ita est consecutus, ut omnibus, qui illa candide expenderint, magno jure omne tulisse punctum judicetur.

§. V.

Quanquam vero ingens & admiranda fuit Erasmi eruditio pro illa inprimis ætate, atque in illo, ut sic dicam, diluculo literarum, ut hac etiam parte paucissimos tunc habuerit pares, superiores vix unum alterumve: non tamen eruditio vel sola vel præcipua est, quæ illius nomen in tantum extulit, ut multis non modo æque doctis, sed etiam loge doctioribus communi hominum judicio nec sine caussa videatur præferri. Fuit sane in illo neutiquam vulgaris, & longe supra Scholæ Doctores sapiens cognitio Theologiæ, ex Sacris litteris & antiquis Ecclesiæ Doctoribus accepta: deinde ex Philosophia tantum, quantum ad judicium recte formandum, colligendum fortiter, pugnandum acriter, & digerendas dextre animi conceptiones requiritur: tum Critices & artis dicendi exquisita peritia, conjuncta cum Græcæ & Romanæ antiquitatis, & utriusque linguæ haud proletaria cognitione, lectioneque optimorum scriptorum, unde latinæ eloquentiæ arcem tenere merito est existimatus. Interim nec naturæ arcana scrutatus videtur unquam, neque temporum rationes habuit in numerato, aut Geographiæ veteri operam diligentem tribuit, vel demisit se in abstrusa Mathematicarum disciplinarum, neque linguas alias percalluit, sed ex Orientalibus Hebraicam vix attigit, in cæteris plane fuit hospes, ut cætera doctrinæ genera ipsi vel intacta vel levius degustata jam omittam.

§. VI.

Verum quicquid hac in parte poterat in eo desiderari, abunde pensavit virtutibus, quibus illam, haud mediocrem tamen, eruditionem suam ad

(i) Leo X. Adrianus VI. & Paulus III, quorum Epistolæ inter Epistolas Erasmi leguntur.

communem utilitatem referre studuit unice, (k) & quæ in omnibus ejus studiis, laboribus & scriptis ita elucent, ut horum auctor non possit non ab omnibus amari, fierique maximi, veluti divinitus excitatus ad juvandam pro virili magnam illam, quæ in Europa tunc Ecclesiæ & litteris parabatur, rerum immutationem. Hoc soli illi potuerunt negare, quibus vel imperitia occœcarat oculos, vel consuetudo vitiorum patriumque studium mentem ita perstrinxerat, ut caliginem rebus & ulcera sua intacta relinqui longe mallent, quam reduci lucem, vel seria de sanatione suscipi consilia æquis animis paterentur.

§. VII.

Summa fuit Erasmi industria, indefessumque studium & labor pertinax, a quo vix unquam respiravit, tantummodo ut, quamdiu vita superesset, semper aliquid profuturum Ecclesiæ & restituendæ litterarum luci, ac debellandis erroribus proferret. Nec minor ejus laus judicii in deligendis, quæ elaboraret, & loco ineptiarum, quæ tunc omnes Scholas & Ecclesias ipsas impleverant, commendaret suis Lectoribus, quam in ipso labore. Si vero ad præclarum aliquod opus expoliendum incumberet, tum nulla molestia, nulla difficultas erat tanta, qua patiebatur se ab illo abduci ac deterreri. (l) *Extremam & sacram, ut vocant, ancoram mea felicitatis in te fixeram*, ita ad Thomam Cardinalem & Archiepiscopum Eboracensem Erasmus VIII. 53. *Sed urgebat Hieronymus, opus ingens & inclytum, &, ni fallor, semper victurum, preterea pium ac frugiferum. Id mihi sic cordi est, ut huic omnia post habeam. Semper hoc iter obnoxium latrociniis fuit, sed nunquam magis quam nunc, deinde Rhenus nivibus auctus & pluviis, cuncta suis aquis obtexerat, maxime circa Argentoratum, ut natandum fuerit verius quam equitandum: Omnia contemsi, modo prodeat Hieronymus.* Eadem constantia susque deque habuit odia, machinationes, supercilium, invidiam & convitia eorum, qui veræ eruditionis ipsi plerumque ignari eum a recta via avocare conabantur, sive minis, sive promissis, sive calumniis ac sarcasmis & delationibus apud Viros Principes, sive scriptis denique adversus eum in vulgus editis, quibus quod interdum cogeretur respondere, nihil magis dolebat quam tempus melioribus impendendum ita sibi eripi, & per artes inimicorum se committi

(k) *Nec arbitror*, inquit Erasmus, XXII. 28. Epist. ad Brixium, *ingenium meum ab ullo vitio alienius quam ab invidentia.*

(l) Erasmus lib. XXII. 28. *Septem prælis suppeditem oportet quod excudant: sed cum primis enecat Augustinus quem totum emendo.*

inter-

interdum etiam cum amicis, quos suspiceret, & quos mallet ingenia studiaque secum conferre ad sananda Ecclesiæ vulnera, ignorantiæ tenebras dispellendas, & verum decus solidæ sapientiæ ætati restituendum. *Quod hactenus opera mihi sumtum est in vertendis Athanasii, Chrysostomique Scriptis* (verba Erasmi sunt in supputatione errorum in censuris Beddæ (m) *citra tædium omne fuit, eo quod ut ipse me sentiebam hoc labore reddi meliorem, ita bona quadam spes recreabat animum meum, pollicens futurum, ut & aliis ea lectio stimulos adderet ad studium pietatis. Talibus igitur laboribus vel immori juvaret, quos scio me Domino diviti juxta ac benigno fœnerare. Sed me miserum, retrahor in arenam cruentam* (n) *vel jugulaturus, vel jugulandus.* Idem nullum apologiarum scribendarum sibi modum aut finem esse queritur in responsione ad articulos a Monachis Hispanis exhibitos. Et in Apologia adversus Stunicam: (o) *Quis adeo feriatus est, ut hujusmodi rixas libeat legere? Quod si nunc reperiatur unus aut alter, qui studio partium his admovere velint oculos & animum, certe posteritas hac aut nesciet aut contemnet. Fervebant olim Laurentii Vallæ, hominis, (quod negari non potest) eruditi juxta ac facundi cum Poggio digladiationes. Hujus elegantias pœne solas habemus in manibus, neque quicquam magis hodie friget apud nos, quam in quo illi tum maxime calebant.* Jo. Georgius Grævius Epistola CVII. ad Petrum Francium, qua eum a contentione cum Jac. Perizonio revocare studet: *Memini me in Apologia quadam Erasmi nostri ad Fabrum Stapulensem in hanc fere sententiam olim legere, nihil indignius utrique potuisse accidere, quam quod commissi sint, ut scriptis contentiosis digladientur, sine magno Lectorum fructu, quos tamen inventuri tantum sint, quamdiu ferveant ista lites, & quidem sic, ut qui Fabro studeant, cupide diripiant, quæ contra Erasmum is prodidisset: qui vero Erasme sint amici, studiose evolvant, quæ is Fabro reposuisset; Sed mox utrosque hos libros abjecturos, nec unquam postea inspecturos, cum uterque possit fugientes horas talibus ingenii monumentis condendis impendere, quæ omnis posteritas sit versatura.* (p) Hæc semper, addit eodem

(m) Erasmus T. IX. Opp. p. 426.

(n) Ovid. II. 7. amorum: Ut vincam, toties dimicuisse piget.

(o) Erasm. p. 825. & 238.

(p) Olivet Hist. de l'Academie Françoise p. 325. *Critiques Ouvrages peu durables. Car si le livre qu'on a critiqué vient à tomber dans le mepris, la critique y tombe en meme temps, parce qu'elle passe pour inutile: Et si malgré la Critique le livre se soutient, alors la Critique est premierement oubliée, parce qu'elle passe pour injuste.* Adde Hist. de l'Academ. Paris 1625. p. 31.

loco

loco Grævius, alte infixa hæserunt meæ memoriæ, nam ipse id eventus comprobavit.

§. VIII.

Præclarum & illud, quod mira ingenii felicitate omnia quæ scribit Erasmus complere apes floribus & nectare videntur, aut sale urbano Musæ ipsæ conspergere. Quod summa apparet in ejus dictione, licet sit extemporalis, cum perspicuitate amœna & arguta ubertas, inexhaustaque copia, leporque suavis & inaffectatus, sive doceat Lectores, sive Epistolas scribat, sive respondeat adversariis, sive ludat dialogis vel declamationibus: In Epistolis certe & Apologiis se ipsum videtur vicisse & antecessisse, ita ut veras ingenii sui notas nullis magis monimentis quam hisce expresserit. Adversus barbaræ inscitiæ assertores, quos ignorantia ipsa & longa consuetudo insolentes reddiderat & armaverat impudentia, & quibus in antibarbaris suis apertum indixit bellum, solidis ubique decertat argumentis, atque stultitiam eorum & hypocrisin perfricat salibus, tantaque arte ac dexteritate detegit, ut contra unum Erasmum non prævaluerit infensissima immensaque pigrorum ventrum multitudo, sed illa impune ab eo fuerit, ringens licet ac fremens, propinata risui omnium sanorum ac contemtui.

§. IX.

Ut vero non exagitaret modo perversum studendi, vivendi & docendi morem, sed & meliora, quantum posset, efficaciter commendaret ætati suæ, nihil non egit, ut scholas ad elegans & purum dicendi genus, idoneam eloquentiam & solidas disciplinas colendas invitaret, scriptisque in hanc rem editis adjuvaret, atque studiosis viam præiret: deinde ut bonos Scriptores priscos Græcos Latinosque externos & Ecclesiasticos produceret e situ & tenebris, atque ad Manuscripta castigatos illustratosque in lucem revocaret: maxime ut Sacrum *Novi Testamenti* Codicem Græca lingua primus * exscribi curaret typis, & perspicua versione, eruditis notis, & luculenta paraphrasi explicatum usibus Christiani orbis exponeret, quod licet a multis arrosum, tamen ab Erasmo defensum alacriter, ac quinquies iteratis curis deinde recensitum est, nec Leoni decimo tantum, sed & Adriano VI. qui ipsi successit, adeo probatum fuit, ut ex Hispaniis per Petrum Barbirium, qui ipsi erat a sacris, mandaverit, *ut idem faceret in Veteri Testamento quod fecisset*

* Complutensis editio licet circa idem tempus fatigavit præla, tamen diu post demum in manus hominum venit.

in

in Novo. (q) Perversam Sacra tradendi concionandique rationem castigavit Erasmus gravissime, melioremque docuit in suo *Ecclesiaste*, libro quem evolvisse neminem pœnitebit, minime vero eos, qui verba ad populum facturi Theologicis se studiis consecrarunt. Ex abusibus, ineptiis & erroribus, qui illa ætate invaluerant, vix est caput ullum, quod non aut aperte perstrinxerit, aut argumentis solidis confutaverit, qui pluribus voluminibus editis nihil aliud egit, quam ut loco Scholasticarum captiuncularum & labyrinthi tot quæstionum næniarumque inanium, divinas literas ac genuinam Theologiam: pro inscitia sordida perturbataque, quæ regnum tunc late obtinebat, eloquentiam elegantem atque humaniorem doctrinam & utiles scientias: loco observantiæ denique sexcentarum traditiuncularum & hypocriticorum institutorum dignas Christianis virtutes ac veram pietatem reduceret.

§. X.

Quo magis vero oculis veluti subjiciatur, quantum Erasmi ingenio atque industriæ debeamus, placet primo typum Operum ejus hoc loco dare, quæ junctim Basileæ in officina Frobeniana Anno 1540. novem Tomis edita, deinde Lugduni Batav. 1706. decem Vol. *Johannis Clerici* V. C. cura luculentis typis recusa prodiere: (r) Deinde adjungere elenchum scriptorum Græcorum Latinorumque & Patrum Ecclesiæ, quorum præterea editionem Erasmus promovit, denique Catalogum Scriptorum subjicere, quos de Erasmo prolixius disserentes Lector, ubi lubebit, consulere poterit.

EDIT. LEIDENSIS TOMO I.

De copia verborum & rerum libri duo. p. 3.

Theodori Gaza Grammatices libri duo. p. 117.

Syntaxis. p. 169.

Ex Luciano versa. Saturnalia p. 185. Cronosolon sive Saturnalium legum lator. p. 187. Epistolæ Saturnales. p. 189. De luctu. p. 194. Abdicatus. p. 197. Icaromenippus. p. 205. Toxaris. 213. Alexander sive Pseu-

(q) Erasmus apologia adversus debacchationes Sutoris T. IX. p. 602

(r) Operum Catalogum ab Erasmo anno 1523. editum quovis ære sibi comparari petit Christianus Daumius epist. ad Jo. Frid. Hekelium. p. 38. Catalogi duo operum Erasmi ab ipso conscripti & digesti cum præf. D. Bonifacii Amerbachii exstant, accessit vita Erasmi per Beatum Rhenanum. De editione nova Operum Erasmi Leidensi v. Acta Erud. 1704. p. 352. 1705. p. 481. 1707. p. 280. & History of the works of the learned. 1703. p. 140. 1705. p. 150. 221. 276 it. Biblioth. Fabricianam T. I. p. 359. ss.

domantis. p. 231. Somnium ſive Gallus, p. 246. Timon. p. 255. Tyrannicida. p. 267. (*Eraſmi declamatio Lucianica reſpondens p.* 271.) De iis qui mercede conducti degunt. p. 297. Dialogi amatorii XVIII. p. 311. Hercules Gallicus p. 321. Eunuchus p. 323. De Sacrificiis, p. 325. Lapithæ ſive Convivium. p. 329. De Aſtrologia. p. 337.

De ratione conſcribendi Epiſtolas p. 343.

De pueris ſtatim ac liberaliter inſtituendis, p. 489.

De ratione ſtudii. p. 521.

De laude Medicinæ. p. 537.

Libanii aliquot declamationes verſæ. Pro concione Trojanorum Helenam & res repetentis. p. 549. Quæ dixerit Medea, ſuos mactatura filios. p. 553. Quæ dixerit Andromache interfecto Hectore. p. 554.

Similium liber unus. p. 561. (s)

Colloquiorum liber. (t) *p.* 629. *Conflictus Thaliæ ac barbariei* ex MS. Petri Opmeri *p.* 889.

De recta latini Græcique ſermonis pronunciatione. p. 913.

Ciceronianus, ſive de optimo dicendi genere. p. 973. (u)

(s) Parabolarum ſ. ſimilium liber ex Plutarchi moralibus, Seneca, Luciano, Xenophonte, Demoſthene, Ariſtotele, Plinio & Theophraſto. Baſil. 1514. Argentor. 1518. 4. 1519. 8.

(t) De colloquiorum libro Mem. de Trev. 1707. p. 369. *Les colloques d'Eraſme ont fait plus de Proteſtans que les dix Tomes de Calvin.* Arſenii Sulgerii judicium vid. ap. Schelhornium T. VII. amœnitt. lit. p. ?11. Prodierunt anglice XXII. colloquia per Rogerum Eſtrange, cum VII. aliis per Tho. Brown. Lond. 1725. 8. Germanice XX. ab Anonymo. Erfurt. 1634. 12. Belgice per Petrum Rabum. Ruſſice, v. Mem de Trev. 1717. p. 1200. Journal des Savans 1717. II. p. 239. De Lamberto Campeſtro, qui colloquia Eraſmi interpolavit, conf. Jac. Echardi Biblioth. Dominicanor. T. II. p. 52. ſq. Marſolierii colloquia Gallice ad imitationem colloquiorum Eraſmi edita ſunt. v. Journ. des Sav. 1714. II. p. 581.

(u) De controverſia quæ Eraſmo interceſſit de imitatione Ciceronis cum Jul Cæſ Scaligero, Steph. Doleto aliisque, vide Michaelem Maittaire T. III annal. Typogr. p 18. 28. 33. 89. ſqq. Non eſt veriſimile quod traditur T. II. amœnitt liter. Schelhornii. p 130. Eraſmum exempla Orationis Scaligeri conquiſita flammis dediſſe. Melanchthone judice IV. Epiſt. 69. ad. Camerar. *non videtur in aliud ſcriptus Eraſmi Ciceronianus, niſi ut Longolii manes darent quorundam dictorum pœnas,* Adde Epiſt. 70. ubi mentio Camerarii κατα τȣ ειϲιοσιοῦλλίου. Plura de Ciceroniano, Moria, Adagiis &c. Maittaire T. II. annal. typogr. p. 362. ſſ.

De

De civilitate morum puerilium. p. 1033. (x)

Galeni quædam Latine versa. Exhortatio ad bonas artes p. 1049. De optimo dicendi genere liber p. 1057. Quod optimus Medicus idem sit & Philosophus p. 1061.

Epitome in elegantias Laurentii Vallæ. p. 1069.

Euripidis Hecuba & Iphigenia versibus Latinis reddita. p. 1131.

In Nucem Ovidii Commentarius. p. 1191.

Epigrammata varii generis & argumenti. p. 1215 - 1226.

TOM. II.

Adagiorum opus, in quo explicata proverbia MMMMCCLI. In editione Leidensi, H. Stephani notæ suo statim loco substratæ, non ut in prioribus editionibus ad Voluminis calcem subjectæ sunt.

TOM. III.

Epistolæ MCCXCIX. secundum ordinem temporis * quo scriptæ sunt, digestæ ab A. 1489. ad 1536. qui Erasmo emortualis fuit, subjuncta appendice Epistolarum DXVII. quorum de tempore non constitit. Leidensis editio auctior est Londinensi Epistolis pluribus quam CCCCXXV. ab Erasmo & ad Erasmum scriptis. Iconibus etiam pulchre descriptis ære opus exornatum Caroli V. Henrici VIII. Georgii Ducis Saxoniæ, Martini Lutheri, Philippi Melanchthonis, Jo. Lud. Vivis, Guil. Budæi, Joach. Camerarii, Reginaldi Poli, Jacobi Sadoleti, Petri Bembi, Thomæ Mori, Huldrici Zasii, Bilibaldi Pirckheimeri, Andreæ Alciati, Beati Rhenani, Bonifacii Amerbachii, Christophori Longolii, Vigilii Zuichemi & Cornelii Graphei. (y)

(x) Erasmi de Civilitate morum librum græce vertit Wilh. a Brincken, Senatui Tigurino a Secretis. vid Reinhardi Henrici Rollii memorias Tremonienses p. 51. sqq.

* Licet commodum valde sit & utile, Epistolas Erasmi, ordine temporis collocatas legere, tamen operæ pretium erat addere indicem libris numerisque Epistolarum Erasmi editionis Londinensis A. 1642. fol. respondentem. Illa enim passim citatur, & in omnium est manibus.

(y) Erasmi Epistolæ selectiores excerptæ e majori volumine, quibus aliunde plurimæ accessere. Basil. 1719. 8. pp. 808. Epistola ad Tilemannum Gisium a moribundo scripta 6. Junii 1536. in Unschuldigen Nachrichten 1719. p. 934.

TOM. IV.

Ex Plutarcho versa: De discrimine adulatoris & amici. p. 1. Quomodo utilitas capiatur ex inimicis p. 23. De tuenda bona valetudine p. 29. In Principe requiri doctrinam p. 43. Cum Principibus Philosopho maxime disputandum p. 45. Animi an corporis morbi graviores. p. 49. Num recte dictum sit: λάθε βιώσας p. 51. De cupiditate divitiarum p. 53. De cohibenda iracundia p. 59. De curiositate p. 69. De vitiosa verecundia. p. 77.

Apophthegmatum libri VIII p. 93. In Leidensi editione additæ hinc inde paucæ quædam Pauli Leopardi & T. VIII. Francisci Robortelli annotationes. pag. 585.

Μωρίας ἐγκώμιον *Stultitiæ laus p. 405.* additis notis Gerardi Listrii, & iconibus lepidis, quibus Joannes Holbenius pictor celebris librum Erasmi amici sui exornavit.

Ad Philippum Burgundiorum Principem Panegyricus. p. 507.

Ad Philippum eundem carmen epicum gratulatorium. p. 553.

Institutio Principis Christiani. p. 561. (z)

Isocratis oratio ad Nicoclem Regem de regno administrando, Latine versa. p. 611.

Declamatio de morte, sive consolatio ad Patrem filii obitu afflictum. p. 617

Declamatiuncula nomine Episcopi respondentis iis qui sibi nomine populi gratulati essent, & omnium nomine obedientiam, quam vocant, detulissent. p. 623.

Querela Pacis undique gentium ejectæ profligatæque. p. 625.

Xenophontis Hiero Latine versus. p. 643.

Precatio ad Dominum Jesum pro pace Ecclesiæ. p. 653.

Lingua, sive de lingua usu atque abusu liber. p. 657.

De senectutis incommodis Carmen Heroicum & Jambicum dimetrum catalecticum ad Guilelmum Copum Basileensem. p. 735.

TOM. V.

Enchiridion Militis Christiani. p. 1. (a)

Oratio de virtute amplectenda. p. 65.

(z) Hic liber suecice prodiit. v. Acta liter. Sueciæ A. 1721. p. 187.

(a) Handbüchlein eines Christlichen und Ritterlichen Lebens, germanice per D. Jo. Adolphum, Medicum Schafhusanum. Basil. 1540. 4. Hunc librum Erasmo eripere, & nescio cui auctori antiquiori tribuere ausus est Pisniczius. vid. Bibl. novissimam Halensem p. 124. sq.

Ratio

(b) De pur. Eccles Christi, gallice. Journ. des Sav. 1714 p. 56.
(c) De contemtu mundi, gallice. Jour. des Sav. 1714. p. 53.

 Litur-

Liturgia Virginis Lauretana. p 1327.

Carmen votivum Genovefa p. 1335.

Commentarius in duos hymnos Prudentii de natali & Epiphania pueri JEsu. 1337.

Christiani hominis institutum sive Symbolum, carmine. p. 1357.

Epitaphia in Odiliam. p. 1360.

TOM. VI.

Novum Testamentum ex Græca Erasmi editione, cum ejus Versione & annotationibus, quæ in edit. Leidensi per singulas paginas verbis Sacrorum Scriptorum statim subjiciuntur.

Præmissa *paraclesis ad Christiana Philosophia studium, & Epistola de Philosophia Evangelica.*

De solœcismis, locis obscure versis, depravatis, omissis, mutatis aut interpolatis, in Vulgata Latina Novi Test. versione.

TOM. VII.

Paraphrasis Novi Testamenti, Carolo V. Cæsari * dicata A. 1522. inque editione Leidensi, distincta versibus, & verbis ipsis Sacrorum Scriptorum, quæ Erasmus exponit ex vulgata versione in margine appositis, auctior. (d)

TOM. VIII.

Ex S. Joanne Chrysostomo versa. Adversus Judæos Homiliæ V. p. 7. De Lazaro & Divite Homiliæ IV. p. 57. De visione Esaiæ, Homiliæ V. p. 93. De Philogonio Martyre Homilia I. p. 119. De orando DEUM libri II. p. 127.

* Illustre inprimis de Erasmo Testimonium & magna laus, quam ei Carolus V. Imperator literis ad eum datis tribuit. *Per te Resp. Christiana id assequuta est quod per Cæsares, Pontifices, Principes, Academias, atque per tot viros eruditissimos hactenus obtinere non valuit; unde tibi, & apud homines immortalem laudem, & apud superos perpetuam gloriam nequaquam defuturam quam libentissime videmus; & hanc tibi felicitatem contigisse ex animo gratulamur.*

(d) Paraphrasis N. T. anglice in publicos usus versa & bis impressa in fol. regnante Eduardo VI. Illius versionis partem traditur elaborasse Maria, Henrici VIII. filia, Eduardi soror, quæ illi in regno deinde successit vid. Acta Erud 1724 p. 337. Germanice jam A 1522 transferre instituit Leo Judæ. Paraphrasis in Matthæum italice versa a Bernardo Tomitano. Prohibita omnino est in Romano Indice. Vide plura ap. Possevinum in *Desiderius.*

De

De David & Saule, deque tolerantia, Homiliæ III. p. 137. Quum Presbyter esset designatus. Homilia I. p. 162. In Psalmum XCVI. *Cantate Domino Canticum novum* Homilia I. p. 165. Quum Sartoninus & Aurelianus acti essent in exilium, Homilia I. p. 173. De fide Annæ, Homiliæ II. p. 177. Commentariorum in Acta Apostolorum, Homiliæ priores IV. p. 189. Commentaria in D. Pauli posteriorem ad Corinthios Epistolam, Homiliæ VII. p. 217. Commentaria in totam Epistolam ad Galatas, p. 267. In Epistolam ad Philippenses Homiliæ II. p. 319.

Ex S. Athanasio Alex. versa. Ad Serapionem de Sancto Spiritu Epistolæ II. p. 329. Contra Eusebium de Nicæna Synodo Epistola I. p. 335. Apologetici II. adversus eos, qui calumniabantur quod in persecutione fugisset. p. 353. De Passione Domini ac de cruce Homilia I. p. 365. De eo quod scriptum est Luc. XIX. 30. *Euntes in castellum quod* &c. p. 385. De virginitate seu de exercitatione p. 389. De peccato in Spiritum S. p. 397. De Spiritu Sancto Liber p. 405.

Ex Origene versa. Pars Commentariorum in Mathæum a Cap. XIII. 36. ad XVI. 20. p. 439. His præmittitur Erasmi *diatriba de vita, phrasi, docendi ratione & Operibus Origenis cum singulorum librorum censuris.* p. 423.

Ex Basilio Magno versa, in principium Esaiæ p. 483. De Spiritu S. Liber p. 493. De laudibus jejunii Homiliæ II. p. 535.

Erasmi oratio de pace & discordia contra factiosos ad Cornelium Goudanum p. 545. e MS. Petri Opmeri. (e)

Oratio funebris in funere Berthæ de Heyen, Goudana viduæ probissimæ. p. 551. ex eodem MS.

Carmina varia p. 561 - 583. e MS. Petri Scriverii. (f)

TOM. IX.

Epistola Apologetica ad Martinum Dorpium Theologum, p. 1.

Apologia ad Jac. Fabrum Stapulensem p. 17. subjuncta Fabri disputatione ad Hebr. II. 7. adversus quam Erasmus se defendit, p. 67. (g)

(e) Erasmi Consilium in causa Evangelica Unschuld. Nachr. A. 1718. p. 1142.

(f) Erasmi Carmen votivum ad Divam Genofevam, cujus præsidio a quartana febre liberatum sese ferebat, prodiit Friburgi Brisgojæ 1532. 4.

(g) De Apologia ad Jac. Fabrum, conf. D. Val. Ern. Lœscheri Acta Reformat. T. I. p. 564. seqq.

Ad Jacobi Latomi *dialogum de tribus linguis & ratione studii Theologici p.* 79.

Ad Joannem Atensem *pro declamatione Matrimonii p.* 105.

Apologia de: In Principio erat sermo. p. 111.

Apologia I. ad Notationes Eduardi Lei. p. 123. *Apologia II.* p. 199. III. p. 249.

Apologia I. ad Jacobum Lopidem Stunicam p. 283. II. p. 355. III. p. 391. (h)

Adversus Sanctium Carranzam. p. 401. (i)

Apologia de loco I. Cor. XV. 51. Omnes quidem resurgemus, *adversus* Nicolaum Ecmondanum. p. 433.

Apologia II. in Natalem Beddam. p. 442. II. p. 854. III. p. 495. IV. p. 515. V. p. 702.

Apologia adversus debacchationes Petri Sutoris. p. 737. *ad Antapologiam ejus responsio p.* 805.

Appendix de Scriptis Jodoci Clithovei. p. 811.

Declarationes adversus censuras Theologorum Parisiensium. p. 813. (k)

Apologia ad Phimostomi *cujusdam Disputationem de divortio. p.* 955.

Apologia ad juvenem Gerontodidascalum. p. 965.

Apologia ad Monachos *quosdam* Hispanos. p. 1015.

Apologia I. ad Albertum Pium, *Carporum Principem.* p. 1093. II. p. 1123.

Ad Christophorum Episcopum Basileensem *de esu carnium & hominum constitutionibus p* 1197.

De libero arbitrio Diatribe seu collatio. p. 1215.

TOM X.

Hyperaspistes Diatriba adversus servum arbitrium Martini Lutheri, lib. I. p. 1249. lib. II. p. 1335. (l)

Adversus Epistolam ejusdem p. 1537.

Praestigiarum libelli cujusdam detectio. p. 1557.

Contra Pseudevangelicos Epistola ad Gerardum Noviomagum. p. 1573.

(h) Jacobi Ziegleri, Bavari, adversus Stunicam, pro Erasmo apologia, cum præf. Jo. Frobenii vidit lucem. Basil. 1523. 8.

(i) Vide Autographa Lutheri T. III. p. 82.

(k) Conf. de his Declarationibus Rich. Simonis Bibl. Choisie T. II. c. 15.

(l) De Hyperaspiste vide Melanchthonem libro IV. epist. 28.

Ad

Ad Eleutherium. p. 1587. *Ad* Grunnium. p. 1590.

Ad fratres Germaniæ inferioris p. 1590.

Spongia adversus adspergines Ulrici Hutteni p. 1631. (m)

Pantalabus, *seu adversus febricitantis cujusdam libellum, p.* 1673.

Antibarbarorum liber. I. p. 1691.

Adversus Graculos. p. 1745.

Responsio ad Petri Cursii *Defensionem. p.* 1747.

Epistola de Termini sui inscriptione concedo nulli, *ad* Alphonsum Valdenium p. 1758.

Epistola ad Henricum Ducem. p. 1859.

Præter hæc scripta sanctosque Novi fœderis libros toties recognitos novisque curis illustratos, Erasmus vide quos Scriptores veteres in lucem ediderit, recensuerit, emaculaverit, verterit, partem etiam, ut S. Hieronymi opera, notis eruditis & censuris illuminaverit, quæ in Erasmi operibus non leguntur, sed opportuniore loco cum Hieronymo sæpius sunt editæ.

Catonis disticha, mimique publiani paraphrasi explicati. 1502.

Libanii declamationes. A. 1503. Epist. XXIX. 16.

Luciani varia A. 1503-1517. Epist. XXIX. A. 2-10.

S. Basilii quædam ex Græco versa. A. 1510. Epist. XXIX. 90. 91. 92.

Suetonius A. 1517. Epist. XXVIII. 16.

Curtius. A. 1518.

Theodori Gazæ Grammatica A. 1518. Epist. XXIX. 1.

Euripidis Hecuba, & Iphigenia. Epist. XXIX. 24. 25.

Officia Ciceronis. A. 1519. Epist. XXVIII. 17.

S. Cypriani Opera. A. 1519. Epist. XXVIII. 6.

Arnobius A. 1522. Epist XXVIII. 9.

S. Hilarii Opera A. 1522. Epist. XXVIII. 8.

Ciceronis Tusculanæ quæst. 1523. Epist. XXVIII. 18.

Lexicon Græco-Lat. cum Erasmi præfatione. A. 1524. Epist. XXVIII. 21.

In Nucem Ovidii, & duos Prudentii Hymnos. A. 1524. Epist. XXIX. 26. & 65.

*Cœlius * de libero arbitrio, cum præf. Erasmi* A. 1525. Epist. XXVIII. 25.

(m) Ad Spongiam, post Hutteni mortem respondit Otho Brunsfeldius. Unsch. Nachr. 1719. p. 123.

* Nota, Cœlium hunc perinde ut Gazam & Georgium Agricolam, quem infra ab Erasmo editum refero, esse Scriptorem recentem, nec remotum ab Erasmi ætate.

Plinii Historia naturalis, cum Erasmi præfatione A. 1525. Epist. XXVIII, 14.
S. Irenæus. A. 1526. Epist. XXVIII. 5.
Galeni exhortatio ad bonas artes. A. 1526. Epist. XXIX. 22.
Plutarchi quædam. Epist. XXIX. 49 - 52.
S. Hieronymi Opera A. 1526. (n)
S. Chrysostomi quædam Latine versa. A. 1527. Epist. XXIX. 83 - 87.
S. Ambrosii Opera. A. 1527. Epist. XXVIII. 3.
S. Chrysostomi in Babylam Martyrem A. 1527. Epist. XXVIII. 24.
S. Athanasii ad Serapionem de Spiritu S. A. 1527. Epist. XXIX. 88.
S. Chrysostomi quædam Græce edita cum Erasmi præfatione A. 1529. Epist. XXVIII. 23.
S. Augustini Opera. A. 1529. Epist. XXVIII. 1. 2.
Ambrosii Apologia David, & de David interpellatione. A. 1529. Epist. XXIX. 66.
Senecæ Opera. A. 1529. Epist. XXVIII. 12.
Georgius Agricola de re metallica, cum præfatione Erasmi. A. 1529. Epist. XXVIII. 22.
Chrysostomi Operum Latina editio, præmissa ipsius Vita. A. 1530. Epist. XXVIII. 4.
Algerus de Sacramento Altaris A. 1530. Epist. XXVIII. 10.
Xenophontis Hiero. 1530. Epist. XXIX. 63.
Aristoteles Græce editus cum Erasmi præfatione A. 1531. Epist. XXVIII. 13.
Livius editus cum Erasmi præfatione. A. 1531. Epist. XXVIII. 15.
Demosthenes Græce cum Erasmi præf. A. 1532. Epist. XXVIII. 26.
S. Basilius Græce cum Erasmi præf. editus A. 1532. Epist. XXVIII. 7.
Terentius. A. 1533. Epist. XXVIII. 20.
Ptolemæi Geographia cum Erasmi præfatione Græce edita. A. 1533. Epist. XXVIII. 19.
Haymo Halberstad. in Psalmos. A. 1533. Epist. XXVIII. 11.
Operum Origenis Latina editio, cui immortuus Erasmus, A. 1536. Confer Epist. XXVIII. post. 6. de vita & libris Origenis, & XXIX. 89. (o)

(n) S Hieronymi Opera, Basil. 1516. 1525. 1538. Paris 1523. Maittaire. T. III. p. 279. annal. Typogr.
(o) Nonnulla tributa Erasmo, quæ ipse sua esse pernegavit. vid. Maittaire T. II. p. 643. Epistolæ obscurorum virorum, neutiquam Erasmi. id. p. 396.

SCRI-

SCRIPTA DE ERASMO. (p)

Melchior Adamus in vitis Philoſophorum, *Valerius Andreas* in Bibl. Belgica & *Franc. Sweertius* in Athenis Belgicis, *Theodorus Beza*, *Jo. Jacobus Boiſſardus*, *Jo. Verheiden* & *Mich. Reuſnerus* in iconibus; *Iſaac Bullart* Academie des Sciences & des arts T. II. p. 159. *Aubertus Miraeus* in elogiis Belgicis & in Bibl. Eccleſiaſtica Scriptorum Sæculi XVI.

Petrus Baelius in ſpecimine Dictionarii Hiſtorico Critici, & in Opere

(p) Scriptoribus de Eraſmo, præter citatos ad §. 1. adde: Melchioris *Acontii* Apotheoſin Eraſmi, Carmen cum præfixo Melanchthonis Epigrammate in T. II. præfatt. & Oratt. Melanchthonis p. 423. Argent. 1544. & 1559. 8. Ambroſii *Catharini* contra Eraſmum ſcripta, in Jac. Echardi Bibliotheca Dominic. T. II. p. 130. b. Jo. *Clerici* vitam Eraſmi operibus edit. Amſt. 1703. præmiſſam; Jo. *Coleti*, qui Eraſmo familiaris fuit, vitam Eraſmi editam Cantabr. 1724. per Sam. Knight. Joach. Frid. *Fellerum* trimeſtri ſeptimo p. 305. ſſ. ex Jac. Thomaſii Obſervatt. Abbatem *Fleury* Tom. XXVI. Hiſt. Eccl. qui Eraſmum defendit contra cenſuram Paris. Journ. D. Sav. 1733. p. 307. ſſ. Jo. *Gerhardum* in Confeſſione Cathol. T. I. p. 19. 20. Jo. *Hentenii* Opus MS. de propoſitionibus erroneis ſcandaloſis & hæreticis A. 1552. excerptis ex omnibus Eraſmi operibus & miſſis ad Concil Trident. vid. Jac. Echardi Bibl. Domin. T. II. p. 196. & Antonii Sanderi Bibl Belgicam MStor. codicum P. II. p. 40. Sam. *Knight* in Vita Eraſmi, quoad eam partem quam in Anglia tranſegit. Cantabr. 1726. 8. vid. Acta Er. 1727. p. 34. Biblioth. raiſonnée. T. I. p. 42. New memoirs T. IV. p. 85. & T. I. p. 217. germanice prodiit Theodoro Arnoldo interprete. Lipſ. 1735. 8. Bernh. a *Mallinkrot* de vita religione & doctrina Eraſmi, MS. apud Bernh. Rottendorffium. vid. Syllogen Epiſtolar. Burmannianam T. V. p. 272. 270. *Marſolierii* Apologiam vide in Nouveau Recueil des pieces fugitives. Paris 1717. 12. vid. Mem. of literat. T. IV. p. 158. Journ. des Sav. 1714. II p. 25. ſſ. & quæ infra dico C. III. ſub fin. §. 2. Frid. *Nanſea* monodiam in Eraſmum nuper defunctum. Paris 1536 8. addita ejus vita ex epiſtola Beati Rhenani, E. *Nutbertum* in ſcripto edito Halæ Sax. 1718. 4. Die um die Evangeliſche Religion höchſt meritirte Buchdrucker-Kunſt, & quæ auctori huic Eraſmum Luthero præferenti opponuntur in Unſch. Nachr. 1719. p. 117. ſſ. Du *Pinio* adde Nouv Rep. lettr. 1703. II. p. 308. ſſ. 1687. p. 1253. Bibl. Univerſelle. T. VII. p. 106. ſſ. Jul. Cæſaris *Scaligeri* Orationes contra Eraſmum & epiſtolæ ſunt T. VIII. amœnitt. liter. Idem cum Eraſmo iterum reconciliatus. ib. p. 620. Rich. *Simon* in cenſura Bibliothecæ Eccleſiaſticæ Dupinianæ Eraſmo iniquior T. I. p. 579. ſſ. De Gottfr. *Taxandro* ſ. Vincentio *Theoderico* contra Eraſmum. v. Echardi Bibl. Dominic. T. II. p. 67.

ipso, quod jam auctius iterum præla Roterodamensia exercet, de Erasmo differit diligentissime in *Erasme*, in *Roterdam* &c.

Caspar Barlæus in Bogermanno elenchomeno A. 1615. edito, Erasmi Apologiam scripsit adversus criminationes Matthæi Sladi, p. 46 - 67.

Dominicus Baudius Centur. II. Epistola secunda ad Paulum Merulam, Erasmi vitam editurum.

Marcus Zuerius Boxhornius in theatro Urbium Hollandiæ, p. 284.

Dan. Brenii compendium Theologiæ Erasmicæ editum minore forma Roterodami 1677. est brevis ad pietatem & virtutes Christianas adhortatio ex Erasmi libris excerpta, cui icon Erasmi præfigitur cum hoc elogio:

Si paucis cupias laudes perstringere Erasmi,
Sol & sal avi, dic, fuit iste sui.

Adolphus Clarmundus sive Rudigerus in limine Tomi primi vitarum, quas Germanice edidit: *Hermannus Suden* sive Uhsenius in Critico erudito, itidem edito Germanice part. III. quæst. 44. *Paulus Freherus* in Theatro eruditorum virorum, atque Scriptores Bibliothecarum magno numero, *Conradus Gesnerus* inprimis ejusque epitomatores *Josias Simlerus* & *Jo. Jacobus Frisius*, tum *Antonius Possevinus* in apparatu sacro: *Matthias Georgius Kœnigius* in Bibl. & Lexicorum digestores Galli, Angli, & Germani, Hofmannus, Morerius. &c.

Joannes Clericus vitam Erasmi ex epistolis ejus maxime contexuit Gallico sermone T. V. Bibl. selectæ. p. 145. seq. ab A. 1490. ad 1519. & T. VI. sub init. ab A. 1520. ad A. 1536. quo extinctus Erasmus 4. Idibus Jul.

Erasmus ipse vitam suam ex parte consignavit, quam ab amicis deinde ad finem perductam una cum Epistolis ejus plusquam septuaginta edidit *Antonius Thysius* Lugd. Bat. 1649. 12. ut alias editiones *Pauli Merulæ* A. 1607. & *Petri Scriverii* A. 1615. omittam. Extat & ante editionem operum Erasmi novam Leidensem unacum plurimis aliis in honorem Erasmi dictis & scriptis: Statuaque ænea, quam S. P. Q. Roterodamensis memoriæ Erasmi dicavit, ære eleganter descripta.

B. D. *Joannes Fechtius* in apparatu ad Epistolas Marbachianas p. 165. seq. *Thomas Pope-Blount* in censura celebrium Scriptorum, *Christianus Wilhelmus Eybenius* ad Jo. Magiri Eponymologium Criticum &c.

Lucas Gauricus tractatu quarto Astrologico p. 66. thema Erasmi natalitium exhibet, de quo vide etiam *Hieron. Cardanum* ad lib. IV. tetrabibli Ptolemæi.

Hallen-

Hallenses Obſervationum ſelectarum ad rem litterariam ſpectantium Tom. IV. obſerv. ult. iconem & characterem animi Eraſmi edunt, haud parce objectantes ei timorem & voluptatem, viro qui præ multis millibus auſus eſt metum contemnere, & quieti veritatem præferre, boniqne publici cauſa tantis ſe onerare laboribus, ut, quemadmodum ipſe ait, T. IV. p. 895. propemodum nec ægrot re jam ei liceret, nec mori, nec uti Medicorum opera.

Jo. Heroldi Acropolitæ Philopheudes, ſive pro Eraſmo (contra Dialogum famoſum anonymi cujusdam) Declamatio in Gymnaſio Baſileenſi, Procerum juſſu & aſſenſu publice recitata, & poſt veterem editionem Baſileenſem recuſa Tomo VIII. operum Eraſmi edit. Leidenſ. p. 591-652.

Jo. Henricus Hottingerus in Hiſtoria Eccleſiaſtica Sæculi XVI. parte II. p. 23 44. ubi ſingillatim de eo, quantum Eraſmus ad Reformationem Eccleſiæ contulerit.

Guilelmi Inſulani Oratio funebris in obitum Eraſmi, Baſil. 1536. 8. & T. X. edit. Leidenſ. p. 1845-1859.

Claudii Joly vita Eraſmi, adhuc quod ſciam latet inedita, licet eam jam A. 1699. abſolutam & prælo paratam fuiſſe legas in Hiſtoria operum eruditorum Basnagii Bellovallii, menſe Junio illius anni p. 272. De illa vide Eliam du Pin, T. XVIII. Bibl. Eccleſiaſticorum Scriptorum p. 95.

Paulus Jovius in elogiis p. 175.

Chriſtianus Junckerus ὁ μακαρίτης in memoria B. Lutheri ex nummis illuſtrata p. 167. edit. Germanicæ, exhibet numos cuſos in honorem Eraſmi, in quorum uno imago DEI Termini, quo apoſphragiſmate in annulo ſuo uti ſolebat, cum verbis *Concedo nulli*: quibus tamen neutiquam ſe omnibus aliis præferre Eraſmus, ſed termini vitæ, certo certius omnibus impendentis memoriam oculis ſubjicere voluit, quod & altera verba adſcripta teſtantur: *mors ultima linea rerum.* Confer Eraſmi Epiſtolam ad Alphonſum Valdeſium, quæ exſtat ad calcem Tomi ultimi Operum.

Jo. Caſpar Læſcherus de fortunæ Literatorum varietate exemplo Eraſmi demonſtrata.

Martini Lydii Apologia pro Eraſmo, oppoſita calumniis eorum, qui ipſum Arianiſmi accuſant, edita eſt primum in nova editione Operum Eraſmi Leidenſi T. X. p. 1759-1780.

Apologie ou Juſtification d'Eraſme par Mr. l'Abbé *Marſolier*, Chanoine & ancien Prevot de l'Egliſe d'Uſez, a Paris 1713. 12. De hoc libro infra nonnulla dicentur.

Andreæ Masii Epistola ad Georgium Cassandrum, de Erasmi Operibus in Indicem expurgatorium relatis.

Mr. Mercier, sousprincipal du College de Navarre, dans la vie d'Erasme, publiée avec ses colloques, commentez & repurgez, a Paris.

Lud. Elias du Pin in Bibliotheca Scriptorum Ecclesiasticorum Sæculo XVI. de Erasmo & ejus Scriptis fuse disputat T. XIV. p. 12-91.

Beatus Rhenanus editioni Operum Erasmi Basileensi A. 1540. vitam ejus præmisit, quæ non modo ante Leidensem recusa est, sed & in vitis Selectorum Virorum a Guil. Batesio Londini 1681. 4. editis & A. 1704. prælo iterum subjectis p. 187. legitur.

Sentimens d'Erasme de Rotterdam conformes a ceux de l'Eglise Catholique, sur tous les points controversez par *J. Richard*, Prieur de Beaulieu St. Avoye. a Cologne 1688. 12. & 1716. 12. Le veritable nom d'Auteur est *Mr. de St. Amour*, Docteur de Sorbonne. Journal litteraire T. VII. p. 442.

Richardus Simon Histor. Criticæ Novi Test. Lib. III. cap. XXXV. & XXXVI. p. 504-536. ubi de Erasmi lucubrationibus in Novum Testamentum, & quas pro iisdem edidit apologiis.

Joannes Sleidanus in Commentar. *Vitus Lud. Seckendorfius* in Histor. Lutheranismi &c.

CAPUT II.

UTRUM ET QUOUSQUE ERASMUS FECERIT CUM D. LUTHERO? ET QUANTUM CONTULERIT AD ECCLESIÆ REFORMATIONEM? D. LUTHERI JUDICIUM, ERASMUM POSSE INDICARE ERRORES, NON POSSE DOCERE VERITATEM, INIMICITIÆ MUTUÆ, ET SCRIPTA AB ERASMO IN LUTHERUM ET A LUTHERO IN ERASMUM DEINDE EDITA.

§. I.

Inter eos qui Erasmi virtutes & merita pulchre agnoverunt, fuit sane etiam B. LUTHERUS noster, ut vel ex his ejus verbis apparet in Epistola data ad Erasmum Cal. April. Anno MDXIX. *Toties ego tecum fabulor, & tu mecum, Erasme, decus nostrum & spes nostra, necdum mutuo nos cognoscimus, nonne*

nonne monstri hoc simillimum? Imo non monstrum, sed plane quotidianum opus. Quis enim est, cujus penetralia non penitus occupet Erasmus, quem non doceat Erasmus, in quo non regnet Erasmus? de iis loquor qui litteras recte amant. Nam satis gaudeo, quod inter catera dona CHRISTI etiam hoc numeratur, quod multis displices: quo ego argumento soleo discernere dona clementis DEI a donis irati. Itaque tibi gratulor, quod dum summe omnibus bonis places, non minus displices iis, qui soli omnium summi esse & summe placere volunt. (q) Vicissim Erasmus favebat Luthero, atque ex ipso ejus nomine, quod Germanorum lingua *repurgatorem* ait sonare, (a) lætum capiebat omen, nec minus probabat Lutheri causam, ut ex his ejus verbis clarissime patet Epistola XII. 10. ad Albertum Archi-Episc. Moguntinum data Cal. Nov. Anno MDXIX. *Mundus oneratus est constitutionibus humanis, oneratus est opinionibus & dogmatibus Scholasticis, tyrannide fratrum mendicantium, qui cum sint satellites sedis Romana, tamen eo potentia ac multitudinis evadunt, ut ipsi Romano Pontifici, atque ipsis adeo regibus sint formidabiles. - - De indulgentiis sic loquebantur ut nec idiota ferre possent. His & ejusmodi multis rebus evanescebat vigor Evangelica doctrina; & futurum erat, ut rebus semper in deterius prolabentibus, tandem prorsus extingueretur illa scintilla Christiana pietatis, unde redaccendi poterat extincta charitas. Ad cerimonias plusquam Judaicas summa religionis vergebat. Hac suspirant ac deplorant boni viri, hac ipsi etiam Theologi, non monachi & monachi quidam in privatis collegiis fatentur. Hac, opinor, moverunt animum Lutheri, ut primum auderet se quorundam intolerabili impudentia opponere. Quid enim aliud suspicer de eo, qui nec honores ambit, nec pecuniam cupit. - - Ausus est Lutherus de indulgentiis dubitare, sed de quibus alii prius nimis impudenter asseveraverant: ausus est*

(q) Erasmi axiomata T. II. Opp. Lutheri lat. Witteb. p. 115. b.

(a) Erasmus Epist. XVIII. 35 quasi nomen esset Lauterer. Cœterum, Erasmi colloquium cum Frid. Sapiente v. ap. Jo. Abr. Wimmerum in vita Gregorii Pontani p 78. sq. Erasmi de Luthero judicium ad Fridericum Sax. Electorem est apud Jo. Rainoldum p. 89. de Idololatria Ecclesiæ Romanæ. Adde Lutheri T. IX. Witteb. p. 84. T. I. Altenb. p. 264. cum Friderici responsione. Lutherum non esse adeo imperitum Theologiæ ut adversarii ejus clament, judicat Erasmus XVII. 26. epist. p. 770. Honorifice & candide veniarum Disputationem laudavit & miratus est, ut A. 1518. ad Lutherum scripsit Wolfg. Fabricius Capito. v. T. IV. Bibl. Brem. p. 921. Plura Jo. Wolfius T. II. Lectt. mem. p. 142. ss. Lœscherus in Actis Reform. T. III. p. 934.

immo-

immoderatius loqui de potestate Romani Pontificis, sed de qua isti nimis immoderate prius scripserant, quorum pracipui sunt tres Pradicatores Alvarus, Sylvester & Cardinalis Sancti Sixti. Ausus est Thoma decreta contemnere, sed qua Dominicani pane praferunt Evangeliis. Ausus est in materia Confessionis scrupulos aliquos discutere, sed in qua Monachi sine fine illaqueant hominum conscientias. Ausus est ex parte negligere Scholastica decreta, sed quibus ipsi nimium tribuebant & in quibus ipsi nihilominus inter se dissentiunt, postrema qua subinde mutant pro veteribus rescissis inducentes nova. Discruciabat hoc pias mentes, cum audirent, in scholis fere nullum sermonem de doctrina Evangelica, Sacros illos ab Ecclesia jam olim probatos autores haberi pro antiquatis: imo in sacris Concionibus minimum audiri de Christo: de potestate Pontificis, de opinionibus recentium fere omnia, totam orationem jam palam quaestum, adulationem, ambitionem ac fucum pra se ferre. His imputandum opinor, etiam si qua intemperantius scripsit Lutherus. En justam Lutheri Apologiam, Erasmi stylo proditam, cujus generis longe plurima in ejus Epistolis & Apologiis leguntur, quæ partim ab illustri Seckendorfio in Historia Lutheranismi jam notata, partim obvia omnibus, hoc loco coacervari a me nihil est necesse.

§. II.

Illud potius dispiciendum, qua ratione inter Viros tam præclaros, atque amico prius animo pro communi causa, licet diverso pugnandi genere stantes adversus communes adversarios, tam male deinde convenerit, ut interjecto non adeo magno tempore res plane devenerit ad maledicta & inimicitias, etiam scriptis testatas exaggeratasque. Qua in re hoc saltim spero me evicturum, in omnibus hisce nec D. Lutherum nostrum nec Erasmum unquam dissensisse a se ipsis, sed ex animi utrumque egisse sententia: & cum non tantum diverso invicem ingenio diversisque dotibus essent, sed etiam diversa ambo fata experirentur, & a Pontifice Lutherus præfervide condemnaretur, at Erasmus qui non minus certe φορτικὰ tum sæpius dixerat scripseratque, ferretur & laudaretur: maxima inter utrosque intercedebat sententiarum differentia hæc, quod a Pontifice condemnatus Lutherus atque ita condemnatus, ut palinodiam impiam canere juberetur rerum evidentissimarum atque perspicue confirmatarum e sacris literis, is non dubitabat amplius neque adeo poterat dubitare, jam plane constitutum esse se inter Christum & Belial: adeoque aut Christum deserendum, aut Belial, quod ipse quidem necessario fecit, relinquendum ac detestandum esse. Erasmus vero Ecclesiæ emendationem sperans a Pontifice & Cæsare impetrandam, atque libertate interim utens

utens sua, persuadebat sibi se stare inter Scyllam & Charybdim. Ita enim in præfat. ad Cœlium de libero arbitrio IX. 25. Epist. edit. Lond. *Inter CHRISTUM & Belial incedere magna fateor impietas est. At inter scyllam & charybdim medium tenere cursum, arbitror esse prudentiam.* Pessime fecisset Erasmus ita sentiens, si Lutherus fuisset: Sed Erasmus si fecisset aliter, non minus contra conscientiam eum opinor fuisse facturum suam, quam contra prudentiæ, cujus meminit regulas, & contra communem religionis & litterarum causam. Magnum enim veritatis testem in Ecclesia Romana amisissemus, & litteris minus prodesse utique Erasmus, per majorem partem Europæ Pontifici adhuc adhærentem, ipsius tactus fulmine, & a longe paucioribus auditus & lectus, vel plane fortasse oppressus aut combustus, potuisset.

§. III.

Ita animati, ita excepti ambo, dum pergunt viam quisque suam insistere, magis magisque a se semper alienabantur, velut duæ lineæ quæ proxime contingentes se quidem, sed ex diverso ductæ centro, quo longius producuntur eo magis invicem recedunt. Erasmus non desinebat pro capto semel consilio *ex altera parte* hortari Lutherum, ut lenius ageret, contemneret maledicta, ut abusus improbaret, res relinqueret, ut Pontifici & viris Principibus parceret, ut caveret sibi ab ira & gloriæ præpostera cupiditate. *Ego me, quod licet, integrum servo, quo magis prosim bonis literis reflorescentibus. Et mihi videtur plus profici civili modestia quam impetu. Sic Christus orbem in suam ditionem perduxit. Sic Paulus Judaicam legem abrogavit, omnia trahens ad allegoriam. Magis expedit clamare in eos qui Pontificum autoritate abutuntur, quam in ipsos Pontifices: Idem de Regibus faciendum censeo. Scholæ non tam aspernandæ sunt, quam ad studia magis sobria revocandæ. De rebus receptioribus quam ut subito possint ex animis evelli, disputandum est argumentis densis & efficacibus potius quam asseverandum. Quorundam virulentas contentiones magis conducit contemnere quam refellere. Ubique cavendum ne quid arroganter aut factiose loquamur, faciamusve: Sic arbitror gratum esse Spiritui Christi. Interim servandus animus, ne vel ira, vel odio, vel gloria corrumpatur, nam hæc in medio pietatis studio solet insidari. Hæc non admoneo ut facias, sed ut quod facis perpetuo facias.* (a) Sanum consilium haud dubie, si per adversariorum clamores & impudentiam, vel Pontificis Lutherum ad indignæ palinodiæ crimen non desinentis cogere, parum tempestivam incle-

(a) Erasmus Epist. VI. 4. ad Luther. data 3. Cal. Jun. 1519.

mentiam Luthero licuisset diutius illud per omnia sequi, atque invictus ille Lutheri animus per illas ipsas veritatem haud ferentium injurias non accensus etiam longe magis fuisset & incitatus ad fortius agendum quod agebat, & ad invadendam ipsam arcem eorum, a quibus pauca quædam & intoleranda reprehendens modeste, tam ferociter impetebatur, & quæ velut caput Gorgoneum ipsi objiciebatur semper, autoritatem Papæ potestatemque; unde deinde factum, ut quo accuratius rem expenderet, eo magis videret omnem illum terrorem animi tenebrasque discuti, non radiis solis nec lucidis telis diei, sed clarissima luce divinarum litterarum.

§. IV.

Ex altera parte Erasmus tria faciebat potissimum, quæ Lutheri causæ mire suffragabantur. Nam primo præ se ferebat aperte, non esse sine causa, quod adversus tam graves errores atque abusus Lutherus calamum arripuisset. *Nec enim negari potest* inquit XXIII. 6. Epist. ad Marcum Lauriacum p. 1226. edit. Lond. *quin multa monuerit Lutherus, quæ corrigi sit in rem Christianam, quæque Mundus diutius ferre non poterat.* Et XIX. 71. *Condonationes Pontificias non minus impie quam imprudenter deprædicabant ptochotyranni quidam, qui spe lucri nihil non audent. Horum intemperiis Lutherus opposuit sua problemata. Indignabantur quorum res agebatur. Missa sunt ad Leonem X. Respondit Sylvester Prierias tam feliciter, ut ipse Pontifex indixerit illi silentium. Successere quorundam vociferationes apud populum, nihil habentes in ore præter hæreses, blasphemias & schismata. Visa narro, nulla res magis conciliavit omnium favorem Luthero.* Passim quoque agnovit, Ecclesiam & Orbem magnopere indiguisse Luthero aliquo, professusque est se opinari *Lutherum esse bonum virum, corrigendis depravatissimis hominum moribus divinitus missum*, quæ ejus verba sunt in Apologia ad Albertum Carporum Principem T. IX. p. 893. Et paucis interjectis: *Sacerdotum quorundam palam impia vita, Theologorum quorundam supercilium, Monachorum quorundam non amplius ferenda tyrannis huic tempestati locum fecit.* Etiam a Luthero alienior, cum jam profiteretur *fabulam sibi placuisse, actionem displicuisse*, tamen non inficiatus est, adeo gravia fuisse Ecclesiæ ulcera, ut acrius tractari etiam desideraverint. *Non omnes*, inquit T. IX. p. 900. *Christi negotium agunt, qui Lutherum appellant pestilentem bestiam. Et qui scimus an talem bestiam corrigendis moribus nostris immiserit DEUS? Hæc eo minore suspicione loquor, quod is in neminem immanior bestia fuerit quam in me.*

§. V.

§. V.

Huic accedit alterum, quod Erasmus ipse frequentissime multa eadem, quæ Lutherus, reprehendit & perstrinxit acriter non modo in Colloquiis, sed etiam in multis aliis scriptis magis seriis, atque in ipsis Commentariis ad Novum Testamentum, & eorundem Apologiis. Usque adeo ut hæc res etiam palam male haberet Monachos, qui hac re invidiam Erasmo, ut facerent, nihil intermisere clamoribus, calumniis & invectivis, conatique sunt efficere, licet incassum, ut Erasmus similiter, quemadmodum Lutherus, a Papa condemnaretur, a Cæsare proscriberetur. Hinc jactatum veluti proverbii in vicem, *ἢ Λυθῆρος ἐρασμίζει, ἢ Ἔρασμος λυθηρίζει aut Lutherus erasmizat aut Erasmus lutherizat.* * cujus facit ipse mentionem Erasmus T. IX. p. 429. & 897. Alii dicebant *posuisse Erasmum ova, Lutherum exclusisse*, vel ut Conradus Brunus lib. I. de hæreticis c. 10. *ubi Erasmus innuit, Lutherus irruit.* ** Ipse Erasmus in Epistola ad Zwinglium, apud Hottinger. T. VI. Hist. Eccl. sive Sec. XVI. parte II. pag. 31. *Videor mihi fere omnia docuisse, quæ docet Lutherus, nisi quod non tam atrociter, quodque abstinui a quibusdam ænigmatis & paradoxis.* ***

§. VI.

Tertium est denique, quod monuit quosvis Erasmus, Episcopos maxime ac viros Principes, ne de Luthero immitius consulerent, seditiosisque indoctorum Monachorum clamoribus moveri se paterentur, *certe vitam hominis* (scribit Erasmus Epist. ad Fridericum Electorem Saxoniæ *) *nemo, qui novit, non probat, quæ cum longissime absit ab omni suspicione avaritiæ atque ambitionis, & morum innocentia vel apud Ethnicos favorem invenit. Quam non congruit mansuetudini Theologicæ, protinus ac ne perlecto quidem libro tam immaniter debacchari in nomen ac famam Viri, idque apud imperitam plebeculam quæ prorsus caret judicio. Præsertim cum ille disputanda proposuerit, cum omnium judicio sese submiserit, quorum oportuit & quorum non oportuit. Nemo*

* Abrah Bzovius ad A. C. 1519. n. 36. p. 365. T. XIX. Hippolytus Maraccius Bibliothecæ Marianæ T. I. p. 318. Erasmus XXI. 24. Epist.

** Rev. H. L. Benthem in mediis Romæ Papalis p. 143.

*** Jo Jac. Grynæi dictum, Erasmum plus iocando, quam Lutherum stomachando, Papæ nocuisse. v. Nova Lit. Hamb. 1707. p. 22.

* Sleidanus lib. I. Commentar, Seckendorf. p. 96. Hist. Lutheranismi.

monuit, nemo docuit, nemo revicit, tantum vociferantur hareticum, seditiosis clamoribus ad lapides provocant. Dicas eos sitire sanguinem humanum, non salutem animarum. In eandem sententiam scripsit ad Archi-Episcopum Moguntinum & ad Campegium Cardinalem. Sunt & hæc Erasmi ad Rectorem Scholæ Erfurt. XII. 23. Epist. *Multa praclare monuit Lutherus - - impium sit illum in his, qua recte dixit, prorsus indefensum relinquere, ut posthac nemo sit, qui ausit verum proloqui. Non est hujus conditionis, nec hujus ingenii de illius doctrina pronunciare: hactenus certe profuit Mundo, nonnulli adacti ad evolvendos veterum Theologorum libros. &c.* Hinc plenos calumniis & conviciis in Lutherum libros, qui a Monachis & Theologis Pontificiis ad eum proscindendum edebantur, valde displicere sibi, haud obscuris verbis testatus est. *Famosos dialogos, picturam septicipitem, similiaque irritamenta semper improbavi, quin & Joannem Cochleum a tam acri contentione revocare conatus sum,* inquit T. IX. 1263. Quid quod ipsam Pontificis in Lutherum bullam reprehendit his verbis Epist. XIII. 30. ad Conradum Peutingerum. *Mei similium non est de Pontificum diplomatis judicare. Erant tamen qui in Bulla quam attulit nuncius Pontificius, mansuetudinem illam desiderarent, dignam eo, qui mitissimi Christi vices primarias gerit in terris, dignam hujus Leonis ingenio multo hactenus placidissimo, quod tamen ipsi non imputant sed instigatoribus.* Et Epistola DXXVIII. novæ edit. ad Gerardum Noviamagum. *Ecce res derepente in Bullam & fumum exitura videtur. Excusa est Bulla formidabilis, sed quam Pontifex vetuit publicari. Vereor ne res in gravem tumultum exeat. Qui hac suadent Pontifici, dant illi mea sententia consilium non dico quam pium, sed certe periculosum - - Ego me huic tragoedia non misceo. Alioqui paratus est vel Episcopatus, si velim in Lutherum scribere. Mihi dolet sic obrui doctrinam Evangelicam, nosque cogi tantum, non doceri; & doceri ea, a quibus abhorrent & sacra litera & sensus communis.* *

§. VII.

His omnibus neque apud Lutheri adversarios profecit Erasmus, neque apud Lutherum gratiam inire potuit, sed a neutris auditus, utrorumque in se contraxit odia, utrisque suspectus, nec constans satis habitus est. Perpetua tamen hæc ejus sententia fuit, Ecclesiam & mores magna emendatione indigere: sed in hoc eum fefellit animus, quod lenibus remediis hoc peragi

* Bellum dissuadet Erasmus multis argumentis A. 1530. ad Campegium Cardinalem. vid. Cœlestini Hist. Comitiorum August. T. III. p. 29. b.

posse

posse existimabat, & quod illam emendationem exspectabat a Pontifice. * Sæpe & hoc palam præ se fert Erasmus, concordiam se amare unice, & ab Ecclesia Romana nullo modo se velle disjungi. Erat sane hic idem Lutheri quoque animus initio, neque ille discessit ab Ecclesia CHRISTI unquam, vel schismatis auctor fuit, sed post theses de indulgentiis modeste propositas, a Pontifice Romano statim proscriptus est Bulla plena irarum, atque in una Periodo quadringenta verba coacervante. Nulli apologiæ, nulli declarationi datus fuit locus, simpliciter recantare quæ scripserat, & quæ omnibus bonis probantibus scripserat, jubebatur. Non mirum est multos repertos fuisse in ipsa Romana Ecclesia, qui in hoc impetu Leonis X. non modo Christianam æquitatem, sed etiam prudentiam requirerent, quorum testimonia magno numero collegit B. D. *Jo. Frid. Mayerus* noster in diatriba de Pontificiis, Leonis X. processum adversus Lutherum improbantibus. Nec tamen sanus quisquam dixerit, ab Ecclesia Christi rescindi per tam iniquam excommunicationem vivum membrum Christi potuisse. Quid autem fecisset Erasmus, si fulmen simile in ejus caput Pontifex vibrasset? prout Monachi plurimi & bonarum litterarum osores mire peroptabant. Tunc, ni fallor hæsisset illi aqua: vel certe tandem agnovisset errorem suum, atque de Lutheri, quam toties exagitat amaritudine, mitius sensisset. ** Quid vero jam Lutherus faceret inter sacrum verbi divini & duræ proscriptionis saxum constitutus? illud nempe, quod fecit, ut non subsisteret amplius cum Erasmo in verbis Jeremiæ LI. 9. *Curavimus Babylonem, & non est sanata*, sed vel excommunicatione Pontificia admonitus, & Romano fulmine adactus, non dubitaret amplius ad se pertinere etiam verba, quæ apud Prophetam proxime sequuntur: *Derelinquite eam.* ***

* Seckendorffius I. p. 201. *Eventu comprobatum est, quotidieque adhuc comprobatur, quod frustra Erasmus speraverit, ut temperata libertate Pontifices & Reges ad negotii Reformationis consortium pellicerentur.*

** Erasmo Papa pulchre pepercit & constanter; unde Jo. Owenus:

Nunc Desiderium desiderat Orbis Erasmum,
Cui soli licuit scribere quod libuit.

conf. epistolam Leonis X. Novo Testamento Erasmi præfixam, ubi dulcibus Encomiis nutantem ovem pius Pater allicere conatur.

*** Videnda quæ iam A. 1516. scripsit Lutherus T. I. Epist. 20. & 25. in D. Lœscheri T. I. Act. Ref. p. 826. & A. 1517. p. 832.

§. VIII.

§. VIII.

Erasmus autem cum non modo in Romanæ Ecclesiæ communione assidue maneret, cujus tamen tot ac tantos nævos ipse probe viderat & exagitaverat; sed etiam plura in illa excusaret ultra longe quam Luthero excusari posse viderentur: præterea passim perstringeret Lutherum apud amicos in sermonibus & Epistolis suis, quod immodestius, incivilius, acerbius, amarulentius scriberet, cujus rei magnas sibi & necessarias causas Lutherus habere videbatur: factum est facile, ut de Erasmo etiam sinisterius sentire Lutherus cœperit, atque ipse, quid in Erasmo desideraret, non dissimulaverit. Huc pertinent, quæ ad Joannem Oecolampadium scripsit, Erasmo non multum tribuendum in his quæ sunt spiritus: posse eum demonstrare errores, non posse docere veritatem.* *Ipse fecit ad quod ordinatus fuit, linguas introduxit, & a sacrilegis studiis revocavit: forte & ipse cum Mose in campestribus Moab morietur. Nam ad meliora studia, quod ad pietatem pertinet non provehit. Vellemque mirum in modum abstinere ipsum a tractandis scripturis sanctis & paraphrasibus suis, quod non sit par istis officiis, & Lectores frustra occupat & moratur in scripturis discendis. Satis fecit quod malum ostendit, at bonum ostendere, ut video, & in terram promissionis ducere non potest.*** Male habuit hoc Lutheri judicium Erasmum, ut ex ejus Litteris ad Zwinglium *,* apparet: & fortasse sunt quædam in eo dicta patum æque & ὑπερβολικῶς, quemadmodum præclara agnosco esse Erasmi etiam in sacras litteras & pietatem merita, ut omnes, qui ejus Tomum quintum operum, ne de lucubrationibus in Novum Testamentum dicam, ἄνευ παθῶν expenderint, mecum, opinor, fatebuntur.*

§. IX.

Verissimum tamen & illud, scribendi genere, quo utebatur Erasmus, solo minime tunc potuisse effici id, quod tamen efficiendum esse necessario Lutherus pervidebat, & errorum atque abusuum insolentia ulcerumque Ecclesiæ desiderabat atrocitas, quæ non erat amplius satis jam palpari tantum, leni-

* Hottinger. Sec. XVI. part. II. pag. 759.

** Vide simile judicium Lutheri de Erasmo, & in lib. de libero arbitrio. p. 226.

, id pag. 30. seqq.

* Atrociora sunt, quæ in Erasmum Lutherus, epistola ad Amsdorffium, edita Witteb. 1534. 8. & quæ in Lutherum Erasmus, apud Bzovium T. XIX. pag. 639. 673.

terque

terque tangi, sed invadi aperte, penetrari altius & ad vivum secari erat necesse. Erant enim Erasmica arma * sola imparia omnino ad retundendam illam vim ac pertinaciam insciriamque, conjunctam cum summa impudentia, quæ Ecclesiam cum summa auctoritate obsederat, litteras obscuraverat & fœdissimam ignorantiæ noctem, miraque superstitionum phantasmata induxerat. Sane suadet Erasmus, oblectat, instruit volentes obsequi, pungit, argumentatur etiam non acute modo sed etiam solide & crebro; sed hæc omnia a Monachis alto somno sopitis & illis a quibus vel maxime attendi debebant, vel non audiebantur vel negligebantur, vel ridebantur plane & exagitabantur, neque erat quisquam, qui propterea vellet errores gratos, abusus pingues, superstitiones fructuosas deponere, aut dilectam tantopere desidiam & ignaviam dimittere. Opus igitur erat aliquo, qui urgeret fortius illos & vehementius commoveret, qui excuteret e somno, & naso etiam prehensos agitaret validius & convelleret, qui denique justa acie oppugnaret hypocriseos arcem, & superstitionis monstrum apertis armis & plusquam Herculea clava aggrederetur.

§. X.

Neque tamen inutilis fuit Erasmi opera, etsi sola impar, qui etiam, cum jam contra Lutherum scripsisset, in quam plurimis tamen adhuc cum ipso sentiebat. Itaque & Lutherus nolebat quidem prior eum irritare, monebat etiam lib. II. Epist. p. 195. *ut spectator tragœdiæ esse vellet, nec copias suas cum adversariis conjungere - - Videmus nondum tibi esse a Domino datam eam fortitudinem, vel sensum, ut monstris illis nostris liberus ac fidenter occurras nobiscum: nos non sumus qui a te exigere audemus id, quod vires & modum tuum superat.* Suspectum tamen habebat, atque si non dubitaret ille adversarium se profiteri, fortiter se ei restiturum affirmabat, quod etiam abunde deinceps præstitit. Hæc vero sunt ejus verba T. II. Altenburg. p. 343. Erasmo will ich nicht U sach geben / ichts wider mich fürzunehmen: und ob er einst oder zwier an mich setzte / will ichs ihm zu gute halten / doch meines Erachtens wäre es ihm nicht zu rathen / daß er die Krafft seiner Rede-Kunst wolte an mir erweisen / denn er wird an Luther hoffentlich / keinen Fabrum Srapulensem finden / noch dergleichen Ruhm an ihm / wie an jenem erjagen / da er sich so hören läßt / alle freuen sich mit mir / daß der Gallus erlegt ist. Wird er sich aber ins

* *Non erat is Ecclesiæ morbus, qui emplastris Erasmicis sanari posset.* Seckendorf. p. 93. Hist. Lutheranismi Joh. Hussi durius dicta in Papam ejusque satellites, vide quomodo defenduntur in Bibl. Germanique. T. IX. p. 60. sq.

Spiel

Spiel mengen / so soll er durch GOttes Gnade erfahren / daß Christus sich weder für den Pforten der Höllen / noch für den Gewaltigen / die in der Finsterniß dieser Welt herrschen / nicht fürchte / und ich lallender will mit GOttes Hülffe dem allerberedtesten Erasmo mit Freudigkeit begegnen / will mich nichts anfechten lassen sein grosses Ansehen / Nahmen und Gunst / denn ich weiß / was in ihm steckt / sintemahl uns auch GOtt Lob nicht unbewust ist / was der Satan im Sinn hat / wiewohl ich warte biß daß er sich weiter und besser bloß an Tag gebe / wie er gegen mir gesinnet sey. * Cum etiam scripsisset contra ipsum Erasmus, professus Lutherus est, *Erasmo se responsurum esse non propter ipsum, sed propter eos, qui autoritate ejus abutuntur in gloriam suam contra Christum.* Epist. ad Hausmannum.

§. XI.

Ecquid vero Erasmum permoverit, ut cum tam diu nullis se precibus nec conviciis, nullis Pontificum, Cæsaris, Principum adhortationibus, nullis præmiis (nam & Episcopatum ferre se potuisse * profitetur) adigi fuisset passus, contra Lutherum ut scriberet, tamen denique dederit manus, & Anno MDXXIV. notam illam *de libero arbitrio* diatribam in lucem ediderit, merito aliquis requirat. Nullam autem video propiorem causam quam librum Lutheri, quo respondit Henrico VIII. Angliæ Regi, maleferiatorumque hominum suspiciones qui in illo libro nescio quas Erasmi esse partes jactabant: quam calumniam cum litteris a se removisset Erasmus, Epistolam accepit a Cutberto Tonstallo, Londinensis Ecclesiæ Ministro, postea Episcopo, qua hoc agit omni genere argumentorum, ut eum impellat ad Lutheri de servo arbitrio sententiam oppugnandam. *,* Data est hæc Epistola A. 1523. Nonis Jul. atque in Londinensi est 22. libri XXII. in nova Leidensi editione DCLVI. Per hanc opinor denique Erasmum persuasum, atque argumentis, quæ in illa videri possunt, permotum fuisse, ut calamum arriperet, non vero, quæ magni viri in immortalibus de Lutheranismo Commentariis (p. 309.)

* Conf. Erasmi epist. ad Lutherum. T. II Epist. Lutheri p. 194. b. & in Unsch. Nachr. 1725. p. 545.

** Neminem Scriptis suis causæ Lutheri magis nocuisse quam Erasmum, existimat illustris Seckendorffius in historia Lutheranismi p. 201. b. & 309.

* Erasmus Epist. DXXVIII. edit. novæ.

, Erasmus Lib. XIX. epist. 22. ad Ludov. Vivem, edit. Lond. *Ut ingenue dicam, perdidimus liberum arbitrium. Illic mihi aliud dictabat animus, aliud scribebat calamus.*

incre-

incredibilis, & ab Erasmi ingenio penitus abhorrens suspicio est, pensionum quibus in Anglia fruebatur, jacturam, nisi scriberet, metuentem, adversus Lutherum scripsisse. Quæ deinde Lutherus, quæ Erasmus contra fecerit & in publicum emiserit, velut notissima omnibus omitto. Tantum rogo eos, qui Lutheri durius dicta calumniantur, ut notas D. Sebastiani Schmidii τῦ μακαρίτυ libro de servo arbitrio in editione Argentoratensi adjunctis, & præfixam adversus Petrum Yvonem B. D. Jo. Joachimi Zentgravii Apologiam legant.

CAPUT III.

UTRUM ATHEUS FUERIT ERASMUS VEL PYRRHONIUS THEOLOGUS. ET IGNATII LOJOLÆ DICTUM, PROFESSI, LECTIS ERASMI SCRIPTIS REFRIGUISSE IN SE SPIRITUM DEI.

I.

Thomas Morus, cum Erasmum ignoto habitu acutissime disserentem excepisset, *vel Dæmon es*, inquit, *vel Erasmus*, ut narrat Vaninus dialogo LV. Similiter a multis aliis pro divino vel plane Deo aliquo habitus est, ab ipso etiam Julio Cæsare Scaligero, qui invectivis duabus adversus Erasmum editis, famam vivi prosciderat, postea mortuus computatus inter *maxima Numina*, in pervulgatis illis versibus p. 301. Poëmatum:

Tune etiam moreris? ah quid me linquis Erasme
Ante meus quam sit conciliatus amor.
Tune etiam, cui tam parvus fuit orbis &c.
Ille ego qui insana ridebam vulnera mortis
Conditaque Ætnea tela trisulca manu,
Ad quodvis stupeo monimentum, ac territus adsto,
Maxima cum videam Numina posse mori.

Petrus Lindenbergius in Heroibus *

Nec Deus es, nec homo, nec neuter, suavis Erasme,
Rursus, Erasme, tamen neuter, homo, & Deus es.

* T. 3. Delic. Poëtarum Germanorum p. 1125.

Post id dissimilis similisque es neutri, hominique,
Nec non assimilis, dissimilisque Deo.
Quid Musa intricata refers? dic ordine. Dicam:
Verus homo hic vero est corpore, mente Deus.

II. Aliis minime Deus habitus Erasmus, sed Atheus, & Sacrorum irrisor, quovis Luciano atque Epicuro irreligiosior, impiusque. Jam tum Jacobus Faber illum fecerat in Christum contumeliosum, intelligentiæ propheticæ subversorem a Judæis stantem, Christi dignitatem indigne dejicientem, Spiritui adversantem, carni literæque adhærentem, & non unis anticyris digna objecerat: Et Martinus Dorpius in Erasmi Moria notavit quædam scripta non mordacius modo sed prorsus impie. Ob eandem Moriam & colloquiorum dicacitatem plerosque Germanos ἄθεον eum apertissime appellare non erubuisse scribit Franciscus Floridus Sabinus * libro & capite tertio subsecivarum Lectionum. Longum esset & inutile ejusdem generis criminationes & convitia ex aliis adversariorum Erasmi scriptis excerpta congerere, quibus eum arguerunt non solum nihil credere de rebus divinis, verum etiam illud jam olim dolis, insidiis, totis viribus agere, ut universam religionem labefactatam tandem daret præcipitem, proque hac paganismum vel Atheismum in mundum revocaret. Consimiles blanditiæ sunt, quod Jacobus Stunica etiam in titulo libri sui *blasphemias & impietates* Erasmo objicit, & Petrus Sutor ei, quem *insanum tralatistam appellat*, exprobrat *tartareas interpretationes*, *plusquam insanas*, *sacrilegas*, *hæreticas ac diabolicas translationes*, *tartareos Spiritus*, *luciferianos tumores*, *dæmoniacas calliditates*. At si quis plaustra calumniarum ejusmodi cognoscere avear in Erasmi conjecta caput, is Jesuitarum scripta evolvat, Gasparis Cichocki sive (qui sub illo latet nomine) Sawicki librum I. alloquiorum cap. 19. & 20. Theophili Raynaudi erotemata de bonis & malis libris p. 22. seq. & T. XVII. Operum p. 41. seq. Antonii Possevini Apparatum Sacrum T. I. Maximiliani Sandæi Grammaticum profanum; Petri Canisii præf. ad selectas S. Hieronymi Epistolas; atque ne æquiores Erasmi memoriæ credas Jesuitas nostra ætate, censuram Apologiæ Erasmi a Marsolierio editæ inserram Memoriis litterariis Trevoltinis mense Junio Anni 1714. & cum confutatione solida ** recusam in memoriis litterariis

* T. I Lampadis artium Gruterianæ p. 1199.

** Conferre etiam juvabit, quæ opponuntur illi Jesuitarum invectivæ in Diario eruditorum Hagensi *Journal literaire* T. VI. p. 374. seq. & quæ Bellarmini invectivæ

rariis gallice vulgatis Auctore S.D.D.L.R.E. Hagæ Comitis Anno 1716. 8. Tomo II.

III. Non puto plerosque, Atheismum Erasmo qui objecerunt, serio & propriæ reum illius peragere voluisse, aut sibi ipsis, quod vere Atheus fuerit Erasmus, bona fide persuasisse. Sed multi sunt, qui hyperbolen locum habere putant etiam in conviciis, & qui criminationes atrocissimas, præcipue quas dictat splendida bilis, non adeo ad accuratæ veritatis & justitiæ ponderant regulas, nedum ad æquitatis vel Christianæ charitatis trutinam illas exigunt: multi eas plane, ita sunt illis adsueti, veluti alii perjuria, genus quoddam sermonis putant. Pessime quidem utrique, mihi autem ad totum hoc ab Erasmo removendum sufficit, quod non modo ipse calumniam hanc retudit, ejusque ansas omnes decussit fortissime in suis Apologiis atque Epistolis, sed etiam certissime credo, neminem sanæ mentis, eundemque veri æquique studiosum futurum, qui lectis Erasmi scriptis, vitæque ipsius universo instituto ac cursu considerato, eum fuisse Atheum aut a Christi cultu alienum Deistam, vel suspicari serio, nedum firmiter affirmare aut persuasus esse, argumentisque idoneis probare possit. Erat quidem optandum, eos, qui usque adeo facile viris præclarissimis ex levissima quaque suspicione tam atroces criminationes impingunt publice, ut illi attentius secum considerarent quam periculosum & iniquum sit, privatim etiam aliquem reum agere furti, quod probare in foro non possis: cum tamen contemtor religionis Atheus furtum & crimina quælibet si possit clam & impune facere, nulla prohibeatur causa, adeoque fure quovis longe sit detestabilior. Sed quibusdam Atheus est, quisquis non probat & amplectitur universam, quam sibi fecerunt compaginem dogmatum, totamque exædificationem opinionum etiam cum sterquiliniis omnibus domi collectis, tabernaculisque hirundinum atque araneis.

IV. Affinis Atheismo culpa, quod Petro Canisio * si fides, Erasmus *nescio quo spiritu ductus, non aliam in Ecclesiasticis fere dogmatis quam Pyrrhoniam sequi voluit Theologiam.* Hujusmodi Scepticismum video tribui ipsi a Gisb. Voetio etiam eo in loco, ubi gratiam Atheismi Erasmo facit & ab impietate absolvit T. I. disl. select. p. 207. Si quis vero Erasmi scripta

reponit pro Erasmo defendendo Jo. Rainoldus, de idololatria Rom. Ecclesiæ, p. 73. ff.

* Petrus Canisius præf. ad Epistolas selectas S. Hieronymi.

evolvat diligenter, videbit in decretis eum sibi ita constare, esseque sui similem, ut quæ uno loco affirmat, nunquam neget altero nisi aliter persuasus, quod a Pyrrhonismo longe abest. Cæterum de præcipuis capitibus Religionis Christianæ, quid sentiret, neutiquam obscure neque ambigue exposuit locis innumeris scriptorum suorum, in quibus miram concordiam observare licet. Ut autem quibusdam videretur ad Scepticos pronior, tres potissimum causæ fecerunt, ni fallor. Primum dedit scribendi ratio, qua suorum errores & abusus carpenti ac perstringenti placuit Erasmo uti. Plerumque enim veluti dubitans & quærens injicere scrupulos videtur, quoniam hoc ferre putabat aures illius ætatis facilius, ubi tamen solidis maxime argumentis confirmat res de quibus ipse quidem neutiquam dubitabat, nec volebat dubitari, verum videbat non modo dubitari a multis, sed contrarium adhuc obtinere & triumphare publico assensu eorum, quorum auctoritatem putabat esse necessariam ad obstacula illa tollenda. In illis ipsis autem dubiis non videbis eum vacillantem aut diffidentem a se, sed constantem ubique, & ad eandem caussam eundemque scopum perpetuo contendentem & collineantem. Alterum prætextum criminatoribus suppeditavit dubitatio, quam haud raro movet non de dogmatibus ipsis, quæ tenet constanter, atque ut ipsius verbis utar *dilucide*, *vivide*, *fervide* ubique profitetur, sed de argumentis, quibus illa solebant probari, vel de forma, qua efferebantur atque exponebantur in scholis. Ab adversariis autem statim dicebatur dogmata ipsa vocare in dubium, scepticorumque in morem de iis contendere, licet ille etiam atque etiam docet * ***non illum excutere gladium e manibus orthodoxi***, ***qui monet ut pro ferula sumat lanceam***, ***si velit hostem interimere***, hoc est ut solidis argumentis utatur, & loca Sacræ Scripturæ ea assumat, quæ ad rem faciunt, vereque affirmant ac demonstant id quod probare instituit. Tertia denique ac præcipua causa, quare Pyrrhonius plerisque visus Erasmus fuerit, hæc est, quod Pontificii ab eo exspectabant scilicet ut omnia probaret, quæcunque in Ecclesia Romana docerentur & agerentur; nostri ut pauciora: cum itaque neutris satisfaceret, multa reprehenderet in suis, in Ecclesia Romana tamen persisteret, vehementer etiam deinde in Lutherum ac Lutheranos inveheretur, hinc visus est, quid demum crederet ipse, secum non satis statuisse. Si tamen a primis initiis ad extrema usque actiones ejus & scripta expendas, videbis in hoc mire constitisse sibi, & hoc unice & semper egisse Erasmum, ut litteræ reflorescerent, Ecclesiæ ac pietatis sepultæ decus restauraretur, sed hoc

* Erasmus respons. ad Juvenem Gerontodidascalum. T. IX. p. 814.

fieret

fieret ſine motu aliquo graviore & ſine ſeceſſione ab Romana Eccleſia. Luthero autem noſtro fuit tanto poſtea infeſtior, quod non modo videbat rem ad motus magnos & ſeceſſionem perveniſſe, ſed quamvis falſo, perſuadebat tamen ſibi, Lutherum & Lutheri cauſam eſſe noxiam litterarum ſtudiis, atque per illum ſtare, ut Monachorum tyrannidi & inſcitiæ Chriſtianus orbis iterum ſubjiceretur. Conſtanter interim improbavit eos, qui *nihil aliud quam eſuriebant Lutherum * & elixum an aſſum*, certe perditum & extinctum volebant, atque hinc *ſtultam & pernicioſam* ** moverant *tragœdiam. Mallem*, *inquit*, *a malis bona ſecerni, quam odio quorundam, quæ mala videntur, optima perire.* *** Hoc ſemper & ubique præ ſe fert ac profitetur Eraſmus, interim vel eam ipſam ob cauſam neutri parti totus probatus aut ſatis conſtans habitus. *Germani*, inquit, † *fremunt in me, quod adverſer Luthero: & iſthic* (Romæ) *ut video, ſum Lutheranus. Ita veluti Mercurius quispiam verſatilis alius ſum hic, alius iſthic. Nec technis quorundam, nec pollicitis, nec odiis aliorum unquam perpelli potui, aut potero, alius ut ſim quam Chriſtianus. Male ſit omnibus, qui gaudent diſſidiorum vocabulis.* Teſtatur etiam ſibi perpetuo ſtudio fuiſſe, ut *Lutheri cauſam a cauſa litterarum ſejungeret*,* ne in communem ſcilicet invidiam illæ ſimul vocarentur: Cum autem per indoctorum Monachorum clamores hoc jam minus liceret, ſed litteræ ipſæ etiam ſub Lutherano nomine gravibus onerarentur odiis, tanto magis hæc res Eraſmi animum a Luthero alienavit quod per illius cauſam crederet *bonas litteras non mediocri invidia degravari*, ** usque adeo ut Eraſmus edito deinde adverſus ſe Lutheri libro commotior ad Bilibaldum Pirckheimerum plane ſcripſerit A. 1528 hæc, quæ niſi judicium ipſius tranſiiſſet in affectum, falſa eſſe facile vidiſſet & judicaturus fuiſſet ipſe: *** *Ubicunque regnat Lutheraniſmus, ibi litterarum eſt interitus.*

* Eraſmus XXV. Epiſt. II.

** Id. XXV. 9.

*** Id. p. 728 edit. Lond.

† XVII. 26. Epiſt.

* XII. 6. Epiſt.

** XVII. 18. p. 764.

*** Eraſmus XIX. 4. Epiſt. vid. Rich. Simon lettres choiſies. III. 24. p. 155. ſq. Ex eodem illud dictum tripode, ex quo Otomarus Luſcinius pronunciavit, Eraſmum eſſe nebulonem, & omnes qui legerent ipſius libros fieri nebulones, v. Jo. Ge. Schelhornii Amœnitt. literar. T. VI. p. 489.

V. Petrus Ribadeneira in vita Ignatii Lojolæ lib. I. p. 69. narrat illi *in ſtudiorum palaſtra verſanti pios quoſdam ac doctos viros conſilium dediſſe, ut Eraſmi libellum de milite Chriſtiano legeret, ut ſermonis ſcilicet elegantiam cum pietate conjungeret. Cujus conſilii Confeſſarius etiam ad reliquos auctor acceſſit. Quod cum Ignatius ſimpliciter feciſſet, obſervavit illius libelli lectione refrigeſcere in ſe Spiritum DEI, & devotionis ſenſim ardorem reſtingui. Qua re animadverſa, librum de manibus omnino abjecit & ita eſt averſatus, ut nec ipſe amplius legerit illius auctoris libros, & paſſim in ſocietate noſtra legi vetuerit.* Hæc Ribadeneira, qui ſpiritum quem appellet Dei qui lecto Eraſmi milite Chriſtiano refrigeſcat, cum Ignatio ſuo ipſe viderit: hoc ſaltim diffiteri non poteſt, *doctos & pios viros* fuiſſe qui aliter ſenſerint, atque non ſine fructu legi poſſe Eraſmi libros etiam ad pietatem alendam haud dubitaverint: quemadmodum & Florimundus Ræmundus, qui Jeſuitis ſuſpectus eſſe non poteſt, etiam eo in loco ubi ſolennia in Eraſmum probra jactavit, nihilominus ſubjungit: *quoique ce ſoit, la lecture de cet auteur priſe ſainement imprime aux cœurs la pieté & la crainte de Dieu.* lib. I. de ortu & progreſſu hæreſ. cap. VIII. p. 47. *Utcunque ſit, lectio hujus ſcriptoris ſano modo inſtituta pietatem & timorem DEI pectoribus imprimit.* Hoc certum eſt tamen, atque in eo non fefellit Lojolam ratio ſua, uti nec Carthuſianos, qui ſimiliter * Eraſmi lectionem ſibi interdixere, Eraſmi ſcriptorum lectione Enthuſiaſmum ** vel Monachorum quorundam arrogantiam, otium ac ſuperſtitionem minime ali, longe minus autem ab illis probari & commendari tyrannidem & oppreſſiones, detractationes malignas, arteſque hujuſmodi, qualibus libenter utuntur illi, quorum arcana monita longiſſime ſupergreditur etiam publica praxis. Hoc videtur veritus eſſe Lojola inprimis, hoc ejus ſequaces extimeſcunt, ſi Eraſmi lectio non diſſuaderetur modis omnibus, futurum ut hominibus facile probarent ſe confirmata ab eo claris argumentis, & expoſita evidentiſſime, per quæ nemo velit vel eſſe Lojolita, vel magnopere admirari Jeſuitam, vehementer autem optet ſtudere charitati & æquitati Chriſtianæ, atque eſſe Chriſtianus deſideret.

* Memoires de Trevoux A. 1705 Janvier p. 69. edit. Amſt.

** Memoires litteraires T. I. p. 363. *Eſt il ſurprenant que S. Ignace, qui porta le gout de la Chevalerie juſque dans la devotion, ne s' accommodat pas des traitez de pieté d' Eraſme, où on ne trouve ni enthúſiaſme, ni ſurnaturalité? la pieté y eſt toûjours à portée des plus ſimples, & degagée des illuſions des faux Myſtiques, comme des relachemens des faux Docteurs: également eloignée de la ſuperſtition & du libertinage, elle s' y fait voir telle que dans les ſources les plus pures &c.*

CAPUT

CAPUT IV.

UTRUM ERASMUS FUERIT APOSTATA ET EXCOMMUNICATUS. LIBRI EJUS INDICI EXPURGATORIO ILLATI. DE ARIANISMO ET PELAGIANISMO QUI ILLI IMPINGUNTUR. NUM MARTYR CHRISTI ESSE NOLUERIT? ET DE METICULOSITATE ERASMO OBJECTA. BREVIS ICON RELIGIONIS EJUS QUALIS APPARET EX EJUS SCRIPTIS.

I.

Jam vivo Erasmo erant in Romana Ecclesia, qui eum inter quatuor *precursores AntiChristi* computarent, ut narrat ipse XIV, 18. Epist. Postea quam hujus ineptiæ puduit, non defecerunt aliæ quibus nomen Erasmi proscinderent, malignæ criminationes. Horum prima est, fuisse *Apostatam & religiosi ordinis desertorem*, * & *excommunicatum.* Quod omne longe a veritate repulsum deprehenditur. Nam licet ætate tenera imprudens Clericis Regularibus S. Augustini nomen dare est jussus, tamen deinde auctoritate superiorum suorum, Episcopi Trajectensis quæ sola sufficiebat, & Prioris nec non Generalis, permissum ipsi est valedicere Monasterio, & in familiam Archi Episcopi Cameracensis concedere, ac denique ab ipso Pontifice Leone X. voti religione eum exsolvi contigit. Excommunicatum autem fuisse quamdiu vixit, Erasmum, adeo abest, ut non modo Leo X. sed & qui eum excepere, Pontifices benevolentia sua & humanissimis litteris dignati fuerint constanter, atque dignitatibus etiam augere & præmiis optaverint, etiam in communione Ecclesiæ Romanæ diem obierit Erasmus Basileæ quidem, ubi mors eum occupavit, sed cum maluisset ob dogmatum dissensionem alibi finire vitam, atque ideo Besontium se conferre constituisset.

* Mem. de Trevoux A. 1714. mense Jun. *Erasme est entré dans le Monde par l'Apostasie, il quitta le Monastere de Chanoines de S. Augustin, où il s' etoit consacré par les voeux de religion; la voix charitable de ses superieurs ne put jamis l' y rapeller. C' est donc un Religieux vagabond, deserteur & excommunié qu' on veut faire un Docteur de l'Eglise* &c. Vide quæ pro defendendo Erasmo jam in medium attulere auctores librorum duorum Gallicorum, Journal litteraire T. VI p. 375. & Memoires litteraires T. I p. 359 adde Erasmi ipsius epist. ad Patrem Servatium, qua se excusat, cur mutarit Monasticam vitam & habitum, 1518, 4.

II. Ab-

II. Alterum est quod diu post Erasmi mortem ejus scripta, licet ipso vivo applaudentibus Pontificibus lecta, per tot annos, ac sæpius etiam recusa, deinde illata sunt *Indici expurgatorio*, cujus religione ductus Imbonatus in Bibliotheca Latino Hebraica p. 350. Erasmum vocat *auctorem damnatæ memoriæ - - cujus opera omnia caute legenda sunt, tam multa enim insunt correctione digna, ut vix omnia expurgari possint.* Si quis autem propter videre quæ Index Hispanicus & Romanus Alexandri VII. & Concilii Tridentini in Erasmi scriptis expurgare jubent, bene multa utique, illa omnia in editione Operum Erasmi Leidensi videbit fideliter annotata Tomo X. p. 1781--1844. Ac memini me Glukstadii videre exemplum editionis operum Erasmi Basileensis, cujus singulis Tomis loca ab expurgatoribus notata aliquis ita induxerat, ut legi non possent. Similiter Georgius Richterus p. 471. Epist. testatur, se Daventriæ vidisse Erasmi Tomos ab ineptis glutinatoribus ita per omnes paginas charta fenestrata obtectos, locis istis scilicet, *in quibus acerrimi judicii scriptor temporis istius Ecclesiam & mores religiosorum notaverat.* * Non potuerunt tamen hi indices impedire, quo minus Romanæ Ecclesiæ viri doctissimi ** Erasmum suis libenter adscriberent, atque integris libris hoc etiam agerent Richardus & Marsolierius, quorum titulos supra p. 381. sq. adposui, qui melius quidem veritati, melius etiam Ecclesiæ suæ honori consuluere, quam Jesuitæ, quibus non sesqui iniqua modo sed frigida quoque calumnia audit *semihæreticus.* * Lutheri vero nostri causam duobus modis juvant, qui eum Romanæ Ecclesiæ suæ socium fuisse non diffitentur, nam in iis, in quibus cum Luthero facit, quem agnoscit magnis dotibus **

* Erasmi Scripta a Paulo IV. injecta flammis. v. Hottinger. T. IX. hist. Eccles. p. 408. a Facultate Paris. condemnata. v. Journ. des Sav. 1728. Dec. p. 34. sqq. ex Argentreo. Loca damnata vid. in Indice expurg Sotomajoris p. 256-315. Antonii Zapatæ p. 243-296. Sandovalliano p 209-285. Venetiis in Bibliotheca Dominicanor. SS. Johannis & Pauli, inter statuas ligneas hæreticorum visitur Erasmus catenis onustus, & Guilelmus de S Amore pariter alligatus, appositis dicteriis, hosce viros tanquam Lutherum & Calvinum infamantibus, teste Montfaucono p. 50. Diarii Italici. Alia vide in Amœnitt. literar T. VII. p. 110. sq. T. VIII. p. 354. sq.

** *On doit lui rendre cette justice, qu' il est demeuré toûjours ferme dans la creance orthodoxe.* Rich. Simon. T. III. Hist. Critic. N. T. p. 536.

* Mem. de Trevoux 1705. T. I. p. 69. edit. Amstelod.

** Erasmus ad notat. 233. Ed. Leid: *An lapsus sit alicubi Lutherus, non est meum pronunciare. Vir is mihi videtur magnis dotibus præditus.*

præ-

præditum, & in tot articulis, qui præcipui sunt, secum sentire, *,* plus ponderis habet ejus testimonium: in illis autem quibus diversus ab eo abit, tanto minus.

III. *Arianismi* hæresin ita improbe Erasmo imputarunt plurimi, ut *Ariasmum* etiam appellarent quidam pro Erasmo, sicut aliis, velut totus compositus ex erroribus, dictus est *Errasmus*. Atque exstat Adami Rhodii Epistola ad Adamum Koberum, Notarium Wormatiensem, qui libro Moguntiæ edito eadem fronte Lutherum, Melachthonem & Erasmum Arianismi aperte insimulavit. * Ne dicam quæ ipsi objectant Florimundus Ræmundus II. 15. 7. de orig. hæresium, Bellarminus præfat. in Controvers. de Christo, Greg. Valentia lib. I. de Trinitate c. 9. & 24. Possevinus de Atheismis hæreticorum & provocatione novorum Arianorum ad Erasmum, & VIII. 19. Bibl. select. Beza notis ad Novum fœdus, Matthæus Sladus, &c. atque ex ipsis Arianis Sandius in nucleo Hist. Eccles. p. 423. & in Anglia auctor scripti cui titulus *a brief history of the Unitarians* p. 11. Sed utut loca nonnulla, quæ adversus Arianos afferuntur, veteres aliquos secutus dubitaverit ad rem facere & solide concludere, tamen dogma ipsum Arii neutiquam probavit, sed omnem Arianæ & Macedonianæ hæreseos calumniam toties & tam conceptis verbis a se removet Erasmus in Apologiis contra Albertum Pium Carporum Principem, contra Leum, contra Stunicam, contra Beddam, contra Tyrologum, & annotans in I. Epistolam Johannis, inprimis in Apologia adversus Monachos quosdam Hispanos, professus tot locis ** *dilucide*, *vivide*, *fervide* professum se de Sancta Triade quod sancta profitetur Ecclesia, ut quibus hæc non sunt satis, illis nihil satis futurum sit. Sed videri etiam possunt, quæ adversus Matthæum Sladum scripsit Caspar Barlæus in Bogermanno elenchomeno & Matthæus Lydius in Apologia pro Erasmo, T. X. edit. Leidens. p. 1759. seq.

IV. Mirum est, quod ab Allatio p. 49. adversus Creyghtonum, Erasmum videas Reformatis accenseri, cum aliis sit *Pelagianus*: & tamen magis probatur *Jansenistis* Erasmus, qui a Pelagianismo absunt quam longissime, quam

, Contra Monachos Hispanos p. 20.

* Exstat vero Viti Molleri responsio ad libellum: testimonia de Arianismo Lutheri, Melanchthonis & Erasmi. Tub. 1610. 8.

** T. IX. Opp. p. 962. edit. Basil.

tota natio Jesuitarum. Nimirum sententiam de Gratia defensitavit, quam in Græcis Patribus invenerat, cui hodie invidiam exoso Pelagianismi nomine facere, perinde uti Augustini sententiam, quam propugnavit Lutherus, Manichæismi onerare appellatione, putidum videtur indoctumque. Cæterum in Epistolis Gudianis in cassum quæsivi Epistolam illam Mallinctoti prolixam quam habuit Gudius ὁ μακαρίτης teste celeberrimo Morhofio lib. I. Polyhist. p. 317. qua inter Erasmi ac Jesuitarum merita comparationem instituerat.

V. In Apologia adversus Beddam T. IX. p. 429. ait Erasmus, hunc scripsisse permulta tam manifestæ falsitatis, *ut etiamsi summus Pontifex ea probaret, sit appellaturus ab eo dormitante ad eundem vigilantem* Sic nec Pontificis Martyr esse voluerit, perinde ut nec Lutheri, in Spongia adversus Huttenum T. IX. p. 1365. At *Christi*, inquit, *optarim esse Martyr, si vires ipse suppeditet.* Atque alibi ait pro Christi gloria licet hominem nocentem & sceleribus opertum, tamen vel capitis adire discrimen vel emori non recusaturum. Neque tamen hoc jactanter dictum vult, sed probe memor humanæ imbecillitatis suæ, Epist. DLXXXIII. *Quid ego potuissem opitulari Luthero, si me periculi comitem fecissem, nisi ut pro uno perirent duo - - Multa quidem præclare & docuit & monuit - - Quod si omnia pie scripsisset, non tamen erat animus ob veritatem capite periclitari. Non omnes ad Martyrium satis habent roboris, vereor autem ne si quid inciderit tumultus, Petrum sim imitaturus.* *

VI. Nihil hinc est pervulgatius, quam ut timidum ac nullius animi & cassa formidine torpentem, corde pavidum, ac tantum non labris & calamo trementem alii sibi imaginentur Erasmum. Hi vellem ut accuratius constituissent non inficiandos meticulositatis limites, & facilimenta quibus ab audacia ac temeritate, quibus iterum ab officio, a prudentia, ab æquitate & pietate metus disjungitur, certis argumentis ac justo judicio fixissent. Sane is timidus est, non qui metuenda extimescit, sed qui per metum inanem patitur se deterreri ab iis, ad quæ contemnenda ab ratione & officii obligatione vocabatur. Non autem est timidus qui ignem veretur insilire, necessariis maxime præsidiis destitutus: qui non audet natare contra torrentem

* Locus hic absurde traducitur in Mem. de Trev. 1703. Octobr. p. 302. pro summa quæ cogitari possit impietate. Cæterum a Jo. Foxo in fastos Martyrum relatum Erasmum indignatur Alanus Copus Dial. VI. cap. 26.

certus

certus pereundi, non est timidus, qui non colaphum impingit cuivis obvio, etiamsi norit eum graviora vel plane capitale promeruisse supplicium: non est timidus, qui suscipere negotium, quod habet pro impio, vel cui par non est, detrectat, vel qui ut effugiat charybdin non ad scyllam allidi properat: Non est timidus etiam uti nec adulator, qui ubi sperat se blandis verbis amplius obtinere, non profitetur hostem, neque ad arma aut convicia confugit. Interest denique aliquid inter timidum & inter Heroëm. Ego quo attentius Erasmi scripta & actiones considero, multa in eo video magni animi vestigia unius præ multis millibus contemnentis pecunias, dignitates, convicia, minas, promissa, omnia susque deque æstimantis, unice celebrantis ubique & commendantis virtutem, pietatem, bona rectaque studia: vicissim errores & abusus in Papa, Principibus, Episcopis & Monachis, amicis & hostibus aperte & summa libertate * carpentis, atque in his omnibus ex symboli sui formula vere *cedentis nulli*. ** Quod vero ulterius haud processerit, non tam ex meticulositate quam ex consilio etiam atque etiam meditato se fecisse satis præ se fert ac demonstrat ubique, vel quod aliter non posse vel non debere se facere persuasus apud animum suum esset. *Monere possum*, inquit, *Cogere non possum*. Et alio in loco: *Pontifices ac Cæsares bene decernentes sequor, quod pium est, male statuentes fero, quod tutum est. Id opinor etiam bonis viris licere, si nulla sit spes profectus*. Epist. DLXXXIII. Neque metum in eo sed consilium (bonum an malum, alia quæstio est) interpretabitur, quod a Romana Ecclesia non discesserit, quisquis sexcenties ab eo in scriptis suis inculcata, atque omnia Erasmi velit sine præjudicio considerare. At, inquies, hoc ipsum ei consilium dictavit metus. Videamus. Primum non multo magis ista suspicio habet verisimilitudinis, quam quotquot ab ea discessionem fecerunt, ex ira Romanam Ecclesiam deseruisse, quod tamen constat esse falsissimum. Deinde quomodo a Romana Ecclesia Erasmus discederet, quam ut sexcentis profitetur locis, putabat cum Ecclesia Catholica consentire? Atqui tot & tantos ejus nævos, errores, abusus, superstitiones in ea videbat. Fateor, videbat, nec dissimulabat se videre, idque cum non dissimularet, ab Ecclesia tamen non ejiciebatur, sed tolerabatur. Putabat igitur non tam ipsi mala illa Ecclesiæ, quam malesanis quibusdam ejus mem-

* Erasmus XXXI. 58. Epist p. 1084.

** Erasmus in Epist. ad Melanchthonem: *Si constet ratio conscientiæ, nihil est quod metuam, quamlibet, ut isti jactant, pusillanimis.*

bris esse adscribenda, quæ ut ait Epist. DLXXII. ad Justum Jonam, *pisces bonos & malos eodem reti, & Zizania mixta tritico ferre cogitur*: interim latere in illa argentum, a quo si aufferretur rubigo, proditurum vas purissimum, * quod Pontificis, Principum & Episcoporum opera fieri peroptabat, & existimabat fieri posse, nec futurum desperabat. Quidni autem, inquis, vel tandem a Romana Ecclesia accessit ad partes Lutheri, cum spes illa decollaret magis magisque, & in Ecclesia essent tam multa, quæ probare non posset & a Luthero rectissime reprehendi agnosceret? Quasi vero Lutheri partes vicissim totæ ipsi placuissent, præcipue post professas etiam publicis scriptis inimicitias, & maledicta jactata ultro citroque; vel quasi non multa etiam ab Luthero fortissime impugnata Ecclesiæ Romanæ dogmata Erasmus constanter adhuc servasset, ut sunt de auctoritate Episcoporum, de Missa, de libero arbitrio, de cultu sanctorum, de precibus pro defunctis, aliaque. Itaque Lutheri partes habebat pro Scylla, ejus adversarios tumultuantes pro deteriore etiam Charybdi, inter quas medius incedere peroptabat. Epist. DCVIII. ad Ludovicum a Prato: *Illud video, si Scyllam hanc effugerimus, restare Charybdin, quæ semel universam Christiani populi libertatem adsorbeat, Evangelicæque doctrinæ scintillam omnem extinguat.* Maxime vero omnium abhorrebat Erasmi animus a discessione, quam ille ut bonis literis inimicam pavebat inprimis, seditionem appellabat ac tumultum, & velut nefariam factionem ac schisma unice detestabatur, ac ne metum hoc appelles, omnia perpeti potius, quam illius caput, vel pars vel reus ut esset, ab Angelo vel homine quocumque permoveri se malebat. *Ego processi usque ad littus. An ideo videor mihi contrarius, si me nolo præcipitem dare in fluctus?* inquit in Epistola ad Jo. Cæsarium XX. 24. Nec Lutherus ulterius processit initio, nec discessionem facturus fuisset a Romana Ecclesia, si illa Pontificem & Episcopos totidem Erasmos habuisset, vel si ab ea saltim perinde ut Erasmus toleratus, & non proscriptus iniquissime, hæreticique nomine condemnatus & ejectus, atque adeo per justum DEI judicium tam atroci injuria justam adversus Philistæos causam nactus fuisset. Ægyptiis autem insequentibus nec in littore patientibus Lutherum amplius consistere, is neutiquam tamen in fluctus præcipitatus ideo est, sed una cum suis populi Israelitici instar per mare ductus divinitus siccis pedibus in terram benedictam, & a jugo plusquam Ægyptio liberam, nec propterea a vere Catholica Christi Ecclesia aut Christo

* Prov. XXV. 4.

ipso

ipſo ſejunctam. Obſervans vero etiam poſtea Eraſmus diſcordiam Zwinglii, Oecolampadii & aliorum a Luthero non minus quam a Romana diſſentientium Eccleſia, etiamſi in hac paſſim videret quæ fugeret, tamen quem illa omiſſa ſequeretur non putabat ſe habere. Interim a Catholica ſe Eccleſia ac petra Chriſti neutiquam volebat nec opinabatur ſejunctum. Epiſt. DCIII. edit. novæ. *Quicquid molientur alii, me nemo divellet a petra Chriſti, nullus involvet factioni.* Et. XXXI. 59. p. 2099 edit. Lond. *Plane me ſpes ac metus deterrent ab iſtorum ſodalitio: metuo gehennam, ſi reclamante conſcientia profitear, quod reor impium eſſe: ſpero Dominum meis peccatis propitium futurum, quod ab iſtius ſponſa non defecerim, utcunque laceſſitus.* Et XIV. 13. *Quod me hortaris, ut Luthero me jungam, id facile fiet, ſi illum videro in parte Catholicæ Eccleſiæ. Non quod pronunciem illum ab hac alienum* (ſcripſit hæc Eraſmus A. 1521. diu poſt proſcriptum a Pontifice Lutherum) *neque enim meum eſt damnare quemquam. Domino ſuo ſtat ille aut cadit. Quod ſi res deveniet ad extremum tumultum, ut utroque nutet Eccleſiæ ſtatus, ego me interim in ſolida illa petra figam, donec rebus pacatis liquebit, ubi ſit Eccleſia, atque illic erit Eraſmus, ubicunque erit Evangelica pax.*

Lipſiacus Batavum dum laudat ERASMUS ERASMUM,
Tu ſtudio laudis ſuppar utrique nites.
Quis dubitet? patriæ, quæ Te deſiderat, Urbi
Quin DESIDERIUS mox celebrere novus.

Præſtantiſſimo KLEFEKERO,
Civium ornamento

l. m. q. f.
MICHAEL RICHEY,
Hiſt. & Gr. Ling. P. P.

DIS-

DISSERTATIO CRITICA
DE
HOMINIBUS ORBIS NOSTRI INCOLIS, SPECIE ET ORTU AVITO INTER SE NON DIFFERENTIBUS

QUAM
IN AUDITORIO GYMNASII HAMB.
AD D. VIII. APRIL.
PRÆSIDE

JO. ALBERTO FABRICIO
SS. THEOL. D. PROF. PUBL. ET H. T. GYMNASII RECTORE

DEFENDET PUBLICE
AUTOR RESPONDENS

VINCENTIUS RUMPF,
HAMBURGENSIS

Typis CONRADI NEUMANNI, Ampliss. Senatus, Gymnasii & Scholæ Typographi, Anno clↃ Iↄ cc XXI.

VIRO NOBILISSIMO

ET ANTIQUA FIDE ATQUE INTEGRITATE VENERANDO SENI

DOMINO

PETRO DE SPREKELSEN,

MERCATORI APUD HAMBURGENSES PRIMARIO

CELEBRATISSIMOQUE,

AVO FILIALI OBSERVANTIA PERPETUUM COLENDO

S. D.

VINCENTIUS RUMPF.

Ex quo mecum conſtitui, antequam ſtudia mea extra Patriæ limen proferrem, quid valeat ingenium, quidque profecerit, ſpecimine aliquo publico experiri, atque hanc captare occaſionem, qua Patronis, Fautoribus & Amicis animum meum conſtanti nexu devinctum

teſtarer,

testarer, Tu unus occurristi, VIR VENERANDE & CHARISSIME, cui pietatem meam & amorem atque observantiam probatam cuperem quam maxime. Post Beatissimum enim Parentem acerbo fato, eheu, mihi ereptum, quis est, cui plus quam Tibi debeam, vel qui primos ab industria mea fructus colligere majori jure possit. Quippe non modo naturæ beneficio arctissima necessitudo Tibi me conjunxit & constrinxit, verum etiam tantam tuam semper in me expertus sum benevolentiam, adeo constans usque quaque emicuit Tuus in me amor, curaque pro salute mea ac sollicitudo, ut ingratus sim oporteat, nisi libenter confitear tam ingentem beneficiorum Tuorum maximorum in me esse cumulum, ut licet nullo sanguinis vinculo Tibi essem conjunctus, tamen multiplici jam pridem & validissimo nexu obstrictum, ubique vindicare me Tibi jure Tuo posses. Igitur ita quoque existimavi pro Tua in me benevolentia non sinistre interpretaturum Te, quod animum gratum meum ac memorem testaturus publice, hasce studiorum meorum primitias Tibi consecrare, & charissimo honoratissimoque Nomini Tuo inscribere ausus sum. Majorem hinc in modum a TE peto, ut, quo me semper prosecutus fuisti, amorem velis etiam declarare in hoc, ut præsens munusculum, valde licet exiguum non asperneris, sed tanquam ex devoto atque observante in Te animo profectum serena fronte excipias. DEUM ter Opt. Max. non cessabo assiduis per CHRISTUM precibus implorare, ut qui hactenus pro summa benignitate sua vitam Tuam prosperavit, & ad hunc octogesimum secundum, quem jam agis annum Te feliciter perduxit, idem porro DEUS sit Tuus & præsidium, & in gravi ætate fir-

mum robur, ut senectus Tua sit sicut juventus Tua, atque animus Tuus, quemadmodum hactenus tranquillus & in DEO lætus semper acquiescat: ut nova semper Tibi suppeditetur materies gaudendi de prosperis successibus Tuorum, ut nihil habeas grave & molestius, quod possis de senectute Tua conqueri, ut terminum instantem fati tam tarde DEUS Tibi applicet, & tot annos Tibi addat, quantos pro sapientia ac bonitate sua novit esse e re Tua & felicitate Tuorum, quo diutius adhuc charissimo hoc decore ac præsidio suo gaudeat honoratissima familia, lætentur liberi, delectentur & congaudeant mecum nepotes cum neptibus, exultet denique ac gestiat pronepos proneptisque. Vale Ave charissime.

Hamb. X. Cal. April.
Anni cIↃ IↃcXXI.

ARGU-

ARGUMENTUM DISSERTATIONIS.

Præfatio. *Doctrinæ de Adamo, communi parente totius generis humani, veritas & usus. Quæ adversus eam ex forma & habitu tam diverso corporum humanorum objiciuntur, revocanda ad examen, & removenda.*

Caput 1. *De sententia eorum & rationibus, qui varias & diversæ originis species hominum in orbe nostro dari contendunt. Contra eos qui genus humanum æternum, & sempiternam generationum humanarum se invicem excipientium successionem somniarunt.* §. 1. *contra Julianum Imp. qui plures simul a DEO productos homines disputat.* §. 2. *De Peyrerio, & iis qui præadamitarum fabulam confutarunt* §. 3. *Theophrasti Paracelsi, Jordani Bruni & aliorum sententia, de hominum origine a diversis derivanda protoplastis* §. 4. *Celebris peregrinatoris divisio hominum in quinque diversas species* §. 5.

Caput 2. *De iis quæ falso circa formam hominum tradita sunt, & fabulis adscribenda merito videntur.* §. 2. *Blemyes capite trunci.* §. 2. *Nisitæ ternum vel quaternum oculorum, alii in humeris vel pectore vel unum in fronte oculum habentes* §. 3. *Panotii auribus totum corpus contegentibus.* §. 4. *hippopodes pedibus equinis.* §. 5. *aversis post crura plantis* &c. §. 6. *Hyacinthi Gimmæ de hominibus fabulosis diatriba, Neapoli edita* §. 7. *incuborum & succuborum dæmonum fabula & de suppositis per dæmones infantibus & de transformatione hominum in bestias, commenta rejecta.* §. 8. *Fabulæ de tigrhominibus & satiris capripedibus, nec non de Scylla, Stymphalide, Nereidibus, Sirenibus & Harpyiis quarum icones ex veteribus monumentis exhibentur.* §. 9.

Caput 3. *De iis quæ vere quidem traduntur, sed male referuntur ad homines, vel monstris humanis adscribenda sunt.*

§. 1. *Simiæ & cercopitheci pro hominibus venditati* §. 2. *De piscium monstris aliqua parte ad humanam formam accedentibus.* §. 3. *De cornutis, hermaphroditis, monstrisque humanis varii generis aliis* §. 4. 5. 6. *nil in his esse ex quo diversa ab Adamo hominum origo probari possit.* §. 5.

Caput 4. *De Gigantibus, Pygmæis & Nigritis. Providentiam Conditoris de convenienti staturæ modo hominibus sapienter prospexisse.* §. 1. *multa quæ de Gigantibus & Gigantum ossibus jactantur, accensenda fabulis :* §. 2. *Dari tamen homines staturæ consuetum naturæ modum excedentes.* §. 3. *an etiam gentes, inquiritur & de incrementi vel decrementi causis.* §. 4. *Licet etiam de pygmæis multa feruntur conficta, tamen certum esse dari nanos ac pumiliones.* §. 5. *Sed cum & longuriones illi & nani quodam materiæ aut naturæ virium excessu vel defectu generentur a parentibus etiam dissimilimis, non posse ab iis argumentum peti ad diversum ab Adamo protoplastum.* §. 6. *De habitu & colore Nigritarum & Æthiopum* §. 7. *illa differre gradibus & climati victuique deberi* §. 8. *Mira illius vis in plantas, animalia, hominum corpus animumque.* §. 9.

Caput 5. *De iis quæ a moribus & institutis humanis proficiscuntur.* §. 1. *Squalores vel colores cuti inducti. De Cingaris, Davidis Theodori Lehmanni Orbis pictus* §. 2. *induti pellibus homines habiti pro hirtis, hispidisque* §. 3. *simi propter nares in tenera ætate de industria per vim depressas.* §. 4. *unimammæ Amazones : longimammæ* &c. §. 5. *depressa capita, pedes in angustum compressi* &c. §. 6. *De Psyllis, Marsis, Tentiritis familiis effascinantium, enhydrobiis, anthropophagis.* §. 7. *Laurentii Quist de quatuor generibus mulierum dissertatio. Aboæ edita.*

Conclusio *de Antipodibus & Americanis non ad aliam quam ab Adamo referendis originem.*

PRÆ-

PRÆFATIO.

Teſtimoniis omni exceptione majoribus ac divinis conſtat, non modo unum rerum patrem eſſe, *qui homines terris dedit & ſidera cælo* (ut ait Boeth. Conſ. Philoſ. III. metro 6.) ſed & eundem DEUM ex uno Adami ſanguine totum derivaſſe humanum genus, generationes innumerabiles ac gentes longe diſſitas & lingua ac moribus multum inter ſe differentes ab illo repetiiſſe, univerſam denique, quam late patet faciem terræ, unius ejusdemque poſteris per tot ſeculorum decurſus incolendam tribuiſſe. Actor. XVII. 26. ἐποίησέ τε ἐξ ἑνὸς αἵματος πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων κατοικεῖν ἐπὶ πᾶν τὸ πρόσωπον τῆς γῆς. *Fecitque DEUS ex uno ſanguine omne genus hominum inhabitare ſuper univerſam faciem terræ.* (a) Hoc per ſacrum ſcriptorem Moyſen accuratius expoſitum ac traditum magno conſenſu pridem amplexi ſunt confirmaruntque Judæi & Chriſtiani; quorum illi

(a) ad illam antiquam generis humani ſocietatem reſpexiſſe creditur Grotio ad Matth. V. 45. qui ſe κοσμοπολίτην dixit. vid. Menagium ad Laërt. VI. 63.

hinc

hinc præter alia etiam argumentum duxerunt, quo unum quoddam & ſummum Numen eſſe intelligeretur, quod integrum genus humanum in uno comprehendere potuerit, & totum terrarum orbem per tot ſæculorum ſucceſſiones ex uno fecerit faciatque frequentari. Talmudici in Miſna Sanhedrin C. IV. §. 5. *Propterea homo ſolitarius conditus eſt, ut docereris, ſi quis animam ex Iſraele unam perdat, haberi in Scriptura, quaſi integrum mundum deſtruxiſſet: itemque qui unam ſervet, quaſi totum mundum conſervaſſet. Deinde ob pacem hominum, ne quis ſe præſtantiore patre genitum glorietur: adhæc, ne quis profanus anſam multorum Deorum aſſerendorum haberet: denique ad indicandam DEI eminentiam. Nam homo quidem uno ab annulo, licet multa, non niſi conſimilia ſigna exprimit; at ille Rex regum eminentiſſimorum, ſanctus ille benedictus omnium hominum formas a primi hominis typo expreſſit, ita tamen ut nemo unus alteri conſimilis reperiatur.* Chriſtianis vero, naturale communis ortus ac cognationis vinculum ad mutuæ charitatis officia commendanda inculcantibus, ſuffragati ſunt cum Judæis (b) etiam Ethnici. E Chriſtianis vel unus & alter citetur teſtis. E Græcis Chryſoſtomus homilia de charitate, T. VI. edit. Montfauconianæ p. 288. *ἕνα γὰρ πλάσας ὁ θεὸς ἄνθρωπον ἐξ αὐτοῦ πάντας προσέταξε γενέσθαι, ἵνα πάντες ἀλλήλους ὡς ἕνα νομίζωμεν, καὶ ἐν ἀγάπῃ πρὸς ἀλλήλους διάγειν σπουδάζωμεν.* E latinis Lactantius VI. 10. *Si ab uno homine, quem DEUS finxit, omnes orimur,*

(b) Confer Philonem de Confuſione linguar. p. 329. edit. Lipſ. ad illa: Πάντες ἐσμὲν υἱοὶ ἑνὸς ἀνθρώπου, εἰρηνικοὶ ἐσμέν.

certe

certe consanguinei sumus, & ideo maximum scelus putandum est odisse hominem vel nocentem. Hieronymus Lib. XVI. in Esaiam p. 430. Carnem tuam ne despexeris inquit Esaias LVIII. 7. ad misericordiam erga alios nos invitans homines. Omnis enim homo caro nostra est. E recentioribus Laurentius Justinianus c. 15. de charitate: *Propterea DEUS voluit unicum hominem primo formare ex quo omnes procederent, ut tanquam fratres omnes se amarent. Non sic legitur factum esse in angelis vel in brutis.* Ex alienis a Christo nomine, Marcus Antoninus Imp. lib. VII. c. 22. ἴδιον ἀνθρώπου φιλεῖν καὶ τοὺς πταίοντας, τοῦτο δὲ γίνεται ἐὰν συμπροσπίπτῃ σοι ὅτι καὶ συγγενεῖς. *Hominis est, etiam eos qui delinqunt diligere. Hoc fiet, si una succurrat tibi, esse tibi cognatos*, Idem lib. III. 4. συγγενὲς πᾶν τὸ λογικὸν, & lib. XII. c. 26. 30. & lib. II. c. 1. monet, *intercedere homini cuivis cognationem cum toto genere humano* non modo αἱματίου ἢ σπερματίου *sanguinis & seminis*, sed etiam νοῦ κοινωνίαν, *mentis communionem.* Bene etiam notatum a Theodoreto est lib. III. Therapeut. p. 52. angelos innumerabiles simul conditos a DEO, quia immortales, neque per generationum successiones multiplicandos & propagandos: homines autem binos tantum modo creatos fuisse, quoniam hi satis essent in omne tempus ad faciendum genus & implendum posteris totum orbem terrarum.

Hæc verissima res ac testatissima, saltim inter Christianos neminem qui eam in dubium vocaret, habere debebat, neque haberet utique, si quod profitentur, bona fide essent: dum autem ut videantur sapere, sacras litteras sollicitant, fuere

fuere multi qui vel aperte vel per cuniculos eam oppugnare, & argumentis variis, hypothesibusque excogitatis labefactare multis modis instituerunt. Præcipue vero reperti sunt qui ex ipsa observatione hominum quales hodie in variis terrarum locis vivunt, eorumque formæ & habitus consideratione, exposita omnium oculis, colligunt diversæ eos stirpi atque origini adscribi oportere: negantque fieri posse, ut tam dissidenti & pugnanti invicem forma mortales ab uno & communi semine omnes oriundi sint.

Cum igitur juvet, antequam Gymnasio patrio valedicam & Academias adeam, specimine aliquo publico ingenii vires experiri, facturum me operæ pretium esse existimavi, si hanc potissimum rem paullo diligentius excusserim, atque ea quæ adversus sententiam illam sacris testatam scriptoribus, omnesque quotquot terram hanc vel incolunt vel incoluere, vel ad panolethriam ejus usque inhabitaturi sunt homines, ab uno parente derivantem objiciuntur, examini brevi subjecerim, eaque inprimis quæ a diversitate formæ, qualis observatur in hominibus, opponi illi solent, ad veritatis lancem exegerim.

CAPUT

CAPUT I.

DE SENTENTIA EORUM ET RATIONIBUS, QUI VARIAS ET DIVERSÆ ORIGINIS SPECIES HOMINUM IN ORBE NOSTRO DARI CONTENDUNT.

I.

Qui Moysi non credunt, unum ex his tribus persuadere sibi de origine hominum coguntur, ut vel ab æterna memoria homines semper extitisse non dubitent, vel pluribus in locis ac temporibus enatos e terra putent ut fungos vel blitum, aut Deum variis in locis ac temporibus plures homines passim produxisse opinentur. Sed Philosophos quosdam (a) æternitatem generationum, sive sine DEO, sive quæ ab DEO emanarent, somniantes, refellit rerum natura ratioque, omnem successionem & alterationem respuens in eo quod æternum est, quoniam quod semel ab omni æternitate fuit, tale perpetuo atque in æternum manet. Humani generis vero, perinde ut terræ ipsius æternitati ita quoque refragatur omnium historiarum novitas, atque apud omnes gentes deficiens ante paucos millenarios memoria, ut credere pugnantium inter se contemtorum religionis somniis, at Moysi tam exiguo post diluvium intervallo res toto genere humano teste gestas docenti coram numerosissimo populo, & congruentes naturæ hominum rerumque, ac DEO dignas origines generis humani exponenti denegare fidem, sit non modo impium sed etiam stolidum. Eos porro qui ex terra passim & sæpius propullulasse homines ajunt, ut in Thebaide mures, (b) vel corpora homi-

(a) Vide Augustin Steuchum libro IX. de perenni Philosophia, & Censorinum capite IV. de die natali.

(b) Vide Diodorum Siculum lib. I. non longe ab initio. Bayeri Museum Sinicum T. II. p. 278. & Casp. Schotti Physicam curiosam Lib. VII. p. 843. ss. Lactantius VII. 4. Stoici putarunt, *homines in omnibus terris & agris generatos tanquam fungos.* conf. Lipsium Physiologiæ Stoicæ L. III. c. 3. De Guayanensium fabula in America Meridionali vid. Mem. de Trev. 1723. p. 454. Hi facile sibi persuadeant etiam hominem per artem posse generari, quod Paracelsi somnium explodit Kircherus T. II. Mundi subterr. p. 279.

num pro *pluvialibus edita fungis*, vel ut apud Lanctantium VIII. 7. Democritus, *vermiculorum modo effusos de terra*, *nullo auctore nullaque ratione*, affirmant, eos inquam satis confutat quod a tot millibus annorum nullus potuit ostendi locus in quo hoc factum sit, atque ubi, non dicam homines sed vel canes aut alius majoris pecoris, armenti vel ferarum genus terra produxerit aut producat. Ut res incredibilis rerumque naturæ contraria sit ab his qui hæc tradunt excogitata sine teste ac fide, ac penitus efficta citra verisimilitudinem, uti multis demonstratum est ab laudatissimo Viro Matthæo Hale libro de origine humani generis (b) quem jussu gloriosiss. Electoris Brandenburgici Friderici Wilhelmi pridem ex Anglico in vernaculum nostrum sermonem transtulit vir & ipse egregius Henricus Schmettau.

II. Superest illorum sententia, qui non unum sed multos a DEO productos volunt homines, sive simul, ut argumentis etiam quibusdam pugnat Julianus Imp. (d) sive ex intervallo & per vices. Sed Julianum audiamus: *Homo quilibet homini, velit, nolit, cognatione conjunctus est. Nam sive, ut nonnullorum fert opinio, ab uno patre unaque nos omnes matre procreati sumus, sive alia quacunque ratione hanc in lucem editi, ut nimirum confertim nos Dii produxerint*, ἀθρόως ὑποςασάντων ἡμᾶς τῶν Θεῶν, *cum mundo ipso ab initio non unum & unam, sed multos simul multasque* ἅμα τῷ κόσμῳ τῷ ἐξ ἀρχῆς ὐχ ἕνα καὶ μίαν, ἀλλὰ πολλὺς ἅμα καὶ πολλάς. *Qui enim unum & unam producere potuerunt, iidem multos etiam multasque simul potuere producere, qua ratione enim unum tunc & unam, eadem ratione multos quoque & multas. Quod posterius facile sibi persuadebit, qui morum varietatem ac legum considerare voluerit: tum vero si, quod majus ac præstantius & auctoritate præcipuum est, ad illum de Diis famam respexerit, quam ab antiquis Theurgis sacrorum administris accepimus*, εἰς τὴν τῶν Θεῶν φήμην ἡ παρα-

(c) Titulus libri Germanice versi lectuque dignissimi: der erste Anfang oder das ursprüngliche Herkommen des Menschlichen Geschlechts. Coloniæ ad Spream 1683. fol. & Uratislaviæ 1685. 8. Cardanus etiam Lib. IX. de subtilitate contendit homines ex putredine nasci posse ut minuta animalia, contra quem disputat Jul. Cæsar. Scaliger de subtilitate contra Cardanum Exercit. 193. p 627. Cardano adde Andr. Cæsalpinum Lib. V Quæst. Peripat. c. 1. De veteribus autem gentilibus conf. etiam Traité de l'Opinion T. II. p. 174. ff. Cæterum ad hanc sententiam de origine hominum videntur pleræque redire, quas recenset Censorinus de Die natali c. IV. p. 26. & Buddeus Hist. Eccles. V T. P. I. p. 77. sqq.

(d) In fragmento p. 181. 192. Operum, edit. Spanhemianæ.

δόσεως:

δέδοται διὰ τῶν ἀρχαίων ἡμῖν Θεουργῶν. Ita pronus est Christianæ religionis odio Julianus, sine ulla alicujus momenti ratione ad fidem oraculorum, quæ parum certa inter ipsos Ethnicos fide, a Philosophis paucis velut Chaldaica jactabantur, atque *ἐν ἀπῤῥήτοις* habebantur, auctoritati longe antiquiorum & longe aliis argumentis ac testibus nixorum scriptorum Mosaicorum præferendam. Quam leve enim est quod ex morum legumque varietate, quæ inter homines observatur, concludit unum non potuisse esse illorum parentem sed multos & multas. Quam diversi fuerunt mores Caini statim & Abelis primorum fratrum, quam longe dissitis Cham & cæteri Noachi liberi, liberi item Isaaci Esavus & Jacobus legibus vixerunt, ne alia in præsenti consutandis Juliani argumentis congeram. Sed arcanum ipsum potius a Theurgis acceptum, quod Mosaicæ fidei Julianus tam libenter præfert, auscultemus. *Nimirum quo tempore Jupiter ordinabat omnia, σταγόνας αἵματος ἱεροῦ, sacri sanguinis guttas decidisse, e quibus genus humanum pullulavit. Ita ergo propinqui sumus omnes invicem, si quidem ex uno & una & ex unico hominum pari progeniti omnes: sive multi sunt & multa a quibus sumus editi, ut Dii testantur, & ex rerum ipsarum testificatione credere fas est, sane universi originem trahimus a Diis.* (e) *Quod autem plures simul homines extitisse rebus ipsis & factis approbetur, accuratius id alias ostendetur. Hoc autem loco satis erit breviter illud animadvertere: siquidem a duobus tantummodo geniti essent omnes, neque leges adeo varias & discrepantes futuras fuisse, neque totum alioqui terrarum orbem ab uno duntaxat impleri potuisse, tametsi plures una fœtura mulieres ipsis parerent, ut in suillo genere cernimus. Enim vero passim per omnes terras, annuentibus Diis eodem modo, quo unum & unam volunt aliqui, plures simul in lucem homines extiterunt auctoribus generis Diis attributi, γενεάρχαις Θεοῖς ἀποκληρωθέντες, qui acceptis ante ævum a Demiurgo sive Conditore animabus eos produxere. οἱ δὲ προήγαγον αὐτοὺς ἀπὸ τοῦ Δημιουργοῦ τὰς ψυχὰς παραλαμβάνοντες ἐξ αἰῶνος.* Ubi accuratius hoc in aliis scriptis Julianus probatum dederit, in iis quæ exstant, fictum haud memini: at enim argumentum quod adjungit depromtum ex eo, quod totus orbis terrarum ab uno repleri pari hominum non potuerit, prorsus imbelle apparebit illi, qui vel primorum hominum longævitatem cogitaverit, & ex fœcunditate mediocri etiam, intra aliquot sæculorum spatium noverit proveniens in-

(e) Ita vertendus his locus, & in Græco legendum *εἰ πολλοὶ καὶ πολλαί: καθάπερ οἱ Θεοὶ φασί,* ut attentus lector facile agnoscet.

crementum multitudinis admirandum & incredibile; tum ei, qui monumenta historiarum consuluerit & migrationes notaverit gentium, occupatasque alias ex aliis regiones & habitatoribus demum refertas interjecto multo tempore; multasque nostras terras amplasque insulas hominibus incolis cognoverit etiamnum destitutas, quas nullas reperiri unquam vel usquam oportuisset, si singulis locis ac regionibus sui statim coloni homines a DEO conditore fuissent concreati.

III. Avorum nostrorum memoria *PraAdamitas* in theatrum producere ausus est Isaacus Peyrerius, (f) qui scripto duplici Anno 1655. in vulgus edito, argumentis multis etiam e sacro Codice detortis conatus est suadere rem tantum non omnibus Judæis & Christianis, quotquot a bis vel termillenis annis scriptores sacros evolverunt, ante eum inauditam & incredibilem, nec minus divinis litteris adversam, quam historicorum nullorum monumentis fide dignis aut rationibus nullis colorandam. Hic ipse libro suo dignum & convenientem titulum voluit inscribere, *somnium* nobilis Aquitani, ut narrat Claudius Sarravius p. 74. Epist. Ipse etiam deinde, sive sponte & ex animi sententia, sive secus atque ut ajunt coactus; publice certe palinodiam cecinit scriptumque suum ejuravit in Epistola ad Philotimum edita Parisiis 1658. 4. & eodem anno Francofurti recusa. Scriptores qui somnium illud non exploserunt modo, sed firmis etiam represserunt argumentis & rationibus (libet enim hac data occasione syllabum a Clariss. Lipenio in Bibl. Theologica exhibitum supplere & emendare) ex nostris quidem sunt Theologi celeberrimi *Jo. Conradus Danhauerus* in libro qui inscribitur Præadamita.

(f) Conf. Jo Jac. Schudt Jüdische Merckwürdigkeiten p. 539. sq. Unsch. Nachr. 1703. p. 825. 1704. p. 584. Origenis sententiam, alium hominem ad imaginem DEI, alium ex limo terræ conditum fuisse, Huetius in notis ad Origenem p. 63. ad opinionem de Præadamitis trahit. Sed Origenes videtur mihi corpus distinguere ab anima, illam priorem creatam non dubitans. vide Origeniana p. 92. sq. Ceterum nuper A. 1732. Londini anglice prodiit liber sub tit. Coadamitæ, or an essay to prove the two following paradoxes viz. 1 that there were other Men created at the same time with Adam: 2 that the Angels did not fall. Vide Tubingsches Gelehrt. Journal T. I. A. 1734. p. 114 ff. Meminit similis sententiæ Auctor libri Cosri. P. I. § 61. 62. & Maimonides in Moreh Nebuchim, quam tamen ipsi non probant. Unde falso de Judæorum consensu gloriatus est Peyrerius. Totum Systema Præadamitismi in Compendio exhibet Jurieux Hist. Critique des Dogmes &c. P. I. c. 25.

utis,

Utis, sive fabula primorum hominum ante Adamum conditorum explosa. Argentor. 1656. 8. *Jo. Micralius* in monstrosa foeditate opinionis de praeadamitis, Stetin. 1656, 4. *Mich. Cobabus* in dispp. ad Cap. V. ad Rom. V. adversus praeadamitas, Rostoch. 1656. 4. *Jo Henricus Ursinus* in novo Prometheo praeadamitarum plaste relegato. Francof. 1656. 12. *Sam. Schelwigius* diss. de praeadamitis Helmst 1656. 4. Amst. 1656. 12. & Ultraject. 1656. 12. *Barthol. Goldbach* in Oratione Regiomonti habita, & in diss. quam A. 1682. respondente Mich. Hoynovio defendit de controversia, utrum ante Adamum alii fuerint homines. *Henr. Christoph. Engelke* in examine Praeadamitismi recens incrustati, quod praeside B. D. *Joanne Fecht*, edidit Rostoch. 1698. 1707. 4. *D. Abraham Calovius* T. 3. System. p. 1049 - 1074. *Jo. Andr. Quenstadius* T. 1. p. 513-516. *Zach. Grapius* fascic. Controvers. exotic. Loc. V. errore 2. & Theologia recens controversa continuata, cap. 4. qu. 1. p. 100. seq. *Jo. Hulsemannus* Opp. postum. p. 1155. *Justus Christophorus Schomerus* Colleg. controversiar. noviss. c. V. §. 5. *Jo. Müllerus* in atheismo devicto p. 171. *Jo. Lassenius* in Atheismo devicto appendic. qu. 1. *Frid. Bechmannus* Theolog. polemic. Loc. controvers. 6. &c. Adde *Conr. Dietericum* Antiquitatt. Bibl. T. I. p. 76. sqq. *Andr. Caroli*, in Memorabilibus Saeculi XVIII. T. II. p. 122. sqq. *Joach. Hildebrand* Theologiae Dogmaticae p. 152. sqq. *Dan. Hartnaccium* in Continuat. Hist. Eccles. Micraelianae p. 2186. sqq. *Nic. Ridemannum* in Syntagmate Theologico, Rost. 1659. 4. & *Jul. Ed. Tiemannum*, Schoeningensem, in Pentade Diss. stipendii Velthemiani, cum praef. Jo. Andr. Schmidii Helmst. 1716. 4.

Ex Reformatis *Antonius Hulsius* in non ente praeadamitico, Lugd. Bat. 1656. 12. *Sam Maresius* in refutatione fabulae praeadamiticae, Groning. 1656. 4. *Gregorius Stannarius* in fasciculo dispp. Cassel. 1665. p. 115. seq. Disp. contra praeadamitas: *Guil. Saldenus* in Otiis divinis lib. I. Exerc. V. *Frid. Spanheimius* filius diss. de statu instituto primi hominis, T. 3. Opp. p. 1248. seq. *Matthaus Hale* de origine generis humani p. 666. seq. *Is. Vossius* de LXX. Interpretibus p. 281. *Joanes Pythius* responsione exetastica ad tractatum, cui titulus praeadamitae. Lugd. Bat. 1656. 12. Adde *Franc. Turretinum* Institutt. Theologiae elenchticae T. I. p. 503. sqq. *Jo. Henr. Heideggerum* Hist. Patriarch. P. I. Exerc. 4. *Franc. Burmannum* Synopsi Theol. T. I. p. 314.

Nec nostratibus adscribendus nec Reformatis *Paulus Felgenhauer* in der Prüfung über das Lateinische Buch / praeadamitae. Amst. 1659. 12.

Ex Romanæ denique Ecclesiæ sociis *Eusebius Romanus* sive Philippus le Prieur animadversionibus in librum de Præadamitis, Paris. 1656. 12. 1658. 8. *Hieron Bignonius*, *Ismael Bullialdus* & *Jo. Launojus* in Epistolis J. H. Ursini libro supra memorato subjunctis, *Natalis Alexander* in Historia Ecclesiastica Vet. Test. T. 1. diss. 3. p. 57 - 66. *Richardus Simon* in Epistolis selectis Gallice editis T. 2. Epist. 1. 3. 4. Adde *Jo. Bapt. Morinum* Astrologiæ Gallicæ. Lib. II. c. 35. & *Math. Petidier* Diss. Historico-Critic. in S. Scripturam. Paris 1699. 4. p. 120. sqq.

De Peyrerio ipso cui volupe erit consulet præter Simonem quem modo laudavi, Guil. Patinum T. 1. Epist. p. 454. Bælii Lexicon quod quartum jam & longe locupletius lucem vidit, in *Peirere*: D. Theoph. Spizelium in infelici literato p. 827. seq. Tho. Crenium notis ad D. Ægid. Strauchii diss. de epocha mundi conditi T. 2. fascis exercitatt. p. 8. seq. Tho. Bangium in Cœlo Orientis p. 134.

IV. Sed eos postremo loco in medium afferre placet, qui varia forma hominum, corporumque habitu diverso permoti, vel regionum propter vastissimum pelagus primis temporibus incommeabilium distantia adducti negant fieri posse ut ab uno & communi omnes parente deriventur: sed cum Nigritis (g) sibi persuadent, saltim duplices primum homines a DEO conditos, nigros & albos: vel cum Theophrasto Paracelso (h) duplicem initio rerum ex terra productum a DEO Adamum, Asiaticum & Americanum: ne dicam quos præterea idem Paracelsus (i) & ex eo Comes de Gabalis com-

(g) Guil. Bosmann voyage de Guinée X. lettre p. 149. *les autres Negres croyent que Dieu a creé au commencement aussi bien des hommes noirs que des blancs pour peupler ensemble le monde - - ils disent que Dieu ayant creé ces deux especes des hommes, leur proposa deux dons, savoir ou de posseder l' or, ou de savoir lire & écrire: & comme Dieu donna le choix aux Noirs, ils choisissent or, & laisserent aux Blancs la connoissance des lettres, ce que Dieu leur accorda, mais qu'etant irrité de cette convoitise, qu'ils avoient pour l' or, il resolut meme en temps que les Blancs domineroient éternellement sur eux, & qu'ils seroient obligez de leur servir d'eslaves.*

(h) Theophr. Paracelsus de Philos. occulta lib. 1. c. 1. T. 10. edit. Francof. 1603. 4. Coringius de Medicina Hermetica p. 349.

(i) Paracelsus libro Philosophiæ de Nymphis, &c. & de homunculis T. 9. Gisb. Voetius T. 1. diss. select. p. 738. Guil Saldenus Otior. Theolog. p. 65. Jo. Hornungus in cista Medica p. 191. sqq. Ubi de Nympha Marpurgensi, Wasser-Nixe.

mini-

miniscitur genios potius quam homines, & collocatos ut ait ille in terræ visceribus Pygmæos sive Koboldos, & Gnomes, in aquis Nymphas & Undenas, in aëre Sylvos & Melusinas, in igne Vulcanos & Salamandras. Jordanus Brunus Nolanus (k) libro VII. de universo & immenso p. 622. *Propheticum est illud & populi cujusdam* (Judaici) *celebritas, quod omnia hominum genera ad unum primum genitorem referantur, vel ad tres ut ex Ebræorum monumentis accipimus* (respicit ad Apocryphum librum quartum Esdræ VI. 49. seq. qui tamen si attente inspiciatur longe aliud docet (l) & Bruno contrarius est) *quorum quidam solum optimum genus, id est Judæorum ad unum protoplastem referunt, & reliquas gentes ad duos priores, qui biduo ante creati sunt. Chinensium religio recens compertorum tres alios nominis protoplastes numerat ab annis viginti millibus.* (m) *Æthiopum genus* (n) *ad illum protoplastem nemo sani judicii referet. Porro sicut omnis terra producit omnia animalium genera* (o) *ut in insulis patet inaccessis, neque enim fuit unus primus lupus & leo & bos a quo sunt omnes leones, lupi & boves geniti, & ad insulas omnes transmissi, sed quaque ex parte tellus a principio dedit omnia. Factum porro est ut quædam aliis in locis manserint, quædam vero absumta sint, ut in*

(k) Confer Clariss. Heumanni Acta philosophor. XI. p. 798. 820.

(l) Verba pseudo Esdræ sunt: *Et tunc conservasti duas animas, nomen uni vocasti Henoch* (vitiose pro Behemoth) *& nomen secundæ vocasti Leviathan. Sexto autem die imperasti terræ ut crearet coram te jumenta & bestias & reptilia, & super his Adam, quem constituisti ducem super omnibus factis quæ fecisti, & ex eo educimur nos omnes, quemque elegisti populus.* Fabula Judaica de vægrandibus bestiis Behemoth & Leviathan, cujus vestigium in Targum Jonathan Genes. I. 21. & in secundo Targum Esther III. 7. decantata a multis ex traditione Talmudicorum in Bava Bathra cap. 5. nihil autem ad hominum genus, cum quibus habere aliquid illis commune, ne Judæis quidem in mentem venit vel per somnium. Et fortasse totum hoc de Behemoth & Leviathan, libro etiam quarto Esdræ assutum a recentiore manu, quoniam totum in Arabica versione desideratur.

(m) Illam Chinensium (perinde ut Ægyptiorum & aliarum gentium) tam remotam a nostra memoria antiquitatem falso ac temere jactari, docet ne alios jam memorem Isaacus Jaquelotus p. 257. seq. diss. sur l'existence de Dieu.

(n) De Æthiopibus infra capite IV.

(o) Nec verum hoc est de majoribus animalibus, quod ubique & sponte proveniant: neque exploratum quod in insulas, ubi reperiuntur, licet desertas hodie ab hominibus, non potuerint olim transferri.

Anglia

Anglia lupi & vulpes & ursi propter loci culturam, in quibusdam aliis insulis homines propter vim potentiorum bestiarum vel defectum nutriminis. Idem lib. 1. de monade numero & figura p. 39.

Cœlorum terna est regio, terna aëris, unda
Discrimen ternum, telluris terna potestas,
Et ternæ genti ternus datus est Patriarcha.
Cum peperit Tellus genitrix animalia primum
Ennoch, Leviathan, & quorum est tertius Adam
Maxima Judæa ut credebat portio gentis,
Cui erat ex uno tantum generatio sancta.

& lib, 7. p. 620.

Adde etiam, quando e medio auferet hæc cataclysmus,
Præbebit natura parens perfecta animantum
Absque ministerio coitus. Quia multicolores
Sunt hominum species, nec enim generatio nigra
Æthiopum, & qualem producit America fulva
Udaque Neptuni vivens occulta sub antris
Pygmæique jugis ducentes secula clausis
Cives venarum telluris, quique mineræ
Adstant custodes, atque austri monstra Gigantes,
Progeniem referunt similem, primique parentis
Unius vires cunctorum progenitrices.
Qualibet ergo initum rebus dabit insula passim,
Formatum quamvis quidque haud servetur ubique,
Namque alias alibi species victoria servat.

V. In Miscellaneis Leibnitianis, quæ sub otii Hanoverani nomine nuper vulgavit nobilissimus Vir Jo. Fridericus Fellerus p. 158. notatur ad Abbatem de la Chambre missam esse a celebri peregrinatore divisionem hominum in *quinque species* sive generationes (*especes ou races*) quæ sine autoris nomine leguntur Gallice descriptæ in Ephemeridibus Parisiensibus Anni MDCLXXXIV. 24. April.

24. April. (p) PRIMA *continet homines Europæ, parte Moscovia excepta. His addo litus Africæ a Nilo ad columnas Herculis, Imperium Turcicum, Persicum, Mogolis, Golcondam, Visapur, Maldivas, partem regionum Arakan, Pegu, Siam, Sumatra, Bantam, Borneo. Equidem non parum differre Indos a nostris, negari non potest, non satis tamen ut speciem faciat differentem.* SECUNDA *species est Africanorum; Grandia labra,* (naso scaffo, o simo) *paucissimis labia mediocria, nasusque aquilinus. Nigror non a sole, sed natura, nam & transplantati retinent, nisi conjugia misceantur. Cutis levis, polita, mollis, & velut oleosa, exceptis locis ubi sole velut torrentur. Barbæ vix tres quatuorve pili, capilli lanæ similes, ut canum, quos barbettos dicimus. Dentes ebore candidiores, lingua coralli rubedine.* TERTIA *species implet partem regnorum Arakan, Siam, Sumatra, Borneo, tum Philippinas vel Manillas, Japoniam, Pegu, Tunkinum, Cocinciuam, Chinam, Tartariam intra Chinam, Gangem, & Moscoviam sitam, Usbek, Turkestan, Zagetai partem Moscici Imperii; Tartaros Europæos, & Turcomannos versus Euphratem & Aleppum habitantes. His omnibus color albus, sed humeri largi, facies plana,* (viso piatto) *nasus exiguus* (picciolo & schiacciato) *oculi exigui & porcini,* (lungi & incavati) *& pauci in barba pili.* QUARTA est *Lapponum species.* Sono questi piccoli scorcii della natura, *crura crassa, humeri largi, collum breve, facies sylvestris, & quasi ursi.* QUINTA *Americani fere colore olivæ, & facies a nostris diversa plane ratione comata.* (q) *Cafres ad bonæ spei caput multum ab aliis diversi, macilenti, sicci, exigui, deformes, veloces, avidi cibi crudi & cadaverum, ut etiam intestina animalium collo circumligent, quo ad libitum deliciis istis fruantur. Etiam aquam marinam bibunt, si alia desit. Lingua tam singularis, ut impossibile sit Europæo discere, & videri esse Galli Indici vocem Hollandi dicunt.* Hæc sine dubio respexit illustris Leibnitius, quando in iisdem Miscellaneis p. 37. distinctionis hujuscemodi facit mentionem, sed diserte

(p) p. 148. seq. edit. Amst. Omitto quæ in Baronis de La Hontan Itinerario in Americam Septentrionalem T. I. epist. 24. p. 347. sqq. Nouv. de la Rep. des Lett. 1703. p. 85. sqq. ubi Jacobi Bernardi responsio. Stuckius ad Arriani Periplum maris Erythræi p. 105. memorat homines λευκόχροας, σιμοὺς, κολοβοὺς, πλατεῖς. &c.

(q) Cranium Americani septentrionalis examinatur in Memoires de l'Academie des Sciences A. 1722. p. 445. sq. Journ. des Sav. 1726. p. 497. sq. Cæterum vide de una origine Jo. Woodwardi Epistolam de originibus Americanorum. New Memoires of lit. T. IV. p. 315.

ſimul monet, neutiquam eam impedire, quo minus omnes iſti, differenti licet forma homines, ab una ſtirpe & origine proficiſcantur. *Je me ſouviens d'avoir lû quelque part, mais je ne ſaurois le retrouver, qu'un certain voyageur avoit partagé les hommes en certains tribus, races ou claſſes. Il donnoit une race particuliere aux Lappons & Samojedes, une autre aux Chinois & peuples voiſins, une autre aux Cafres ou Hotentots. En Amerique encore il y a une difference merveilleuſe entre les Galibis ou Caribes, qui ont beaucoup de valeur & meme de l'eſprit, & entre ceux du Paraquay, qui ſemblent étre des enfans ou des écoliers toute leur vie. Cela n'empeche pas, que tous les hommes, qui habitent ce globe, ne ſoient tous d'une meme race, qui a été alteré par les differens climats, comme nous voyons que les bétes & les plantes changent le naturel, & deviennent meilleures, ou degenerent.*

CAPUT II.

DE IIS QUÆ FALSO CIRCA FORMAM HOMINUM TRADITA SUNT, ET FABULIS ADSCRIBENDA MERITO VIDENTUR: UBI ETIAM DE NATIS INCUBARUM DÆMONUM, NEC NON DE TIGRHOMINIBUS ET SIRENIBUS, SIMILIBUSQUE INCREDIBILIBUS NUGIS.

I.

Ut paullo diſtinctius totum hoc argumentum tractetur, obſervare licet, ea quæ a forma externa hominum, communi ex Adamo origini objiciuntur, quadruplicis eſſe generis, atque ideo ut ad ea reſpondeatur merito ſeparari invicem ac diſtingui debere: nam alia fabuloſa prorſus ſunt & commentitia, ut quæ præſenti capite perſequar: alia vera quidem, ſed vel non pertinentia ad homines, aut monſtroſa & a communi naturæ uſu abhorrentia, quæ tamen ortui communi ex Adamo opponi non poſſunt, de quibus capite proximo. Alia ſive magnam ſive parvam ratione ſtaturæ vel coloris aut habitus corporum humanorum differentiam præ ſe ferunt, ſed climati & nutritioni debentur potius quam diverſæ ab alio protoplaſto origini: de quibus capite quarto. Alia denique a moribus & inſtitutis humanis proficiſcuntur, ut capite quinto demonſtrabo.

II. Blemyas primo loco referam, barbarum populum ut ajunt Africæ, quos ex Melæ lib. 1. c. 8. Plinio lib. 5. c. 8. Solino c. 44. narrant capita nulla habere,

habere, ore & oculis pectori affixis; quibus suffragatur sermo 37. S. Augustino suppositus ad fratres in eremo: *Ecce ego jam Episcopus Hipponensis eram, & cum quibusdam servis Christi ad Æthiopiam perrexi, ut eis sanctum Christi Evangelium prædicarem, & vidimus ibi multos homines ac mulieres capita non habentes, sed oculos grossos fixos in pectore, cetera membra æqualia nobis habentes - - vidimus & in inferioribus partibus Æthiopiæ homines unum oculum tantum in fronte habentes, quorum sacerdotes a conversationibus hominum fugiebant* &c. Sed genuinus Augustinus lib. XVI. de Civitate DEI c. 8. non ipsos se vidisse, sed tantum in gentium historia memoratos, & in musivo opere Carthagine pictos refert, quo loco alia simul fabulosa hominum commemorat genera. Thomas de Pinedo ad Stephanum Byz. p. 169. *Hos de Blemyis puerorum deliramentum totis viribus intendit probare amicus noster D. Josephus Antonius Gonsalus de Salas in suis eruditis ad Mela lib. 1. c. 8. illustrationibus, quas lingua Hispanica scripsit, ut & hominum in lupos metamorphosin, ad ejusdem Melæ lib. 2. c. 1. a quibus affaniis eum nunquam potui divellere, ne eruditis risum tolleret: ego certe non poteram risum tenere, quando ille in suo museo hujusmodi paradoxa mihi referebat.* Vopiscus in Probo c. 17. *Blemyas etiam subegit, quorum captivos Romam transmisit, qui mirabilem sui visum stupente populo Romano præbuerunt.* Quid vero mirati in illis Romani fuerint, non addit, & sunt qui dictos volunt sine capite, quod sine cerebro ac sensu forent, ut ad Plinium notat Harduinus T. 1. p. 549. vel quod brevi collo, eminentibus humeris, capite carere viderentur. (q)

III. Nisicastes & Nisitas ternum & quaternum oculorum viros in eadem Africa maritimis Æthiopibus vicinos, ex Plinii VI. 30. novimus sic dictos *non quia sic sint, sed quia sagittis præcipua contemplatione utantur*, sive ut Solinus c. 30. *quod & vident plurimum, & manifestissime destinant jactus sagittarum.* Similiter fortasse, quod eodem loco Plinius Nigrorum Regem ait unum oculum habere in fronte, suspicari possumus ductum ex eo, quod insigni gemma frontem nigri hominis coruscare viderunt. Quos vero sine cervice oculos habere in humeris, opere in musivo Carthagine conspexit Augustinus, simile commentum esse res arguit. Cyclopas qui unum in fronte

(r) vid. Joseph Franc. Lafitean S. J. Meurs des Sauvages T. I. p. 62. sqq. 67. sq. T. II. p. 19 sqq. conf. & Marci Mappi Hist. Medicam de Acephalis. Argentin. 1687. 4. vid. Nouv. Rep. lettres 1687. p. 1064.

habeant oculum, & Arimaſpeis (s) carminibus ab Ariſtea Proconnenſio quondam celebrati, & Herodoto, Straboni, aliisque ubi de Scythis loquuntur memorati ſunt, in ultimo ſeptemtrione collocat Adamus Bremenſis, quod inde factum ſuſpicatur Jo. Scheferus in Lapponia c. 17. p. 209. quod in Lapponibus pelle undique tectis nihil deprehendi potuerit nudum præter foramen in pileo per quod proſpectabant, cætera hirſuta omnia. Mureto autem XII. 8. Var. lectt. μόνωπες ſeu Arimaſpi dicti videntur, qui unum oculum claudebant jaculantes. (t)

IV. *Panotii* dicti veluti qui toti aures ſint, Straboni ἐνωτόκοιτοι, qui auribus ſuis involuti dormiant, Tzezæ ob eandem rationem ὠτοκλῖνοι, de quibus Iſidorus XI, 3. Etymolog. Salmaſ. p. 219. b. ad Solin. Happelius T. IV. p. 68. Relar. cur. & Rabanus Maurus lib. VII. de univerſo c. 7. T. 1. Opp. p. 122. *Panotios apud Scythiam eſſe ferunt tam diffuſa magnitudine aurium, ut omne corpus contegant.* In Plinio IV. 13. & Solino c. 13. *Faneſii* His addes quod in Geographia Nubienſi Climat. VI. p. 9. traditur *habitatores Magog terræ eſſe omnes breviſſimæ ſtaturæ, ita ut viri illorum non excedant menſuram trium palmarum, neque ſimiliter mulieres, eſſeque omnes quam maxima quaſi lanuginis copia opertos, habentes aures magnas, rotundas & pendulas.* Per habitatores Magog terræ, Lappones intelligi perſuaſit ſibi Olaus Rudbeckius parte III. Atlanticæ cap. 10. & Lapponibus optime convenire parvam quam illis tribuit, licet nimium ultra veritatem imminutam breviorem ſtaturam, hirſutumque ſive lanugine coopertum corpus, contra frigoris vehementiam contectum pellibus: (u) De auribus autem audiendus Jo. Esbergius Rudbeckio

(s) Herodotus IV. ἄριμα γὰρ ἓν καλέουσι Σκύθαι, σποῦ δὲ τὸν ὀφθαλμόν. Confer Petrum Petitum de Anthropophagis c. 7. pag. 29. ſeq.

(t) conf. & Dacerium ad Horat. L. I. Od. IV. 7. T. I. p. 90. De Lapponibus conſule Happelii Relatt. curioſ. T. II. p. 81. ſq. Beyerlinck in voce *oculus* p. 38. b. Arimaſpas unoculorum gentem pro fabula habet Herodotus. III. 116.

(u) Eſavus omnino villoſus Gen. XXV. 25. v. Scheuchzeri Phyſica ſacra tab. LXXXIV. Hanno autem memorat agreſtes homines δέρματα θήρεια ἐνημμένους, & alibi mulieres δασείας τοῖς σώμασιν. Sic Orion totus undique pilis obſitum cum gladio, ap. Jul. Cæſ. Capaccium Antiquitt. Neap. c. XV. p. 126 T. IX. Theſauri Italiæ. P. II. Eodem pertinere putem, quod de Nervis populo Scythico (a quibus Nerva Livoniæ nomen habere videbatur Phil. Melanchthoni) tradit Herodotus IV. 105. eos quotannis (hiemis tempore nimirum pellibus lupinis

ſuffra-

pag. 428.



ſuffragatus diſſ. de pygmæis, edita Upſaliæ 1703. 8. *Satis conſtat eos auribus aliorum hominum ſimilibus gaudere, verum quod iis longiores adſcripſere, inde eſt, quod Lappones tempeſtate biemis, pileis, ex quibus longæ ab utraque parte laciniæ occurrunt, utantur. Quidam etiam pelliceum Lapponicum,* Lappmudd, *ſupra caput adducunt, & detractis brachiis, manicas pendulas faciunt; bas aures crediderunt, partim ob ignorantiam, partim ob voluptatem. Adpoſita figura a beato Rudbeckio petita hoc ſatis clare oſtendit.*

V. Apud Meſam III. 6. Plinium IV. 13. & Solinum c. 19. memorantur inſulæ, in quibus homines naſcantur, hippopodes appellati, ut credibile eſt, non quia pedibus equinis ſint, ſed propter celeritatem. S. Auguſtinus XVI. 8. de Civitate DEI: *Item ferunt eſſe gentem, ubi ſingula crura in pedibus habent, nec poplitem flectunt, & ſunt mirabilis celeritatis, quos ſciapodas vocant, quod per æſtum in terra jacentes reſupini umbra ſe pedum protegant.*

VI. Longum ſit perſequi alias gentes fabuloſas hominum ὀπισθοδακτύλων averſis poſt crura plantis, & monoculorum atque pedes latos habentium inſtar anſerum (u) & ab æſtu umbra ſe pedum protegentium, tum aſtomorum ſine ore & ex ſolo viventium olfactu, aliasque quæ referuntur a Plinio VII. 2. Gellio IX. 4. Solino c. 52. Iſidoro Hiſpalenſi XI. 2. Originum, Rabano Mauro lib. VII. de univerſo c. 7. & de quibus recte S. Auguſtinus XVI. 8. de

indutos) lupos fieri, deinde ad hominum iterum ſpeciem formamque reverti. De Satyris & gentibus caudatis fabuloſis If. Schoockius Prof. Francof. ad Oderam Libro I. hiſtorico-critico phyſico c. V. & VI. Francof. ad Oder. 1680. 4. Pauſanias in Atticis p. 55. Satyridum inſularum incolas deſcribit πυῤῥοὺς καὶ ἵππων οὐ πολὺ μείους ἔχειν ἐπὶ τοῖς ἰσχίοις οὐρὰς, *rufos eſſe. & caudas baud multo equinis minores infra clunes babere.* Sed erroris hujus originem detegit Lafiteau mœurs des ſauvages Americains. T. I. p. 31. ſq. *Les Caribes & les autres ſauvages Americains ſont generalement couverts de peaux de bêtes ſauvages, dont ils laiſſens pendre les pates de derriere & la queüe ſur leurs dos. Les Caribes & les peuples du Continent ſe rocoüent, c'eſt a dire, ſe peignent en rouge: les premiers ont la chair rougeatre, ce qui eſt en partie l'effet du climat.* Alia ratio eſt hominis hiſpidi nati in Braſilia ex Babuino ſive majore ſimia & muliere. conf. Gemelli Carreri Voyage autour du Monde. T. III. p. 152.

(x) Cteſias apud Harpocrationem in σκιάποδες, Megaſthenes apud Strabon lib. 2. pag. 70.

C. D. *Sed omnia genera hominum quæ dicuntur, esse credere non est necesse.* Illas iconibus satis ridiculis expressas videre licet in Hartmanni Schedelii Chronico & in Physica curiosa Caspari Schotti: sed fabulis pridem adscripsit ante Strabonem lib. 2. p. 70. Apollodorus apud Tzetzem Chil. VII. vers. 761. seq.

ἡμίκυνες, μακρόκρανοι, καὶ οἱ πυγμαῖοι πλάσμα,
ὥσπερ οἱ στεγανόποδες, καὶ οἱ στερνόφθαλμοι δὲ
αὐτοί τε κυνοκέφαλοι μετὰ τῶν μονομμάτων
μύθων τε ἱμαντόποδες καὶ ἱμαντοσκελεῖς δὲ
μονοτοκῆται, ἄῤῥινες, καὶ ἄστομοι ὁμοίως,
καὶ οἱ ὀπισθοδάκτυλοι καὶ οἱ ἀγελαστοῦντες.

(y) Minucius Felix c. 20. p. 184. sq. edit. Gronov. *Temere credita monstruosa miracula, quæ si essent facta, fierent; quia fieri non possunt, nec facta sunt.* In Justi Godofredi Rabeneri amœnitt. p. 53. Herodoti monstra defenduntur testimoniis hodœporicorum recentium, Meriani, Schmiedelii &c. conf. & Pictorii in Lib VII. hist. nat. Plinii, qui est de homine, deque miris gentium figuris, annotata & D. Gottlob Fridr. Seeligmanni Diss. de dubiis hominibus in quibus forma humana & brutina mista fertur. v. Neuer Bücher-Saal. T. I. p. 635. adde Haraldi Vallerii Diss. de varia hominum forma externa. Ups. 1705. 4 De Cynocephalis & Lycocranitis Procop. III. Gothic. 27. p. 530. De Cynocephalis etiam Aristot. II 8. Gellius IX. 4. Aldrovandus II. 7. de quadrupedibus vivip. Rhodigin. XXV. 8. Salmas. ad Solin p. 1005. sq. Jo. Eus Nieremberg V. 15 Hist. nat. Adde Ratrami epist. ad Rimbertum presb. de Cynocephalis an ex stirpe Adæ sint progeniti, & an animas bestiar. habeant MS. in Bibl. Paulina Lipsiensi, editam quoque ab Oudino T. II. de S. E. p. 125. sqq cum epistola Gabrielis du Mont. Rimberti vero epistolam ejusdem argumenti intercidisse ait Oudinus T. II. p. 337. De Macrocephalis adi Olearium ad Philostr. f. 134 Homo capite avis apud Kircher. p. 270. sq. Chinæ illustratæ. Onocentauri, hippocentauri &c. ap. Aldrovand p. 198. de solidipedibus quadrup. 490. sq. Homines per hiemem immobiles, vere iterum recalescentes vitamque recipientes, Journ. des Sav. 1725. p. 270. sq. ut hirudines, de quibus Flechierius in vita Cardinalis Commendoni. Contra narrationes de fœminis sine coitu fœcundis Alphons. a Carranza, de partu naturali & legitimo p. 707. sqq. Homo a Simone Mago formatus. Clementina II. 26. p. 628. Figura humana in ovo pulli, Journ. des Sav. 1681. p. 331. & 278. item in rapa, ib. 1677. p. 62. & Actis Nat. Cur. I. p. 121. (139) sq. & 229. Giornale di Roma 1677. p. 62. Fungus anthropomorphos in Actis Nat. Cur. I. 112. p. 89.

Semi-

Semicanes, capitones & nani figmentum,
ut qui pede se contegunt, & qui in pectore oculos habent,
ipsique cynocephali cum unoculis
fabularumque loripedes & loricruri,
unipara, innares atque oris expertes similiter,
Et qui retro habent pedum digitos, & qui non vident.

Oculos in pectore habere fortasse dicti sunt nonnulli, quod colli brevitate & exstantibus humeris tales viderentur, unde Hugo Grotius in fine libri IV. Histor. de extremi septentrionis accolis loquens, *catera jam fabulosa, morte hyemem transmittere, vernoque cum spiritu resumere animam Lencomoria populos, cum expositis interim rebus permutationem sola accolarum religio peragat. Tum hirta hominum corpora & canina oris species haud minus vana veterum mendaciis, qui equinis pedibus gentes, & alias quarum aures nuda alioquin corpora ambiant, iisdem locis adscripsere, ut fere ubique in miracula & falsas auditiones fama rerum desinit. Quadam horum tamen, & quod certiore testimonio firmatur, capite truncos homines, qui vultus in pectore gerant, aut esse,* aut colli brevitate, erectisque humeris tales videri, *haud pertinaciter refellam, satis gnarus ut alibi ignium intemperie, ita vi frigoris nimia peccare naturam.*

VII. Doleo necdum esse perlatum ad nos tomum primum dissertationum Academicarum Clarissimi Viri Hyacinthi Gimmæ, JCti Neapolitani, Rufcianensis Incuriosorum Societatis Promotoris, typis exscriptum Neapoli 1714. 4. Nam ut ex tomo XX. Diarii Veneti p. 154. 164. sqq. didici, binæ in eo continentur dissertationes, una de hominibus fabulosis, & altera de fabulosis animalibus, (a) sive fabulosa viventium ex non viventibus generatione. Dissertationem de fabulosis hominum generibus in tres distribuit partes, *prima* capite primo, cum unicum genus hominum dari posuisset, capite (2) explodit homines fabulosos Paracelsi, & Francisci Josephi Burrhi, de quo posteriore consules, si placet, Bælii Lexicon in *Borri.* Capite (3) de hominibus fabulosis qui per artem chymicam, vel plantarum more producti jactantur. Et exstat A. C. Gakenholtzii dissertatio edita Helmstadii A. 1710. de machina corporis humani per nullam artem humanam imitanda. Capite (4) de aliis

(a) De his in cod. Diario, Giornale de' letterati d' Italia T. XXI. p. 176. sqq. De aliis Hyacinthi Gimmæ Scriptis vide Gel. Zeit. 1725. p. 186.

fabu-

fabulosis e terra enatis hominibus. Capite (5) de monstrosis hominibus per fabulam confictis. Partis *secundæ* capite (1) disquirit de Gigantibus (2) de eorum origine & (3) de Gigantibus in libro pseudepigapho Enochi memoratis: (4) de dæmonibus succubis & incubis, & (5) de Gigantibus post diluvium. Parte *tertia* denique capite (1) de Centauris, (2) de Satiris, (3) de Cynocephalis & aliis hominibus qui hirsuta & hispida pelle tecti feruntur, (4) de tritonibus, sirenibus & fabulosis hominibus marinis: (5) de fabulosis hominibus poëtarum. Capite (6) denique disputat Dæmones esse qui pro hominibus tam abhorrentis figuræ venditantur, ac de hominum in lupos transformatione.

VIII. Cæterum nec malo dæmoni tanta miraculorum vis concessa, ut homines in lupos, ursos aut alias bestias transformare possit, quemadmodum fabulis etiam adscribenda sunt haud dubie, quæ de incubis aut succubis dæmonibus indeque generata sobole monstriformi, vel de infantibus per dæmones suppositis, de mutato opera dæmonum sexu (*) apud Delrionem & alios leguntur naturæ rerum contraria, & fide dignis destituta testimoniis, & bonitati ac sapientiæ divinæ adversa. Sed in his diutius morari nihil attinet. De transformatione bene Plinius VIII. 22. *Homines in lupos verti, rursumque restitui, falsum esse confidenter existimare debemus, aut credere omnia quæ fabulosa tot seculis comperimus.* Quam multa tamen ab antiquis & recentibus huic rei persuadendæ tradita scriptoribus, & credulitati lectorum propinata sint, cognoscere licet vel ex Jac. Thomasii τῦ μακαρίτυ dissertatione de transformatione hominum in bruta, edita Lipsiæ A. 1665.

IX. Sadeuri (**) Tigrhomines denique, satirosque & sylvanos poëtarum, & semivirginem canem marinam scyllam, nec non desinentes in piscem, mulieres formosas superne Nereides, nec minus puellas semivolucres, stymphalides sirenesque & harpyias, semibovesque viros & semiviros boves cen-

(b) Delrio disquisit. Mag. lib. 2. qv. 28. Colvenerius ad Nideri Formicarium p. 64. sq. conf. inprimis Jo. Prætorii Anthropodemum Plutonicum, von allerley wunderbaren Menschen. Magdeb. 1668. 8. De hominibus subterraneis Kircherus in mundo subterr. & H. Gautier Bibl. Philos. T. IV. p. 625. De succubis & incubis Acta Nat. Cur. II. 6. p. 348. De hominibus in lupos mutatis Bibl. Germanique T. II. p. 38. sq.

(c) Petri Kolbe descriptio capitis bonæ spei p. 351. Les Caffres Tigridhomines. Recherches Historiques p. 205.

tauros


Harpyiæ
ΓΑϹ
ΓΑΒΑ ΛΕΩΝ
Sirenes.
Sirenes.
Scylla.
ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩϹ Α.Μ.Κ.Β.Γ. ΤΑΡϹΟΥ
Stymphalis.
Nereis.

tauros dari inter homines qui sibi persuaserit, idem etiam facile crediderit verissimum esse omne quicquid jactatur usque chimærarum. (d) Scyllæ, Nereidis, stymphalidis, sirenum & harpyjarum icones ære descriptas apponere juvat, quoniam illæ a viris eruditis etiam quandoque confunduntur. Harpyjam cum Centauro reperi in veteri monumento Welphonis ex Burgundiæ proceribus inclyti, apud Petrum Saxium in pontificio Arelatensi p. 202. Alias harpyjarum effigies exhibet Ez. Spanhemius diss. V. de usu numism. T. I. edit. Lond. p. 620. & Laur. Begerus thesauro Brandenb. T. 3. p. 371. ubi etiam sphingem tam alatam quam sine alis, capite humano corpore canino monstrum habes p. 369. 370. Sirenis imaginem petii ex eruditiss. Montfauconi Diario Italico p. 191. qui illam reperit in Catena MS. Colbertinæ Bibl. in Jobum ad verba XXX, 29. ἀδελφὸς δὲ γέγονα σειρήνων, licet Hebraicum vocabulum תנים quod ibi occurrit, dracones potius denotat, qui struthionibus similiter junguntur Michæ I, 8. Vide Vossium de Idololatria IV, 50. & Bochartum parte 2. Hierozoici lib. VI, cap. 8. Adjunxi etiam tres Sirenes (e) ex Tabula Iliaca a Clariss. Begero illustrata tab. 69. & Pedrusio

(d) Chimaera ænea vetus servatur in Bibl. Medicea Florentiæ, quam curiosius lustrare Nic Heinsium jubet Jo. Rhodius T. V. Sylloges Epist. Burmannianæ p. 442. quod minus accuratam ejus ideam exhibeat Aldrovandus Lib. I. de quadruped. p. 56. Exstat & de Chimæra Diss. Petri Penaværei Berol. 1703. 4. ad Joh. Clerici in Hesiodi Theogn. v. 319. notas. vide Acta Erud. 1703 p. 273.

(e) Procopio in Esaiam p. 215. Sirenes dicuntur τὰ εὐστομεῖν εἰδότα πτηνὰ & p. 492. διά τινων ὀρνέων ἡδυφώνων ἃς Σειρῆνας ἐκάλουν. Julianus epist. 41. Τί γὰρ δεῖ τὰς Σειρῆνας λέγειν, ὧν ἔτι τὸ πτερὸν ἐπὶ τοῦ μετώπου φέρουσιν αἱ νικήσασαι. Hinc intelliges Symmachi *tricinium semivolucrum puellarum* lib. 1. Epist. 47. De sirenum autem in struthionem avem desinente forma consules Laur. Begerum ad tabulam Iliacam p. 65. & in scripto cui titulus: *Ulysses Sirenes prætervectus, ex delineatione Pighiana.* Berlin 1703 fol. Jac. Gronovii thesaurum Antiqu. Græc. T. 2. tabula 7. Ez. Spanhemium de usu numism. T. 1. edit. Lond. p. 251. Janum Broekhusium ad Tibullum. p. 362. & Claudium Nicasium in diss. de Sirenibus edita Parisus 1691. 4. Eliam Schedium Jarkii p 629. sqq. Herm. Witsium Diss. de Sirenibus Traj. 1687. 4. Adr. Junii Proverb. p. 493. sqq 924. sq. Les Sirenes, ou Discours sur leur forme & figure Paris 1691. 4. cont. Hist. des Ouvr. des Sav. 1693. Sept. p. 39. 130. Jo. Jonstonum de avibus fabulosis, tab. 62. T. I. thesauri animal. Ruyschiani. Jul. Cæs. Capaccii Antiquitates Neapolitanas c. V. Tom. IX. Thesauri Italiæ, Parte II. Mich. Frid. Lochneri, de manibus, costis & capillis Sirenum adjuncta Sirenum mythologia e nummis, gemmis & statuis, opusculum ad prælum paratum, editioneque dignum.

T. II. numism. p. 147. sq. Scyllam vero, Stymphalidem & Nereidem ex laudati Spanhemii p. 262. 256. 153. Scylla est etiam in numo Gordiani apud Pedrusium. T. V. p. 305. Tritones, apud Fabrettum p. 304. ad Columnam Trajani. Sphinges apud Tristanum I. p. 389. & apud Wildium p. 65. apud quem & Gryphum habes p. 54. 75. Adde Mem. de Trev. 1704. p. 1938.

CAPUT III.

DE IIS QUÆ VERE QUIDEM TRADUNTUR, SED MALE REFERUNTUR AD HOMINES, VEL MONSTRIS HUMANIS ADSCRIBENDA SUNT.

I.

Proximum est ut a fabulosis ad illa accedam, quæ fabulis quidem & commentis adscribenda non sunt, tamen opponi non possunt sententiæ de communi omnium hominum ortu ex uno Adamo, vel plane ad homines non pertinent, vel monstrosam potius præ se ferunt aberrationem naturæ plasticæ in humano corpore efformando, quam ut hominibus diversæ originis parentibus debeantur.

II. Bene S. Augustinus XVI. 8. de C. D. *Nam & simias, & cercopithecos & sphingas, si nesciremus homines non esse, sed bestias; possent illi historici de sua curiositate gloriantes, velut gentes aliquas hominum nobis impunita vanitate mentiri.* Nec dubium est hoc a multis factum esse vel de industria, vel quod ipsi aliorum relatione decipi se passi fuissent. Quantumcunque vero rationis umbra & specie quadam ex his valere fortasse videntur, ac licet circa res sensiles ea sagacitate interdum pollent, quæ sine voluptate & admiratione spectari a nobis non potest: tamen satis ab humano genere distinguuntur, quod a sphæra moralium rerum ut ita dicam exclusi & exemti, nulla legum & honestatis, nulla virtutis jurisque, nulla denique religionis consideratione moventur vel reguntur. Quæ singula majoris etiam momenti esse existimet aliquis ad illos ab hominum genere sejungendos, quam quæ a forma, statura a anatomicis observationibus, accurate tamen & diligenter explicata dedit vir præstantissimus Eduardus Tyson Medicus Anglus in scripto cui titulus: *Ourang Outang, sive homo sylvestris, or,* (f) *the anatomy of a pygmie com-*

(f) Iconem vide apud Licetum de monstris p. 319. edit. Ger. Blasii.

par'd

par'd with that of monkey, and ape, and a man, to which is added a philological essay concerning the pygmies, the cynocephali, the satyrs and sphinges of the ancients, wherein it will appear, that they are all either apes or monkeys, and not men, as formerly pretended. Lond. 1699. 4. apud Thomam Bennetum. *Pygmei anatome, cum cercopitheci, simia & hominis anatomia comparata; cum Philologica diss. de pygmais, cynocephalis, satyris & sphingibus veterum, qua simiarum illos genus vel cercopithecorum, non ut voluerunt hominum esse ostenditur.* Cui hic liber non fuerit ad manus, eum non pœnitebit consuluisse Diarium Londinense, the history of the works of the learned A. 1699. p. 371. seq. Philosophical Transact. n. 256. vel Acta Eruditorum A. 1700. p. 506. Vide & Lafitan T. I. p. 103. sq. Kircheri Chinam illustratam p. 260. sq. Tulpium III. 56. Obss. Medicar.

III. De piscibus humani oris & tritonibus a capite ad medium corporis humanam speciem referentibus, ad fabulas libenter relegaverim omnia, quæ apud Ælianum XIII. 21. de animal. Plinium aliosque leguntur: nisi quæ apud recentiores quosdam perhibentur, fidem facerent deprehendi qualemcunque similitudinem in nonnullis interdum monstris, quæ aliquando in mari inveniuntur, ab hominum tamen natura & ingenio remotissima sunt, ut quod novissime narratum Dunkerka est: (g) *La Tempête jetta ici le* 2. *de Mars sur le Risban un Poisson, long de* 15. *pieds, & qu'on s'imagine avoir la figure humaine. Pour moi, qui l'ai vû & manié, je vais vous en faire la Description. Il a la Tête du moins grosse comme celle d'un Bœuf; les Oreilles absolument plattes, & faites comme celles d'un Ours, tombant de meme. Il a les Yeux fort longs, & au dessus & au dessous de ses Paupieres il a du Poil chatain, de même qu' à des especes de Sourcils. Il a la Gueule grande d'environ* 2. *pieds; deux rangées de Dents en haut & en bas, larges comme celles d'un homme.*

(g) Europe Savante 1718. Avril p. 288. Clef du Cabinet 1716. p. 311. sq. Giornale di Roma 1672. p. 135. 131. sqq. Journal des Sav. 1672. p. 102. sqq. Memoires de Trev. 1725. Octob. p. 1902 sqq. New Memoirs of literature T. II. p. 394. sq. Cabinet ausländischer Merckwürdigkeiten. p. 144. sqq. Bzovium ad A. C. 1403. n. 20. Jonstonum pe piscibus, Tab. XL. p. 269. Happelii Relatt. curios. T II. p. 11. sqq. 81. sqq. Theodori Hasæi Syllogen Diss. p. 517. sqq. & 575. Alexandrum ab Alexandro. III. 1. Franc. Valentinum, Pastorem Ecclesiæ Amboinensis & Bandensis in descriptione veteris & recentis Indiæ Orientalis, opere splendido cum iconibus plurimis vulgato Belgice, Voluminibus VIII. fol. Dordraci & Amst. 1726. T. III. p. 331. ubi & p. 333. sqq. plurimorum aliorum testimonia.

homme. Sur la Langue, & à commencer depuis une Oreille jusqu' à l'autre, en tournant par dessous sa Mâchoire inferieure, il y a une rangée de poil, que l'on prétend Barbe. Ce qu'il y a de plus extraordinaire en ce Poisson, c'est qu'à sa Poitrine on voit deux especes de Tetons, marquez comme ceux d'un Homme, avec du poil; & un peu plus haut, deux Mains, qui sortent d'environ 6. pouces, tournées en dessus; ensorte qu'elles ne peuvent jamais lui servir à nâger, ni même à rien porter à sa Gueule, n'étant point attachées à des Bras, mais seulement à un petit moignon, qui paroît immobile. Les Doits y sont parfaitement bien distinguez; des Ongles au bout, absolûment comme la Main d'un Enfant de dix Ans. Voilà ce que j'y trouve de plus particulier, & la seule chose qui puisse lui donner quelque rapport avec les Hommes marins qu'on nous dépeint. Tous les Gens de Mer qui sont à Dunquerque, n'en on jamais vû de pareil. Le Peuple commence à croire que cela signifie quelque chose, on le trouve marqué dans les Prédictions de Nostradamus. Cum his conferre placet quæ refert Julius Cæsar Scaliger Exercitatione CCXXVI. in Cardanum, §. 12. p. 712. *Præter ea, quæ ex Plinio, ac recentioribus circumferuntur, hæc habeo: Hieronymus Dominius è Norico nobilissimus, ac fortissimus vir, qui cum socio suorum studiorum Joanne Jucundo Architectorum Coryphæo, me primis literis Græcis imbuit: is Dominius cum in naues impositam manum militum, jussu patris, duceret suppetias Rhodiensibus, per anchoræ funem subeuntem ab se visum, dicere solebat, hominem marinum. Hoc ego illum Maximiliano Cæsari prædicantem audivi. Parmæ apud forum in officinæ thesauris nobilioribus cujusdam aurificis, Nereidem unam vidi, magnitudine infantis bimuli. Plinius in nono multorum narrat historiam. Tachnis Scythiæ fluvius maximus est, qui in Oceanum Arcticum erumpit. In eo sunt pisces humana propemodum effigie, sine voce tamen. Cæterum illos neutiquam tutos fecit similitudo, quominus ab accolis esitentur. Hoc cum inter epulas recitarem, illos convivæ aliquot perinde atque Anthropophagos,* (h) *abominati sunt. Ad alios relatum est. Assensi omnes: Ego vero eorum sententiam impiam esse ostendebam, qui putarent, in illis quicquam esse hominis, Animæ namque nostræ ad hanc rationem gradus quosdam constitutum iri. Quippe à viro sapiente Natura orsa deduxisset genus humanum per Canibales, Emmarchios, Peziorenses, Pygmæos, Æthiopas stridulos, ac postremo simiarum genera ad hos usque pisces. Alia historia paulo hilarior ex India. Picta enim convivio est. Urbs & regnum Cochin celeberrimum est navigantibus. Urbem præterfluit Colchan fluvius. In eo, ajunt,*

(h) Petrus Petitus de Anthropophagis p. 140.

agitare

agitare pisces humana forma: qui pisces piscibus vescantur. Cippæ ejus nomen esse. Interdiu sub aqua latere. Noctu in ripas exire. Ignem silicum allisione accendere. Ad eum splendorem e fluvio pisces convenire Eos captos a Cippis devorari. Mirum ni sub aquis pisces, quibuscum semper sunt, facilius capiantur. Sed & manus habeant, necesse est. At Nereidum, aut Tritonum nulli, sed alarum in modum pinnæ. Utinam hæc Onesicritus, non Scaliger, edidisset. Sed subtilitates tuæ aspergendæ fuerunt nostris pinguioribus Minervis.

IV. Succedunt his alia, in quibus tanquam monstris vel naturæ exuberantiam, defectum aut errorem, vel DEI nefandas hominum libidines castigantis documenta (i) intelligere licet, nullum autem ducere argumentum ad ultimæ originis nec ab Adamo repetendæ diversitatem, cum hoc habeant monstra, atque ideo monstra sint plerumque, quod proximis etiam parentibus suis dissimilia generentur, sæpe ne in proximam quidem generationem propaganda, neque communia integris gentibus (licet S. Augustino XVI. 8. de Civ. DEI haud absurdum fuerit visum, dari ut singulorum hominum, sic etiam monstra gentium) sed uni tantummodo, vel paucis quibusdam peculiaria. De caussis autem proximis naturalibus quibus monstra efformentur, nolo Physicorum vineta cædere, vel Caspari a Reyes, (k) Fortunii Liceti, (l) aliorumque compilare scrinia, aut hoc loco revocare ad examen, quæ in Memoriis Academiæ scientiarum Paris. A. 1716. p. 415. seq. hoc de argumento acute disputantur. Tantum breviter perstringam pauca quædam quæ formam corporis humani insigniter mutatam cum exhibeant, non permittunt tamen ut ab alio ortu ultimo hi partus quam alii homines derivati credantur.

(i) Conf. D. Jo. Bap. de Wenckh Archiatri Grævensis Diss. physicam an ex virilis humani seminis cum brutali per nefarium coitum commixtione, aut vicissim, ex bruti maris cum muliebri humano seminis commixtione possit verus homo generari? in Ephemeridibus Naturæ Curiosor. Cent. IX. & X. p. 552. sqq: Gottlob. Frid. Seeligmann de dubiis hominibus, in quibus forma humana & brutina mista fertur, Lips. 1679. 4. Ge. Volcmari Hartmanni Diss. ad G. Ernest. Stahlium Erford. 1733. 4. ejusdemque schediasma apologeticum ib, 1734. 4. Bartholin. Cent. I. hist. 86 II. 80: Martin. Schurigium in Embryologia p. 652. sqq. 677. sqq. 680. sq. 684. sq: vide & Syllepsilogiam ejus p. 241. adde Phædrum III. 3. & Theophr. Paracelsi librum de natis animalibus ex Sodomia T. IX. p. 234.

(k) Campo Elysio quæst. 45.

(l) Peculiari libro de monstris Amst. 1667. 4.

V. Licet Actæoni & Alexandro Regi, & Moysi ipsi multisque aliis præter rem cornua affinxerint veteres, tamen homines cornu vel uno vel pluribus a natura præditos extitisse fide dignis testimoniis comprobatum dedit Olaus Wormius de Cornu Danico Christiani V. gloriosiss. Daniæ Regis p. 15. Jacobus Dalechampius ad Plinii XI. 37. *cornu in fronte nobilis fœminæ natum, quam de Fortiis Monspessulani vocarunt, digiti longitudine, quod filo paulatim adstricto præcisum.* Amatus Lusitanus centuria 1. curat. 51. refert *puerum cum corniculo in capite natum, & paulatim cum eo incrementum accepisse, & licet ei nullo fuisset impedimento, per Chirurgiam resecari curasse, sed mox obiisse, quod ex cranio & medullari cerebri substantia esset conflatum.* Rhastadii, quod oppidum est in alpibus Noricis, *infantem cornutum* natum memorat Lycosthenes in prodigiis. Lanfrancus tract. 3. doctr. 2. cap. 3. Chirurgiæ majoris, narrat se *hominem vidisse qui habebat in capite septem eminentias, quarum quædam erant adeo magnæ & acutæ, ut cornu capreoli, pollicis longitudine, quæ cutim assidue vellicabat.* Quid Ingrassias tomo 1. de Tumoribus, narrat de nobili quadam puella Panormitana, quæ non solum in capite & fronte, sed etiam in omnibus fere artubus, præsertim manuum, cubiti & genuum juncturis, cornua, vitulorum instar, acuta tamen gestabat; Julius Cæsar Scaliger testis est oculatus Exerc. 199. Sect. 5. vidisse se *cornu enatum e dorso remigis cujusdam, qui in Ligurum triremi diu fuerat.* Nostra memoria Parisiis quendam extitisse, fide digna, inquit Wormius relatione accepi, qui cornu unum in fronte gestabat, arietino cornu simile, stipem ab iis colligens, quibus se visendum præbuit. Hic proculdubio is ipsus est, de quo Emanuel Urstisius apud clariss. Guilhelmum Fabricium Hildanum scripsit, observat 25. centur. 2. Sic & puellam cornibus undique obsitam memorant Nouv. de la Rep. des lettres. 1686. p. 790. sqq. Acta Erud. 1686. p. 487. Narratio de vetula cornuta prodiit Londini 1679. & in Phœnice Britannico Jo. Morgani n. 3. p. 249. sqq. Lond. 1731. 4. Vide & Nouv. de la Rep. des lettr. 1686. p. 790. Tho. Crenii museum. p. 37. sq. 41. Bartholin. Cent. V. hist. 27. I. 78. II. 10. Simile ex Caproli, Chirurgi Monspeliensis experimento exemplum refert idem Hildanus in Observatione 26. de Joanne Gvy, Monspeliensi, qui cornu quod sibi ex fronte ad latus sinistrum exsurgebat monstravit, simulque ut id amputare vellet, petiit. Firmiter autem cranio adhæsit, semipedem longum, crassum pollicem. Ad radicem abscisso cornu, sanguis tam copiose affluxit, ut cauterium statim applicare fuerit necesse. Sed ulcere mundificato & inductâ cicatrice demum ille iterum convaluit. His cæterisque

quæ

quæ apud laudatum Wormium leguntur, plura etiam hujuscemodi addi possunt tum ex Liceto & aliis qui de monstris scripserunt, tum ex *D. Georgii Frankii*, Medici inclyti tractatu Philologico Medico de Cornutis, edito Heidelbergæ 1678. 4. Longe plurima vero collegit vir eruditiss. *Thomas Broderus Birkerodius* quo in opere distincto in sex libros de cornibus & cornutis (cujus sciagraphiam edidit Hafniæ sine anni nota in 4.) libro tertio, postquam sectione 1. & 2. de idolis cornutis fuse disseruisset, sectionem tertiam ejusque capita sex integra hominibus tribuit, quibus vel persuasio fabulosa, vel naturæ quidam excessus cornua apposuit.

V. Nulla est pars corporis humani, nullus articulus, nulla membri configuratio, in quibus non miram alterationem, deformitatem & abhorrentem a consueto naturæ usu figuram vel situm vel magnitudinem, numerumve notari interdum contingat: (m) quod singillatim exponere si vellem, finis nullus esset, nec quisquam est harum rerum paulo curiosior, quem fugiant quæ a *Casparo a Reyes* in campo elysio quæstionum capite quinquagesimo, *Casparo Schotto* in Physica curiosa, *Fortunio Liceto* in sæpius recuso de monstris volumine, *Henrico Kornmanno*, fabulosa miscente interdum, in libro de miraculis vivorum, *Marcello Donato* in Medica historia mirabili, libro præsertim sexto capite secundo, *Joanne Jonstono* in thaumatographiæ naturalis classe decima de admirandis hominis, articulo nono, *Jo. Jac. Waldschmidio* Diss. de monstrosis partubus, inter ejus Diss. Marpurgi 1707. 8. similisque argumenti scriptoribus magno numero sunt exposita: Quibus licet addas quæ de viribus imaginationis & quid illæ per terrorem quendam vel inexpectatam rem objectam prægnantibus excitatæ possint efficere, vel sæpe numero effecerint ad formam corporis in fœtu nascituro variis immutandam & deturpandam modis, annotata ab eodem Casparo a Reyes, a Tho. Batholino Centur. VI. hist. anatomic. 61. V. 24. I. 79. & a *Thoma Fieno*, in variis scriptis, præcipue in sæpius excuso de viribus imaginationis opere, tum a *Philippo Jacobo Sachs* in Gammarologia, ubi infantem pedibus cancrinis editum a matre, quam cancri forte conspectus terruerat, refert.

(m) Hoc magis constaret, si in lucem prodiisset Jo. Ludovici Hannemanni Thaumatographia curiosa Microcosmi Physico-Medico-Theologico-Historica, cujus Sciagraphiam A. 1694. dedit in Actis Naturæ curiosor. Appendice ad Decur. III. annum 3. p. 123. seq.

VI. Re-

VI. Reperti ſunt quibus perinde ut hyænis, dentium loco fuit os perpetuum, ut præter Plinium VIII. 21. & Tzetzem Chiliad. III. verſ. 950. ſeq. Tho. Bartholinum Centur. I. hiſt. 35. narrat ex Arabum ſcriptorum fide Herbelotus p. 10. Bibliothecæ Orientalis: ***Abdalſamad oncle des deux premiers Kalifes de la maiſon des Abbaſides, ne perdit jamais un dent, parce que ſes deux machoires, tant la ſuperieure que l'inferieure étant chacune d'une ſeule piece.*** In aliis duplices ordines obſervati ſunt maxillarum, vel plane ut in Hercule triplices, alii non edentuli ſed dentati in lucem prodierunt. (n) Lienem unicum & mediocris magnitudinis homini dedit natura, fuerunt tamen in quibus vel exiguus plane, (o) vel ſtupendæ molis (p) ſe offerret, vel in quibus plane ut in Guidonis Patini narratur Epiſtolis, (q) reperiretur quintuplex. Cor deprehenſum eſt jam ſine ventriculis (r) jam ut in Leonida, Ariſtomene, Hermogene hiſpidum pilisque obſitum, jam nullum. (s) Homo ſine pulmone ventriculo & veſica repertus, (t) alii ſine cerebro, (u) ſine

(n) Adalberti ſ. Alberti Tylkowski S. J. Diſquiſitio phyſica oſtenti duorum puerorum, quorum unus cum dente aureo, alter cum capite Giganteo Vilnæ A. C. 1673. ſpectabantur. Gedani 1674. 12.

(o) Miſcellanea naturæ curioſar. T. 1. p. 17. ſeq.

(p) Id p. 15.

(q) Mr. Patin lettres T. 1. p. 451. *cinq rattes diſtinctes trouvées dans un corps.*

(r) Vigneul Marville T. 1. melanges p. 161.

(s) Journal des Savans A. 1682. p. 301. Muret. XII. 10. Var. Lect. Sine corde an detur vivere, diſputatur in Actis Nat. Cur. I 3. p. 409. ſq. adde p. 95. ſq. Cic. II. 16. de divinat. cor inverſum. ib. 1. 2. p 139. in dextro pulſans latere. p. 296.

(t) Andreas Caroli memorabil. ſæculi XVII. ad A. 1676. p. 167. Acta Nat. Cur. II. 5. append. p. 12. 124.

(u) Giornale di Roma A. 1675. p. 26 Nouvell. de la Rep des lettres 1702. T. 2. p. 97. Journ. des Sav. 1673. p. 65. 87. Acta Med. Berolinenſia Vol. VIII. Dec. 1. p. 130. ſqq. Memoires de Trev. 1715. p. 439. Galeria di Minerva T. VII. p. 189. Acta Er. 1721. p. 128. 1726. p. 498. Memoires de l'Academie des ſciences A. 1716. p. 417. 431. 435. Fanciulla ſenza cranio e con un pezzo di carne in luogo di cervello, Valliſnierius in Nouve oſſervationi ed eſperienae pag. 158. ſqq. Padova 1713. 4. Jo. Jacobus Wepſerus de puella ſine cerebro nata. Schafhuſ. 1665. 8. vide & Acta Nat. Cur. I. 2. p. 60 ſqq. 175. ſqq. 196. 391. 427. II. 3. p. 305. & Laur. Heiſteri Obſervatt. Medicas miſcellaneas, Helmſt. 1730. 4. Obſ. XIV. Bartholin. VI. hiſt. anat. 91. & I. 83.

capite

capite (x) ſine ano (y) ſine bile (z) ſine genitalibus, (a) nec minus generantes deſtituti teſticulis (b) quam monorches vel triorches. In veteri etiam & recenti memoria frequentes Androgyni ſive hermaphroditi, ſexumque mutantes, de quibus diligentiſſime tractavit Caſpar Bauhinus, Medicus Baſileenſis libro de hermaphroditorum monſtroſorumque partuum natura, Oppenheimii 1614. 8. cui addi poſſunt Jacobus Duval libro edito Gallice, Rothomagi 1612. 8. Jo. Riolanus, Jac. Mollerus de cornutis & Hermaphroditis Francof. 1693. 4. Stephanus Rodericus Caſtrenſis de natura muliebri p. 55 63. Caſpar a Reyes campo Elyſio quæſtion. 48. B. D. Jo. Frid. Mayeri diſſ. de Sacerdote androgyno T. 2. muſei p. 46. ſeq. Julianus Floridus ad Auſonii Epigramma 69. 100. ſq. 107. Extiterunt alii qui aures haberent verſatiles, (c) ut Veſalius narrat ſe vidiſſe Patavii JCtum Claudium Simionium, Forojulienſem virum facetum, & Petrum Ravaſcherium, Genuenſem, virum fortem & ſtrenuum, (d) quibus addi poteſt Muretus, quem & ipſum aures more beſtiarum pro arbitrio ajunt motitaſſe. (e) Ruminantium quoque exempla exſtant, & quendam cognoviſſe ſe teſtatur Petrus Petitus, (f) cui certis horis poſt prandium cibi ſemicocti ſponte in os redibant, remaſticandi atque recoquendi ut bobus ſolent. Illud etiam frequentius, ut ſtrumoſi reperiantur, & noctu videntes, ne alia jam congeram notata Morhofio τῷ μακαρίτῃ, in exercitatione erudita de paradoxis ſenſuum, edita Kilonii A. 1685. aut Jo. Ludovico Hannemanno in ſciagraphia thaumatographiæ curioſæ mi-

(x) New Memoirs of literature T. IV. p. 446. ex Journ. des Sav. 1726. Dec. Acta Nat. Cur. I. 3. p. 442. ſq.

(y) Acta Nat. Cur. II. 3. p. 225.

(z) vid. Jo. Rhodii mantiſſam Obſervat. 24.

(a) Nova literaria Germaniæ A 1704. p. 48. ſeq. Acta N. C. II. 5. p. 84. Valliſnierius T. III. Opere diverſe p. 349.

(b) Th. Reineſius Epiſt. ad Hofmannum p. 664.

(c) Bæli Lexicon in *Hercule* nota G. Vigneul Marville T. I. melanges p. 255. Tho Crenii animadverſ. parte IX. 163 ſeq. Puellam pro lubitu motitantem aures A. 1100. obſervavit Alexander Imolenſis. Plura D. Ge. Francus Diſſ. de hoc argumento. Heidelb. 1676.

(d) Cardanus de rerum varietate VIII 20.

(e) Petrus Petitus de Anthropophagis p. 73.

(f) ibid. Vid. & Bartholin V. 16. hiſt. anatom.

crocosmi Physico Medico Theologico Historica, Kil. 1694. vel Sixto Aspach, in miris defectuum quorundam in corpore humano supplementis. Hafniæ 1690. 4.

VII. In universis hactenus commemoratis nihil est quod communem hominum omnium ab Adamo originem dubiam possit reddere: sed ut initio dixi, vel monstrosæ degenerationis sunt, ut quæ proxime retuli omnia: vel ad homines plane non pertinent, ut illa quæ feruntur de satiris, ægipanibus &c. de quibus præter laudatos superius, fuse & erudite Banhinus: (g) nec non de cynocephalis, de quibus Berttami sive Ratrami, qui sæculo nono scripsit, Epistola ad Rimbertum presbyterum edita est a Joanne Massono T. VI. Hist. Criticæ Reip. litterar. p. 188. qua ab hominum genere illos removendos, bestiisque adscribendos ostendit: & quæ de piscibus anthropomorphis Olaus Wormius in Museo p. 276.

CAPUT IV.

DE GIGANTIBUS, PYGMÆIS, AC NIGRITIS.

I.

Pulchre observatum est, Providentiam Conditoris ut in omnibus, ita etiam in statura homini impertienda utilitati ejus & commodis prospexisse sapientissime. Cum longe proceriorem & longe etiam humiliorem creare eum potuisset, tamen animal cæteris imperaturum mediocri hac potius qualem videmus, quam quacunque alia donare maluit. (h) Quid enim si pedis vel spithamæ tantum esset parvitate? quomodo sufficere vitæ negotiis, quomodo bestiarum injurias a se repellere, vel obsequio suo ipsas subjicere valeret? At si turres vel montes referret superatetve magnitudine, nulla tellus posset illis suppeditare, quod satis esset ad pabulum, nullæ animantes illis vehendis idoneæ reperirentur: quæ vestimenta, qui currus? quibus machinis & instrumentis, quantis habitaculis opus esset, ut tam vægrandibus corporibus commoda

(g) de hermaphroditis cap. 13. seq.

(h) Fenelon demonstrat. de l'existence de Dieu chap. 42. Derham Physicotheologie. Lib. V. c. 4.

moda diverſoria extarent? paucis duntaxat mortalibus liceret vaſtum quamvis terrarum orbem incolere, & plurimis iisque maximis emolumentis vitæ ac commoditatibus eſſet carendum.

II. De Gigantibus & Gigantum oſſibus multa feruntur longe repulſa a veritate: neque facile occurrunt aliæ Poëtarum fabuloſiores fabulæ, quam quales ab Homero verſificatas jactant de Tityo terræ omniparentis alumno, *per tota novem cui jugera corpus porrigitur*: (i) vel de Cyclope Polyphemo arduo, alta pulſante ſidera (k) ducentos longo pedes, cui ut ait apud Nonium (l) Lucilius, majus bacillum

Quam malus navi in corbita maximus ulla.

Nec apud Poëtas hæc ſolum; ſed apud hiſtoriarum quoque ſcriptores, qui res remotiores a memoria noſtra commemorant, legas ab hominibus proceriſſimis cultas olim terras, præ quibus puſilli ac pumiliones præſens qui hodie vivunt ætas videatur: (m) legas ſæva Gigantum bella & magnas res geſtas,

(i) Virgil. Æneid. VI. 595. ex Homeri Odyſſ. λ. 576. ὁ δ᾽ ἐπ᾽ ἐννέα κεῖτο πέλεθρα.

(k) Æneid. III. 619.

(l) In voce *corbita* p. 533.

(m) Vid. Joſeph. Antiq. I. 4. V. 2. XVIII. 6. Diod. Sic. IV. 21. Plin. VII. 16. Strab. XVII. p. 829. Philoſtrat. Heroic. p. 669. ſq. Auguſtin de C. D. XV. 9. &c Petrus Burmannus ad T. I. Theſauri Siciliæ. p. 17. Fucum ſibi fieri paſſus eſt Tho. Fazellus ab Annio Viterbienſi ex cujus Pſeudo Beroſo & aliis ejus notæ Scriptoribus primordia etiam Siciliæ cum vulgo ſcriptorum a Noæ filiis arceſſit. Decad I. Lib. I. c. 6. & Decad. II. Lib. 1. c. 1. & hinc magno conatu Gigantas a quibus olim inſula habitata fuit, adſerit, & ex fabuloſis narrationibus dudum exploſis, & oſſibus effoſſis, quæ belluarum eſſe ſæpe conſtitit, fidem his prodigiis facere tentat. Unde & impoſuit magno certe & eruditiſſimo Conringio, qui ejus auctoritate ſuam etiam ſententiam de Gigantibus, qui olim in Germania habitaſſe feruntur, firmare conatur in libro de antiquiſſimo Helmeſtadii ſtatu p. 12. Sed hoc argumentum excutere non eſt hujus temporis. Hoc animadvertimus, plurimos patriarum rerum ſcriptores, Gigantas fuiſſe conditores & primos gentis ſuæ homines, fingere. Vide Chiflerii Veſontionem P. I. c. 47. præcipue vero Commenta Tilladeti, quæ prodidere Academiæ Regiæ inſcriptionum & humanitatis ſtudiorum ſocii in Commentariis ſuis T. I. p. 154. riſum movere poterunt. Rectius de primis illis gigantibus diſſerit Keyslerus in Antiquitatibus ſeptentrionalibus Sect. II. c. 6.

tantis scilicet molibus viribusque haud indignas. His suffragantur Philosophi, qui ne temere fidem narratis habuisse videantur, ad rem confirmatam usu & experientia, atque omnium facile exponendam oculis provocant, atque dentes & ossa quæ variis in locis monstrantur, inspicere jubent tantæ magnitudinis certe, ut ea qui hominum crediderit, Gigantes in dubium vocare non possit. Ipsis denique Theologis quibusdam persuasit male intellectus Moysis sacri scriptoris locus Genes. VI. ut *Nephilim* de Gigantibus, quemadmodum *filios DEI* de Angelis interpretarentur, præeunte Græca versione & Enochi quod circumfertur volumine. Sed cum commentitii hujus Enochi nulla sit auctoritas, Moyses quos per Nephilim intelligat satis ipse declarat, alienos nimirum a pietate, cæterum potentes atque ætate illa celebratos, non proceritate staturæ immanes, Genes. VI. 4. *ἐκεῖνοι ἦσαν οἱ γίγαντες οἱ ἀπ' αἰῶνος, οἱ ἄνθρωποι ὀνομαστοί.* Sed de his fuse & erudite B. D. Jo. Benedictus Carpzovius in singulari de Gigantibus dissertatione Lipsiæ A. 1660. edita. Ossa autem illa vægrandia, & dentes quales a Lambecio T. VIII. Bibl. Vindob. p. 652. & Nesselio exhibentur descripti ære, & e terra interdum eruuntur, non hominum esse comperti sunt sed mammutorum & elephantorum, qua de re operæ pretium est consulere Petrum Gassendum in Peireskii vita ad 1613. Wilhelmi Ernesti Tentzelii *τοῦ μακαρίτου* Epistolam ad Magliabechium de sceleto elephantino Tonnæ effosso, editam Jenæ A. 1696 8. & quæ idem Tentzelius in dialogis vernaculis menstruis ejusdem anni p. 297. seq. & A. 1697. p. 18. seq. Jo. Baptista Scaramuccius in meditationibus familiaribus, atque ex illis Lud. Neocorus in Bibl. novorum librorum A. 1697. p. 364. nec non novissima Siberiæ descriptio Germanice edita p. 52. seq. & 89. & Jo. Bernhardus Muller de vita & moribus Ostiackorum, polo Arctico vicinorum p. 9. seq. (n)

(n) Sueton. Augusto c 72. *immanium belluarum ferarum membra prægrandia, quæ dicuntur Gigantum ossa.* Vide Hans Sloane of fossil teeth and bones of Elephants Philos Transact. n. 403. & 404. p. 457. sqq. 497. sqq. Abridgment T. VI. P. 3. p. 19. sqq H. Jones Abridgment. T. IV. P. 2. p. 222. 236. sqq. 245. Benj. Motte T. II. P. 2. p. 27. sqq. 349. sqq. 369. sqq. 103. sqq. 111. sqq. Memoires de l'Academ. Paris. 1727. p. 429. sqq. Histoire p. 1. sqq. Petersburgische Anmerckungen A 1730. p. 317. sqq von den Mamouts Knochen die in Siberien gegraben Philip. Jo. von Strahlenberg Nord und Oestlich Theil von Europa und Asia p. 393. sqq. Veråndertes Rußland p. 77. sq. 179. sq. Christiani Martini Nachricht von Rußland p. 171. sqq. Olaus Wormius p. 343. sq. Musei. Tho. Bartholinus Cent. I. hist. anatom. 98. Athanas. Kircherus T. II. Mundi subteranei

III. Non

III. Non negandum interim, fuisse quovis tempore homines (atque etiamnum reperiri subinde) qui consuetum staturæ humanæ modum, & sex vel septem pedum mensuram notabiliter excederent: qualis in sacris Ogus iste Basanitarum Regulus, sexcubitalis sive decem pedes cum dimidio altus, (o) & Goliathus sex cubitos & palmum statura sua æquans, (p) ne alia exempla congeram, omnium historiarum celebrata monumentis, & nostræ etiam ætatis usu comperta. (q) Illustria quædam ex priscis scriptoribus selegit vir doctissimus Theodorus Ryckius in Oratione de Gigantibus, quam Holstenii notis in Stephanum subjecit p. 482. Alia etiam huc facientia repetere licebit ex Rev. Viri Pauli Christiani Hilscheri commentatione erudita & amœna quam de vita Goliathi & Ogis, cum commentario in Psalmum suppostititium CLI. & Epistola de giganteis dentibus in lucem edidit, excusam Budissæ 1716. 4. Illud potius dignum inquisitione, quod apud laudatum Ryckium additur de integris gentibus proceritate majore quam humana alios super homines

p. 53. sqq. Mich. Mercatus p. 325. sqq. Metallothecæ. Hier. Magius Lib. I. Miscel. c. 2. Gigantologie, ou histoire de la grandeur des Geants, ou il est demontré que de toute ancienneté les plus grands homes & Geants n'ont été plus hauts que ceux de ce temps. Paris 1618. 8. sed & conf. Antigigantologie.

(o) Deuteron. III. 11. vide Maimonid. II 47. Doctoris Dubitantium.

(p) 1. Sam. XVII. 4.

(q) A. 1733. mense Junio vidi Hamburgi versantem *Danielem Cajanum* Cajanlburgensem Suecum, 9 pedum & 3 digitorum longitudine, qui rogatus a me, dixit, nec parentes nec fratres suos consuetum staturæ modum excedere. Judæus ἑπτάπηχυς, Eleazarus nomine, missus pro dono ad Tiberium ab Artabano Parthorum rege, teste Josepho XVIII. 4. 4. p. 882. Homo A. 1682. visus Dublini, of 7 foot, 7 inches. Philosophical Transact. n. 261. p. 501. Alii. 8. 9. 10. 11. pedum. vid Lowthorps Abridgment T. III. p. 6. sq. Cadaver 9 pedum longitudine repertum inter alia Reptonii in Derbensi provincia (Derbyshire) Philosoph. Transact. n. 400. p. 363. Frons & pars cranii vægrandis (44 inches round) Lowthorps Abridgm: T. III. p. 3. sq. Tho. Molineux Philos. Trans. n. 168. p. 880. n. 261. p. 487. Quod autem caput hominis repertum dolii magnitudine in Creta insula memorat Bzovius ad A. C. 1485. n. 24. fide Sabellici Ennead. nititur. Nec magis dixerim quid sentiendum sit de cadavere 20 pedum Thessalonicæ reperto, ut Auctor est du Mont, T. IV. Itinerarii p. 149. Id tamen prope exploratum est, naturam non defecisse, nec hodie pusillos magis nasci homines quam olim. Vid. Acta Lips. Academica I. p. 14. sqq. Plura exempla collecta a Wilh. Whistono, collection of authentik records p. 872. sqq.

longe eminentibus. Sed Ryckii verba apponere juvat: *Transeo ad integras gentes.* (r) *De Basanitis res clara est atque indubitata propter auctoritatem sacram: insuper Josephus Flavius* (s) *suo tempore eorum ossa adhuc durasse testatur. Non adducam hic Onesicritum* (t) *qui in locis Indiæ, ubi umbræ non sunt, staturam hominum quinum quondam cubitorum cum duobus palmis fuisse retulit, non Craetetem Pergamenum* (u) *qui Æthiopes Syrbotas ad duodecim pedes crescere tradit. Quoniam hujusmodi narrationes felix nostri temporis experientia redarguit; qua cognitum, ab ea aequinoctialis circuli parte, qua meridiem respicit, hominum staturam eodem se habere modo, quo sub hac septemtrionali deprehenditur.; nempe, ut quo longius a medietate discedas, cis Laponiam tamen & paris latitudinis regiones, in homines incidas proceriores. Scilicet quoniam nativus calor, unde corporum proceritas pendere creditur, intensior est sub frigido, quam calido cœlo viventibus. Hinc Germani uti olim sic hodie, quo magis septemtrionem adspiciunt, plerumque statura eminentiores sunt. Et in hac patria nostra superiori seculo cum admiratione spectatus est Nicolaus quidam Kithenius, Spernerwoudæ natus, octo pedes Rhenolandicos cum sex unciis altus.* (x) *Ipsi vero vidimus piscatorem Leckerkerkanum, licet integro ferme*

(r) De Insularum Marianarum incolis Gemellus Carreri T. V. itineris per orbem terrarum p. 298. Les habitans de ces Isles sont tous d' une figure gigantesque, de grosse corpulence & d'une grande force, enlevant sur leurs epaules un poids de 500 livres come si ce n'etoit rien. Plura in Frezierii relation du voyage de la Mer du Sud p. 148. sqq. vid. & Mem. de Trev. 1717. p. 283. Quicquid hujus sit, sunt arbores quædam solitis proceriores non diversi tamen generis; Sunt equi & canes longe grandiores longe minores illis quales esse communiter solent, ejusdem tamen generis. Ita quoque de hominibus censendum puto.

(s) I. 5. Antiq. c. 2.

(t) Ex Plinio I. 7. c. 2. qui Onesicritus omnium Alexandri scriptorum maxime fabulosus teste Strabone I. 15. p. 698. Hunc Arrianus I. 6. p. 124. Alexandri Ἀρχικυβερνήτην fuisse & per mendacium appellasse se ejus Νέαρχον ait.

(u) Ex Plinio d. l. & Solino c. 33.

(x) Juxta mensuram, quæ in parietinis templi *Spernerwoudani*, duobus lateribus notata est, latissimam ulnarum ejus extensionem exhibentem, quam ipse octo pedes Rhenolandicos cum dimidio longam esse deprehendi superiore æstate, cum Harlemi, unde *Spernerwouda*, indies deficiens pagus, leuca fere horaria distat, visitandorum amicorum caussa degerem. Quod si enim quanta maxima ulnarum extensio tanta sit hominis statura, consequens Nicolaum hunc octo pedes Rhenolandicos cum sex unciis fuisse altum. Meminit Hadrianus Junius Batav. p. 38. *Hæc Ryckius* l. c.

pede

pede minorem, quocumque incederet, ingentes facere concursus. Et ne putetis intra Germaniam hanc corporum celsitudinem claudi, Hector Boëthius rerumque Scoticarum scriptores quemdam Joannem, a contrario Pusillum cognominatum, in extremæ Scotiæ insula sepultum implevisse scribunt statura pedes quatuordecim. Et ultra Tanaim amnem colentium Scytharum neminem adeo humilem esse, ut humeri ejus non possent Macedonis militis verticem æquare, apud Curtium (y) *Bessus clamitat. Denique Polonia nuper Maximiliano Secundo Martinum dedit Wierwskium totos octo pedes implentem.*

Similiter meridiem versus trans æquinoctialem lineam superiore seculo Patagones, pari ab ea latitudine qua Germani distantes, non modo superare Germanorum longitudinem cum stupore deprehensi sunt, sed ipsius etiam Ogi implere vel excedere. Et ne putetis me fabulas narrare, adducam ex diariis diversarum Navigationum in hanc rem testimonia. Quæ cum singula affirmatione nitantur omnium navigantium, non minorem quam acta publica fidem mereri videntur.

Primus in hos incidit superioris seculi (XVI.) *anno nono decimo Ferdinandus Magallanes, a cujus nomine novi orbis regio ad meridiem simul cum freto invenit nomen. Scribit Antonius Pigafetta, Diarii Magallanici auctor, cum in portu S. Juliani, quem sub latitudine ponit australi graduum novem & quadraginta cum dimidio, hibernarent, & nusquam homines viderent, quodam die ex improviso, quasi cœlo delapsum ad portum appropinquasse virum statura gigantea, saltantem & cantantem, pulveremque in pacis ut credebant signum capiti injicientem. Mox cum idem Præfecti jussu ab Hispanis factum esset, accessisse gigantem propius attonitum plane atque stupentem, uti ex iteratis digiti ejus erectionibus aliisque signis colligebant. Hunc tam fuisse altum, ut Hispani cincturam ejus non attingerent, facie immensa, flavo colore cum in circuitu tum circum oculos picta fucataque, utrique etiam male cordis impressa imagine, capillis albescentibus, vestitum pellibus, armatum arcu. Hic cum amice atque hospitaliter ab Hispanis fuisset exceptus & dimissus, plures mox ex ista gente in conspectum dedisse se, similis staturæ homines,* (z) *ex quibus tandem duos secum abduxerint, qui postquam calidius cœlum attigissent, inter navigandum mortui sint. Nomen autem* Patagonum *tunc a Magallane huic populo impositum. Fuit*

(y) l. 7. c. 4.

(z) Voyage de Mr. Frezier p. 148. seq. Amst. 1712. 12.

Magal-

Magallanes nobili domo in Lusitania oriundus, cumque diu Alburquercii ductu in orientali India meruisset, & in patriam redux ab Emanuele Rege negligeretur, ad Carolum Quintum se recepit; eique persuasit insulas Moluccas juxta Alexandri Sexti Papæ divisionem pertinere ad Castella provincias, impetratisque a Cæsare quinque navibus, ad illas occupandas via hactenus invia profectus est. Sed in ipso conatu, dum unam (a) *ex istis expugnare cupit, interfectus est. Ceterum Herrera repetitam ab Hispanis navigationem hanc post quinque a priore annos, visosque etiam istic eosdem gigantes scribit. Idem deinceps Angli sub inclyto suo Francisco Draco, & rursus sub Thoma Candisio; tandemque etiam nostri sub diversis Præfectis experti sunt. Sebaldus Weertius, qui cum quinque navibus in superioris seculi fine Roterodamo solvit, testatur in Viridi Sinu, quomodo vocat stationem in ipso Magallanico freto navibus opportunam ab introitu ejus orientali unam & viginti leucas dissitam, se non modo vidisse septem navigia hominibus repleta decem aut undecim pedes longis, verum & ferro vitam cernere cum iisdem coactum. Cum vero nostri pugna & armorum genere vincerent, gigantes fugisse in terram, ibique sola bracchiorum vi extraxisse plurimas arbores, quarum densitas e longinquo spithamam capere videretur, ad se contra nostrorum ictus, qui eminus bombardis inferebantur, obvallandos. Oliverus Nortius, qui eodem anno sed aliquot post Sebaldum mensibus eodem Texelia cursum fecit, scribit se intellexisse e captivo istius tractus barbaro, quem linguam nostram docuerant, gigantes,* Patagones *a Magallane,* Tirimenas *ab indigenis vocitatos, barbarorum omnium vastissimos, ac decem atque undecim pedes in altum sese exserere. Jacobus Mairius, quo novum fretum Magallanico meridionalius ex hoc oceano in illud, quod Pacificum dicitur, repertum, nomen sumpsit, qui anno hujus seculi quinto decimo Texelia pariter vela fecit, scribit, cum in Portu Desiderato, quem ab altero media linea latere septem & quadraginta gradus cum dimidio circiter dissitum observavit, ad anchoras staret, & partim aquas dulces partim incolas terra investigatum quotidie mitteret, invenisse in altissimis montibus lapidum acervos, & cum quid illi vellent non intelligerent, more ingenii humani incognita pervestigantis disjectos a suis lapidibus ac dissipatos, inventasque sub illis larvas nudis ossibus cohærentes decem aut undecim pedes longas.*

Non addit an detraxerint de his ossibus aliqua, sed detracta fuisse plusquam verisimile est. Et forte illud os frontale admirandæ magnitudinis, quod

(a) Nomine *Scbu.*

in

in medico hujus adis (b) *auditorio adservatur, inde ad nos perlatum est. Hujus ambitus continet uncias sex & viginti, cum in majoribus hominum nostra terra craniis idem illud os vix sedecim adimpleat. Ab intercilio praterea ad brechmatis concursum pollices habet novem, cum in vulgaribus tantum quinque reperiantur. Unde si proportionis constitit ratio, eum cujus capiti os istud quondam cohasit, decem pedibus aliquanto majorem fuisse necesse est. Os autem femur, quod in Anatomico Theatro ostenditur, duos Rhenolandicos pedes longum, non est quod tam peregre arcessamus; cum homines octo & paullo amplius pedum, qua fere statura fuit, cujus sunt ista reliquia, in his terris subinde reperiri ante probaverimus.*

Ceterum Magallanicorum proceritatis fama jam olim ad hunc orbem perlata ostendit, qua de Atlantici maris insula a Pœnis quondam reperta & magna cautione celata nonnulli veteres retulerunt, haudquaquam fabulis annumeranda. Certe Ælianus (c) *ex Theopompo scribit Silenum Mida regi narravisse, extra hunc mundum alium continentem esse, in quo homines habitarent duplo nobis majores.*

IV. Hæc etsi pluscula, adponenda tamen duxi, ut quæ hoc in genere in medium afferuntur simillima veri, cognoscere uno conspectu liceret, & simul annotare nihil in illis omnibus esse, quod diversam ab aliis hominibus proceriorum cæteris hominum originem evincat. Deinde negari non potest augeri pleraque in majus a narrantibus vel in terrorem, uti fecerunt exploratores ab Israëlitis emissi, quorum hæc exstat vox Num. XIII. 32. *Nequaquam adversus hunc populum possumus in aciem procedere - - terra quam lustravimus devorat habitatores suos: populus quem adspeximus, pocera statura est. Ibi vidimus monstra quadam filiorum Enac de genere giganteo, quibus comparati, quasi locusta videbamur.* Vel ut mirum aliquid aut suis gloriosum possint commemorare, ut Saxo & alii rerum septentrionalium scriptores (d) immania corpora & vægrandes artus pristinis illarum regionum cul-

(b) Lugduni Batavorum.

(c) l. 3. V. H. c. 18.

(d) Confer Rudbeckii Atlantic. T. 3. p. 247. seq. Haraldum Vallerium in diss. de varia hominum forma externa p. 10. seq. Upsal. 1705. 4. Conringium de habitus corporum German. causis p. 9. seq. & Jo. Phil. Burggravium ad illum Conringii lib. p. 61. sqq. 131. sqq. De Gigantibus Septentrionalibus adi etiam Thormodum

toribus tribuere non dubitarunt, ſuccinentes decantatæ Poëtarum fabellæ, quam ſi audias, præ priſcis illis

Terra malos homines nunc educat atque puſillos.

Vel pro Gigantea ſtatura jactari, & gentibus integris tribui quæ in uno vel altero obſervata ſunt, aut quæ paululum ſupra communem ac mediocrem habitum corporum eminuere, & a victu cæteraque vivendi ratione, non a diverſæ originis majoribus tota dependent, atque ideo diverſis temporibus in eadem gente longe ſunt diverſa, quemadmodum majoribus noſtris Germanis Cæſar ingentem magnitudinem corporum lib. 1. de bello Gallico c. 39. & alibi immanem corporum magnitudinem tribuit, qualem tamen diverſæ ab Adamo origini non deberi ſatis docet, quod ut notat Columella III. 8. *natura alias quoque gentes non in totum fraudavit ſtatura præcipua viris, nam & M. Tullius Cicero teſtis eſt Romanum fuiſſe civem Nevium Pollionem pede longiorem quam quemquam longiſſimum, & nuper ipſi videre potuimus in apparatu pompæ Circenſium ludorum, Judææ gentis hominem proceriorem celſiſſimo Germano.* Cauſas non obſervandæ ſimiliter hodie in Germanis noſtris illius tam frequentis proceritatis, quam in majoribus noſtris poſt Cæſarem Mela, Tacitus, Juvenalis, aliique pridem ſunt admirati, ſingulari libro jam tertium excuſo Helmſtadii 1666. 4. accurate inquiſivit Hermannus Conringius, qui cum ſtaturæ brevitate ipſe infra mediocres eſſet, idem ingenio, doctrina & meritis in literas longe ſupra præſtantiſſimos emicuit. Hic fontes

Torfæum T. I. Norwagiæ p. 113. ſqq. Perſis corporum magnitudinem tribuit Juſtinus XI. 13. Celſioris ſtaturæ Galli pene omnes dicuntur Ammiano XV. 12. De Gigantibus Britanniæ incolis Jo. Ge. Keysler p. 209. ſqq. Antiquitatt. Septentrional. Cæterum generatim de Gigantibus conf. Arturi Bedford append. de ſtatura hominum ante diluvianor. ad calcem operis anglice editi Lond. 1730. fol. the Scripture Chronologie demonſtrated. Auguſtini Calmet Diſſ. ſur les Geants T. I. p. 22. ſqq. ante Comm. in Geneſ. Mem. de Trev. 1723. p. 20. ſqq. Jo. Caſſanium lib. de Gigantibus. Galeria di Minerva T. VI. p. 68. Tho. Molineux Diſſ. ſur les Geans. Mem. de Trev. 1701. II. p. 324. Mahudelli Diſſ. ſur la taille des Geans. Mem. de Trev. 1724. p. 1844. ſqq. Gigantologie ou hiſtoire de la Grandeur des Geants, ou il eſt demonſtré, que de toute ancienneté les plus grands hommes & geants n'ont été plus hauts que ceux de ce temps, Paris 1618. 8. Antigigantologie ou Contrediſcours de la Grandeur des Geants par Nic. Hadicot ib. 1618. 8. Adde Giornale di Roma 1676. p. 79. ſqq. H. Gautier Bibl. des Philoſophes T. I. p. 587. ſqq. Tilladet, Hiſt. de l'Acad. des belles lettres T. I. p. 152 ſqq. Dan. Guil. Molleri Diſſ. de Gigantibus. Altorf 1698. 4. Pauli it. Frid. Opitii Kil. 1715. Happelii Relatt. T. II. p. 93. ſqq.

potiſſi-

potiſſimos decrementi & brevitatis ac teneritudinis corporum ponit in educatione rationeque vivendi priſcæ prorſus oppoſita & delicatiore, & per caloris nimium ſtudium, exercitationumque fugam fracta, perque Venerem properatam & Bacchum corrupta: cum veteres Germani frigori & laboribus aſſueti eſſent a teneris, de cætero parum ſollicitam vitam ducerent, exercitatione corpus firmarent, lacticiniis viverent, a venere & vino abſtinentes eſſent. Poteſt etiam fieri ut priſcorum Germanorum ſtaturam Romanorum oculis majorem quam erat obtulerint & horrificaverint quibus uſi illi ſunt tegumenta ferarum & exuviæ, belluarumque rictus, quibus capita induebant.

V. Contraria Gigantibus eſt Pygmæorum ratio, (e) de quibus utut plurima fabuloſa memoriæ prodita a multis fuiſſe fateor, nihil tamen certius quam dari non modo depreſſioris ſtaturæ homines, quales Lappones ajunt eſſe pleroſque, atque quales ubique omnibus gentibus permixti paſſim reperiuntur: ſed etiam reperiri interdum vere nanos ac pumiliones, nec majore longitudine quam duorum vel trium pedum. Rariores tamen hi ſunt, & quodam materiæ vel formatricis naturæ vitio in hanc parvitatem contracti, nullum argumentum præbent de prima ſtirpe originaria ab Adamo diverſa, ſed tantum de defectu qui in proximis fuit parentibus, teſtantur, perinde ut patrum tenues referunt jejunia nati. Nihil in hoc quidem genere celebrius noſtra memoria novi quam nuptias illas ſolennes, quibus A. 1710. die 11. Novemb. Petroburgi connubio jungi pygmæum cum pygmæa (f) juſſit po-

(e) Vulcani ſimulacrum Pygmæus, ap. Herodot. III. 37. ut Cabiri, filii Vulcani, pygmæi, ἄνδρες μικροὶ μετρίων ἐλάσσονες ἀνδρῶν in Africa, χρώματι μέλανες, ap. Herodot. II. 32. Syri quinquecubitalis & Ægyptii non excedentis magnitudinem perdicis, qui tamen voce & judicio valuerit atque ultra viginti vixerit annos, mentio ap. Philoſtorgium. X. 11. Nanus Auguſti L. Itius ap. Sueton. c. 43. Conf. Job. Ludolfum Comment. ad hiſt. Æthiop. p. 69. ſqq. Kircheri Prodromum Coptum p. 94. ſqq. Jo. Laur. Moshemii Diſſ. de pygmæis Æthiopiæ populis Kil. 1721. recuſam 1727. cum diſſ. de ſtatura corporum beatorum contra Bern. Connor. Steph. Clerici quæſt. 7. p. 350. ſqq. Aldrovandum in monſtror. hiſtoria. Buxt. Lexico Talm. p. 1351. in ϊαvος, Fullerum VI. 3. Miſc. Abbatis Bannierii Diſſ. ſur les pygmées, T. V. memoriar. Academiæ Inſcriptionum Regiæ Paris. Tho. Brown errores populares Lib. IV. c. 11. p. 748. ſqq. Taceo virunculos metallicos ſ. Cobalos, de quibus vid. Kircheri Prodromum Coptum. p. 95. Caſp. Poſneri Diſſ. Jen. 1662. 4. & Jo. Henr. Rumpelii. Lipſ. 1672.

(f) Die denckwürdige Zwerg-Hochzeit beſchrieben in H. G. exacter relation von Petersburg Lipſ. 1713. 8. pag. 102. ſeq.

tentiſſimus Ruſſorum Imperator, conquiſitis undique & partem per ducenta milliaria advectis pumilionibus & nanis utriusque ſexus aliis, duobus & ſeptuaginta, qui huic ſolennitati præſentes intereſſent. De pugna pygmæorum & gruum perdicumque quæ apud Homerum & multos juniores v. g. Athenæum. IX. 390. leguntur, alii fabulas legere ſe meras exiſtimant, ut cum Strabone Cardanus VIII. 40. de varietate rerum, & nuper G. Albert. Anthingius diſſ. erudita de fabuloſa pygmæorum gente, Wittenb. 1710. 4. alii cum Olao Rudbeckio T. 3. Atlanticæ c. 10. p. 189. ſeq. habent pro hyperbolica deſcriptione eorum quæ fiunt a Lapponibus aves venantibus, earumque ova in montium cavernis poſita colligentibus, ut Joannes Esbergius in diſſ. de pygmæis edita Upſaliæ 1703. 8. & Haraldus Vallerius in diſſ. de varia hominum forma externa Upſal. 1705. 4. Alii denique allegoricam narrationem de bello Megarenſium populorum Pagæorum cum Geraneis & Tripodiſciis interpretantur, ut Vir ingenio & eruditione præſtans Hermannus ab Hardt, in detecta mythologia Græcorum, quo in libro edito Goslariæ 1716. 8. etiam adverſus Caſparis Bartholini opusculum de pygmæis vulgatum Hafniæ 1628. 8. ejusque caput 2. diſputat, Gammadim apud Ezechielem Prophetam XXVII. 11. non eſſe cubitales pygmæos, ſed Megiddonenſes Doritis vicinos Cananæos ad montem Carmelum, pro quibus Gammadenſes Phœniciæ apud Ezechielem intelligi malit laudatus Anthingius.

VI. Illud tamen exploratæ veritatis, gentes integras pygmæorum, quales fabulati ſunt quidam, (g) non dari, licet pro diverſitate climatis frequentiores alibi ſint brevioris ſtaturæ homines. (h) Quemadmodum vero hos nemo ſanus dixerit non potuiſſe naſci ab iisdem majoribus a quibus alii juſtæ vel longioris ſtaturæ mortales proficiſcuntur: ita nec quod pumiliones quandoque ſeſe nobis offerunt, cogitandum erit eos diverſo protoplaſto originem debere. Quotidie certe videmus diſſimiles patentibus liberos generari

(g) Propugnat eas gentes Ant. Paulini im curieuſen Cabinet ausländiſcher Merckwürdigkeiten p. 487. ſqq.

(h) Le Spectacle de la Nat. T. I. p. 528. *Les enfans d'un enorme Pruſſien tranſportés en Lapponie, ne manqueront pas après quelques generations de ſe ſentir peu a peu de l'impreſſion dominante, de prendre la conſiſtance uniforme du climat, ſans changer d'avantage, & deviendront des Lapons.*

ut

ut forma & moribus ſic ſtatura quoque: & ſicut longuriones exceſſu, ſic nanos prodire defectu quodam materiæ vel naturæ virium interceptione. (i)

VII. Difficilius videtur expeditu, quomodo, ſi ater fuit aut albus Adamus, ex nigro candidi, ex albo atri procreari potuerint. (k) Hinc quoque eſt factum, quod ſupra p. 9. memini, ut non defuerint qui ſaltim duplices primum a DEO conditos eſſe homines, nigros & albos haud dubitarent. Sed ſicut Æthiopes nigram genituram emittere falſo traditum ab Herodoto III. 101. (l) jam confutavit Ariſtoteles III. 22. hiſtoriæ animalium & lib. 2. de generatione animal. c. 2. ſic primum hominem fuiſſe nigrum a DEO conditum, nec Moyſis narrationi conſentaneum eſt, nec ſitui paradiſi, nec naturæ corporis humani fortaſſe, quod multis ex cauſis nigrorem contrahit, ſed ex perfecte nigro candidum vel non fit plane, vel in propagatione demum ex connubio cum candidis paullatim ſuccedit. Noſtro autem inſtituto jam ſufficit demonſtrare, quomodo ex primis parentibus, quos candidos creatos eſſe, Moyſi Judæos (qui minime nigritæ ſunt,) ab illis derivanti credimus, nigri prodire potuerint. Diſtinguendum vero ante omnia duplex genus nigroris

(i) Etiam inuncta in tenellis ſpina dorſi certo adipis genere ex glire, veſpertilione & talpa, vel ut in catellis faciunt, ſpiritu vini, pumiliones fieri traditum eſt. Vide Jo. Phil. Burggravii notas ad Conringii lib. de cauſis habitus corporum Germanor. p. 266. ſq.

(k) De nigritiei Æthiopum cauſis vide Diarium Belgicum Boekſaal. A. 1706. menſe Jul. & Aug. p. 104 ſqq. Jo. Jac. Waldſchmidii Diſſ. de colore Æthiopum, inter ejus Diſſ Marp. 1707. 8. Jo. Val. Merbitzium de varietate faciei humanæ Dresd. 1676. 4. Jo. Veslingii Equitis Mindani Diſſ. de pullitie Ægyptior. edita cum Tho. Bartholino de inſolitis partus viis. Hafn. 1664. 8. ſed quæ ab Auctore affecta tantum relicta eſt, ut docet Jo. Rhodius epiſt. ad Nic. Heinſium, T. V. Sylloges Burmannianæ p. 451. Adde de Æthiopum colore, Labat. T. II. Afrique p. 254. ſqq. qui etiam p. 257. ſqq. diſputat contra P. A qui, execrationi Caini originem nigroris adſcribit, diluvium autem negat fuiſſe univerſale, Caini poſteris ab eo exemtis, cum tamen illius traditionem in America invenerint qui primi eam ex Europa adiere. p 262. Neque Canaanis poſteri nigri fuerunt in Palæſtina. vide & Jo. Conr. Schwartzii commentationem de unica humani generis ſtirpe Adamo, in ejus Miſcellaneis Theol. p. 309. ſqq. H. Gautier Bibl. des Philoſophes. T. I. p. 597. ſqq. A diverſitate formæ Adami & Evæ, & trium Noachi filiorum, varietatem hominum repetit Edmundus Guiotus, dans le nouveau Syſteme du Microcoſme Hiſt. lit. de l'Europe 1727. Maj. p. 45. ſqq.

(l) De ſemine & lacte nigro Mauſſacus p. 1242. ad Ariſtotelis Hiſt. Animal.

in hominibus, quorum alterum gradus varios admittit & fuſcum fere colorem lividumve gilvum ac luridum refert. (m) Alterum genus nigroris eſt perfectioris, conjunctique cum nitore argentei ſplendoris æmulo, qualis in Æthiopibus obſervatur, qui tanto pulchriores habentur quo atriores ſunt, cum illorum judicio quoque niger color perinde ut apud nos candidus in deliciis & honore eſſe ſoleat. (n)

VIII. Si vero examinentur accuratius, etiam horum utrumque atroris genus non obſtat, quo minus ab unis iisdemque protoplaſtis ambo proficiſcantur, neque alium quam Noachum vel ſi ultra diluvium aſcendamus, Adamum auctorem ac parentem ſuum primum etiam nigri agnoſcant. De priore genere minus eſt dubium, & facile aliquis aſſentietur Theodorito qui lib. VII. de providentia (o) illam coloris in cute diverſitatem ſolaribus radiis diverſimode in diverſo climate aërem ferientibus tribuit. Et Plinius VI. 19. *a Gange verſa ad meridiem plaga tinguntur ſole populi, jam quidem infecti, nendum tamen Æthiopum modo exuſti, quantum ad Indum accedunt, tantum colore*

(m) *Meſtis* ou *Mulâtres* dicuntur nati ex albo & nigra, vel ex nigro albaque: *Griffes* ex Mulatto & nigra, vel ex nigro & mulatra: *Caſques* ex Mulatto & Mulatra. vid. Hiſt. de l'Academ. des Sciences 1724. p. 24. ſq. ſur les changements de couleur qui arrivent aux Mulatres qui s'allient a des blanches ou a des noires. Adde Labat Voyage aux Isles Françoiſes d'Amerique. T. II. p. 120. *Mameloucs*, nés des Blancs Europeens & ſauvageſſes Americaines ou des Sauvages & Blanches; *Creolles*, *Criolles* nés en Amerique de parens Europeens. Voyages de Rob. Boyle, T. II. p. 92.

(n) In Inſola Gorea le blanc eſt la couleur des Diables, & les habitans comptent parmi les prerogatives de leur Nation d'eſtre les peuples les plus noirs de l'Afrique. Il eſt certain que cette couleur ne rend point deſagreable, quand c'eſt un noir d'Ebene bien profond & bien eclatant, come ils l'ont effectivement preſque tous. Lettres edifiantes, T. III. p. 49. Xenophanes apud Theodoretum III. Therapeut. p. 49. ridet homines, *atra* alibi, alibi *candida*, vel *glauca* & *rubicunda* dedicantes & colentes Numinum idola.

(o) T. IV. Opp. p. 397. Hyginus fab. 154. Indi, quod colore vicini ignis, ſanguis in atrum colorem verſus eſt, nigri ſunt facti. Herodotus. II. 22. οἱ ἄνθρωποι ὑπὸ τοῦ καύματος μέλανες ἐόντες. Vid. & Origen. IV. 2. περὶ ἀρχῶν, Auctorem quæſtionum ad Antiochum qu. 123. T. III. Athanaſ. p. 297. Georgium Piſidem Coſmurgice v. 292. Prudentii Hamartigeniam p. 499. & ad eum loc. Weitzium p. 669. plura ap. elegantiſſimum Broekhuſium ad hæc Propertii IV, 3. 10. *Uſtus & Eoo decolor Indus equo.* p. 396. edit. ſecundæ.

præſe-

præferunt fidus, five nigriores funt. Solinus cap. 52. *Indo flumini proximantes, verfa ad meridiem plaga, ultra alios torrent calore: denique vim fideris prodit hominum color.* Lucanus X. 221.

- - - - teftis tibi fole perufti
Ipfe color populi - - - -

Unde etiam eos qui domi fe continent, minus nigrorem contrahere notat Thomas Hyde in notis ad Petitfolii itinera p. 48. quia minus figunt in cute folem. Neque ab æftu folis tantum, fed a frigore urente etiam provenire poffe fufcum luridumque in cute colorem, & teftatur experientia, & jam olim notavit Hippocrates in libro de aëre, locis & aquis. c. 48. T. I. p. 356. Perfectiorem autem, & qualis Æthiopum eft profundum ac faturum nigrorem nolim cum Jo. Ludovico Hannemanno in fcrutinio nigredinis pofterorum Cham, ab imprecatione Noachi arceffere, neque folis adfcribere folaribus radiis: quam pofteriorem fententiam a Conringio §. 94. libri de habitu corpor. Germanor. & Jo. Ovingtono itinere in Suratam c. 13. utramque non inficiandis argumentis confutatam novi ab eruditiffimo Viro Jo. Nicolao Pechlino in libro de habitu & colore Æthiopum, quem Kilonii A. 1677. 8. edidit & Carolo Drelincurtio infcripfit: nec non a Thoma Brownio, qui in libro fexto pfeudodoxiæ epidemicæ cap. 10. & 11. erroribus illas vulgaribus adfcripfit. Explorata porro effe certisque argumentis conftare puto hæc duo: (1) alimenta & aquas & quo vefcimur aërem non minus quam folis radios vel uftionem frigoris conferre poffe ad alterandum corpus & colorem inducendum nigrum, atque ut acute Brownius c. 12. docet, vitrioli vegetabilis virtutem etiam in corpore hominis & in texto reticulari fub cuticula exferere. Adde quæ de urina nigra notant Acta Nat. Cur. Decad. II. an. 2. p. 132. fqq. (p)

(p) Incolar. Infulæ Barbados fanguinem nigrum notat Lifterus. Philof. Tranfact. n. 117. p. 400. Infans niger natus ex matre candida, avo, aviaque nigris. Labat. T. V. Afrique p. 147. Candida ex nigris, patre & matre, & nupta nigro, nigrorum mater. T. II. p. 268. Æthiops fanus, candidis majoribus maculis adfperfus. Wil. Byrd n. 235. Philof. Tranfact. p. 781. Lowthorps abridgment. T. III. p. 8. Natus ex Æthiope & alba, candido cætero corpore nigris genitalibus. Bartholin IV. 5. hift. Anatom. Vide Chriftoph. Pylii Diff. de Æthiopibus albis in Mifcell. Lipf. T. V. p. 116. fqq. Fœtus niger a matre pulvere pyrio adufta, Acta Nat. Cur. II. 6. p. 39. & ap. Schurigium in Embryologia p. 198. fq.. Nigri in facie ex fuppreffione fanguinis, Philof. Tranf. n. 323. Benj. Motte abridgment. T. I. P. II. p. 16. fq. Caufam nigroris in Epidermide non in pelle Pechlinus, Riolanus; in reticulo inter pellem & epiderma Anatomici Acad. Parif. quærunt. Vid. Labat. T. II. Afrique p. 265.

(2) Per

(2) Per longas generationum successiones demum esse factum, ut a candidissimo colore ad perfecte nigrum natura descenderit, donec tandem ita confirmatus ille hæsit in corpore, hæretque, ut cum sanguine ipso virtus illa ad materiam nigroris efficiendam etiam in posteros propagetur. Unde minus mirum etiam videtur, Judæorum, oram Malabaricam inhabitantium majorem partem, nigrum colorem qualis est Æthiopum induisse, at paucos quosdam, quorum majores scilicet tardius illo delati sunt, album qualem a primo ortu habuere ipsorum primi gentis parentes, vel albo proprius accedentem retinuisse, ut traditur a Phil. Baldæo p. 112. itineris Malabarici, & ab auctore Epistolæ ante paucos annos ex India in Belgium transmissæ, cujus argumentum Ludolphus Kusterus in sua novorum librorum Bibliotheca A. MDCXCVIII. p. 871. uberius retulit.

IX. Quanta porro & quam admiranda vis sit climatis, quanta nutrimenti efficacia in plantas (q) & in animalia, ad formam aliam aliudque ingenium illis ingenerandum: quod omnium naturæ ruspatorum suffragiis testatum & experimentis infinitis certum ac constans, nolo pluribus exponere. Nemo enim nescit plantas easdem sub alio excultas sole longe alias fieri, animalia in aliis terris alio nutritas pastu longe alium induere habitum, aliamque formam præ se ferre, insecta eadem diversis sub eodem cœlo innutrita plantis diversam formam ac naturam nancisci. Quid quod diversum clima, sive ut vocat Columella, diversa orbis terrarum *declinatio*, & diversum cœlum non mediocrem sæpe animis ipsis per corporum conjunctionem diversitatem inducit, & licet verissimum, rarius tamen est magna ingenia crasso etiam sub aëre & vervecum in patria nasci, unde Vitruvius lib. VI. cap. 1. ait *propter tenuitatem cœli, meridianas nationes ex acuto fervore, mente expeditius celeriusque moveri ad consiliorum cogitationes: septentrionales autem gentes infusas crassitudine cœli, propter obstantiam aëris humore refrigeratas stupentes habere mentes.*

(q) De plantis Rajus T. I. p. 42. sq. 50. Anton. le Grand Institutt. Philos. Parte VII. c. 11. E diverso cultorum neglectu aut soli vitio plantæ fiunt degeneres & in alias transmutantur, sic triticum in lolium, ocimum in serpillum, sisymbrium in mentham, hordeum in avenam vertuntur. vide Jo. Bapt. Triumfettum Observatt. de ortu & vegetatione plantar. p. 60. sq. & Mr. du Hamel dans les Memoires de l'Academ. de Paris 1728. sqq. sur les causes de la multiplication ou variation des especes de fruits. Hist. p. 63 sqq. Hinc puto responderi posse ad ea quæ objiciuntur in Baronis de la Hotan itinere epist. 24. vid. History of the Works of the leatued 1703. p. 75. sqq.

Quid

Quid igitur in his omnibus, etiam illa colorum quæ observatur in hominibus diversitate, vel formæ discrepantia habitusque corporum reperitur, quod diversam & non ab Adamo origiuem arguat, necessariaque consecutione evincat?

CAPUT V.

DE IIS QUÆ A MORIBUS ET INSTITUTIS HUMANIS PROFICISCUNTUR.

I.

Superest ut paucis illam quoque diversitatem formæ in hominum facie habituque corporum perstringam, quæ non naturæ, sed moribus & institutis humanis debetur, adeoque minorem etiam quam priora speciem præbere potest ut ad diversos exinde protoplastos, & non ad stirpem ultimam unicamque generis humani Adamum ab iis recurrere sit necesse.

II. Frequens in veteribus monumentis memoria Pictorum, qui faciem pinxere coloribus, (r) ut quales Arii tinctis corporibus apud Tacitum: vel qui Thulem incoluere, & Caledoniam Britanniæ provinciam. Vide si placet Sirmondum ad Sidonii carmen VII. T. 1. Opp. 1199. & Cellarii τῦ μακαρίτȣ Geographiam antiquam T. 1. p. 438. Nec desunt qui Pictones Galliæ & Pictavos ab pigmentis ejusmodi nomen tulisse existimant. Solinus c. 25. Isido-

(r) Huc refer Agathyrsos ap. Melam II. 12. & Plin IV. 12. Assyrios ap. Lucian. de Dea Syria. Thracum fœminas ap. Herodot. V. 6. Mossynos ap. Melam I. 19. & Plin. VI. 4. Hipporeas ap. Plin. VI. 30. Scythas ap. Ammian. XXXI. 2. De vitro herba qua Britanni totum corpus inficiebant Salmas. ad Solin. p. 254. ubi & p. 258. b. ostendit, formas animalium incorporari & inscribi στίζεσαι jam pueris. Plura dabit id. Salmas. ad Solin. p. 188. sq. Nostra ætate Americani pinguntur figuris, vid. Acta Academica Lipsiensium I. p. 86. Lafitau T. II. p. 38. sqq. Diss. sur les peuples d'Amerique, c. 7. T. III. Americæ f. 169. 113. 114. T. II. p. 13. T. I. post iconem XXIII. Idem factitant Afri. vid. Dappers Africa p. 31. 169. 86. sq. de Tungusiis Adam Brandts Reisen p. 95, ungues rubro colore inficiunt mulieres Tartaricæ, herba *Kna*, teste Strahlenbergio im Nordöstlichem Theil von Europa und Asia. p. 359. Caraibæ se rubro inficiunt quotidie ut cancris elixis similem colorem referant. Journ. literaire T. XII. P. II. p. 248. non cultus tantummodo causa, sed ut ab æstu solis & ab insectorum morsu se facilius tueantur.

rus XIX. 23. Et longe plura hujus generis afferre liceret, si vellem describere quæ erudito & amœno studio collecta exposuit Olaus Rudbeckius filius in libro de borith fullonum p 53. ff. & Clariss. David Theodorus Lehmannus in dissertatione quam inscripsit de orbe picto, seu de Gentibus pulchritudinem affectantibus per fucum & picturam, vulgavitque Witebergæ 1711. 4. Quis vero nostrum ignorat Cingarorum squalorem luridasque facies, quas qui a natura datas sibi persuaserit, haud dubie erraverit. Illos in Germania (Seb. Munstero teste) primum visos A. 1417. a Tartaris Circassiis repetivere aliqui, alii a Bohemis Hussitis, clarissimus Wagenseilius (s) verisimilius ni fallor a Judæis: utique nemo fuit qui communem eorum cum Judæis ex Adamo originem vocaret in dubium, de quibus licebit consulere Gesnerum in Mithridate, Phil. Camerarium lib. 1. hor. subseciv. cap. 17. & singulares de Cingaris Dissertationes Jac. Thomasii & Ahasveri Fritschii.

III. Ut toto corpore hirti hispidique & hirsuta pelle a nonnullis venditarentur homines (t) qui nusquam tamen hodie terrarum sunt, duplici errore factum apparet: nam vel pro hominibus habiti sunt ridicule, qui simiarum vel cercopithecorum generi adscribendi erant; vel totos contectos pellibus, villosa parte extrinsecus versa, qualem Lapponem supra p. 428. exhibui, cum viderent aliqui præcipue calidiorum regionum incolæ, & illius generis vestium prorsus ignari, corpus ipsum eorum hirsutum rati, fabulam hanc in vulgus & per literarum monumenta propagaverunt.

IV. Solet tanquam singulare in quibusdam gentibus annotari & velut res diversam a cæteris hominibus prodens originem afferri in medium, quod σιμοὶ & facie sima ac nullis fere naribus præditæ incedant. Verum nec hoc a natura provenire compertum est, maximam partem enim debetur ineptæ quidem at receptæ inter eas consuetudini, qua solent illæ gentes infantibus tenellis tota vi nares deprimere, ut, in Hottentotis nuper oculatus testis observavit Petrus Kolbe, memoriæque prodidit in jucunda & accurata descriptione Capitis bonæ Spei, edita Germanice p. 371. & 567.

(s) Parte 2 peræ librorum juvenilium sub extrem. & in libro vernaculo idiomate de ratione scribendi Germanice litteris Hebraicis.

(t) Contra de Hunnis Ammianus XXXI. 2. *Ubi quoniam ab ipsis nascendi primitiis infantum ferro sulcantur altius genæ, ut pilorum vigor tempestivus emergens corrugatis cicatricibus hebetetur, senescunt imberbes absque ulla venustate, spadonibus similes.*

V. Si-

V. Similiter unimammæ ut essent Amazones, non magis a natura hoc habuerunt, quam iidem Hottentoti ut monorches sint, vel castrati alii ut sint Ennuchi; sed quemadmodum docet Hippocrates libro de aëre, locis & aquis, τὸν δεξιὸν μαζὸν ἐκ ἔχουσι, παιδίοις γὰρ &c. *Dexteram mammam non habent: nam puellis adhuc infantibus matres æreo instrumento in hunc usum parato igneque candefacto eam auferunt atque exurunt, ne iterum succrescere contingat, atque ut omnis vis ac robur in dextrum humerum & brachium deferatur.* Factum hoc ab illis, quo expeditiores essent ad sagittaram ictus, neque mamma dextera impedimentum afferret arcu utentibus, ut ex Ptolemæo, Justino, Eustathio & Isidoro notavit Petrus Petitus libro de Amazonibus capite XXII. p. 137. sqq. 131. 147. Idem notarunt alii de uberibus aliarum mulierum pendentibus & productioribus, (u) etiam hoc, magnam partem instituto & consuetudini naturam sollicitanti deberi.

VI. Nec monstrosa capitum in hominibus forma, quam in nonnullis novi orbis regionibus repertam fama est, alii causæ quam mori barbaro debetur detorquentium capita in infantibus statim a partu, (x) ut ex Petri Hispalensis Silva part. 5. cap. 35. commemoratum a pluribus reperi, ex quo etiam Henricus Kornmannus de miraculis vivorum p. 67. *nuper inventum est in Peruaco novi orbis provincia quadam, cui nomen Caraqui, homines carere occipiti & sincipiti, latissima facie: statim enim edito partu caput ejus tabulis*

(u) Juvenal. Sat. XIII. 162.

Quis tumidum guttur miratur in Alpibus, aut quis
In Meroe crasso majorem infante mamillam.

Lemniades ὑπερμαζῶσι, ut infantes non per axillam sed ex humeris sublatam papillam exugant.

(x) Hippocrates lib. de aëre, aquis & locis: cum primum editus est infans, caput ejus tenellum manibus effingunt, & in longitudine adolescere discunt; hinc macrocephali. Vide T. I. p. 348. sq. Tuditani capitibus oblongis, Buxtorf Lexico Talm. p. 1385. De Caraibis, qui frontes infantum ita premunt ut uranoscopos reddant, vide e Labato Journal litteraire T. XII. P. II. p. 247. In Concilio III. Limensi A. 1585. canone 74. apud Aguirre. T. IV. Concil. Hispaniæ & novi Orbis p. 431. abrogatur abusus, quo Indi infantium capita formis imprimebant. De cranio hominis in America Septentrionali vid. Memor. Academ. Scientiar. 1722. p. 445. Ægyptii crania habent durissima, Persæ fragilia. Herodot. III. 12. qui causam reddit, quod Ægyptii pueris capita radant, ut ad solem ossa eorum durescant. Exstat & Tho. Jacobæi Diss. de distinguendis cadaveribus per crania, Hafniæ 1709.

pone & ante includunt, adeo ut facies tota complanetur & dilatetur, sic ut & ipsum quoque occiput, quin & totum caput latum fiat & exile. Similiter in Sinensium fœminis pedum plantas parvissimas non facit natura sed consuetudo, qua eas a teneris summa vi constringere amant & coarctare, quoniam parvitatem illam velut insignem formæ commendationem magni faciunt, vid. Journ. des Savans 1728. p. 10. sq. Nouveau Voyage de Mr. Gentil autour du Monde T. II. p. 45. sed eam simul naturæ vim inferunt, ut paucæ ita constrictæ quadragesimum ætatis annum superare dicantur. Similiter aures longas, largas, apertas & pendulas ut habeant dant operam, sicut oculos omni studio & vi comprimunt in augustum & in longum extendunt naribus compressis, quod illis ad formæ elegantiam insigne videtur inprimis. Mr. Gentil p. 46. 48. Omitto quæ de longis & pendulis septentrionalium quorundam populorum auribus retuli, illas enim non naturæ sed erroti imputandas ostendi p. 428.

VII. Neque Psyllos Libyæ aut Marsos Italiæ populos ideo diversæ ab aliis hominibus originis quis duxerit, velut qui naturali & congenita vi hoc fecerint, quod potuerint serpentes diro exarmare veneno, tactuque graves sopire chelydros, & venenum ex vulneribus impune exsugere: ut post Herodotum meminere scriptores plurimi, etiam Plutarchus in Catone minore p. 787. & Xiphilinus in vita Augusti p. 62. sed audaci hoc dexteritati & peritiæ usu edoctæ merito tribuendum, qua de re consulere juvabit Jobi Ludolphi commentarium ad Hist. Æthiopicam p. 137. & Harduinum ad Plinium T. 2. p. 7. seq. Idem Judicium ferre licet de Tentyritis Ægypti populo, qui non naturæ vel originis diversitate, sed mira sollertia per artem parata crocodilos fugarunt superaruntque, de quibus præter eundem Plinium VIII. 25. Strabo XVII. p. 626. Neque a natura potius quam ab astu & fraude sunt quæ de familiis effascinantium jactantur, ne dicam de enhydrobiis, quod vel ab arte & usu est ut sub aquis per breve tempus durare dicantur, vel in ipso nomine ludibrium, quod in navigiis, vitæ magnam partem ut hamaxobii in plaustris transigunt. Etiam anthropophagos carnibus vesci humanis non natura docuit, sed ferus mos, accedente fortasse aliquando necessitate suasit, de quibus notus exstat liber eruditus Petri Petiti, Medici Parisiensis, magno Grævio curante editus Ultrajecti 1688. 8.

VIII. In Aboa literata mentio fit exercitationis M. Laurentii Quist. Bioerneburgensis de quatuor generibus mulierum, editæ Aboæ 1698. 8. Cum illam non viderim, non satis scio, an a moribus potius diversis, quod suspicor, quam a forma externa vel alia naturali diversitate illum generum quaternionem tradiderit. Hoc satis scio, nullum eum genus mulierum potuisse afferre, quod humani

humani consors generis, non idem communi nobiscum origine ad Adamum auctorem stirpis referre ortum suum pariter debuerit debeatque. Diversitatem vero linguarum longissime invicem distantium communi hominum origini non posse tanquam μορμολύκειον opponi, suadent duæ res potissimum: una, quod nihilominus magna etiam in linguis quæ maxime videntur invicem diversæ esse, cognatio a viris eruditis & ingeniosis, Phil. Massono & Olao Rudbeckio filio aliisque non infitianda notetur: Deinde quod non est mirum, tam multis dissitisque coloniis tam longa ætate in illa varietate hominum & climatum, vestigia etiam ipsa primævæ linguæ obteri potuisse. Adde Theoph. Siegfr. Bayeri Præf. ad Museum Sinicum p. 30. sq. & 100. sqq. Id. p. 102. *In parvis primi orbis familiis, qui patres matresve quodam aut lingua aut gutturis aut narium vitio ad dicendum laborabant, iidem sermonis sui exempla propagabant ad posteros. Ergo* Malabares *labiorum officio ad literas enunciandas non ita commode utuntur quam nos: literæ eorum* ~icissim *&* Arabum *&* Æthiopum *aut* Armeniorum *a nobis, ab his iterum alia ac ne vix quidem pronunciantur.* Æthiopes *&* Hottentottæ *lingua extrema ad palatum dentesque appulsu & quodam crepitu ac fragore delectantur:* Tongusi *strumoso e gutture sermonem vomunt potius quam edunt.* Sini *a canina litera refugiunt, alii sibillant magis quam loquuntur.*

CONCLUSIO.

Sicut igitur ex tam variis hactenus in medium allatis nihil exsculpi potest, quemadmodum ostendimus, unde firmum aliquis ducat argumentum, quo fides divino scriptori Moysi, omne genus humanum ab uno protoplasto parente derivanti denegetur: ita quod unum adhuc restat expendere, nec oceani terras divellentis vastitas, nec terrarum invicem disjunctio pro idoneo argumento haberi debet, ob quam incredibile videri queat antipodes etiam, & novi incolas orbis eadem nobiscum stirpe processisse, & posteris Adami adscribendos merito videri. Nolo congerere ambitiose, quæ de originibus Americanis, de vestigiis nostri orbis in novo orbe repertis, de institutorum congruentia, de non adeo magna terrarum versus septentrionem distantia utriusque continentis, de fama hominum alterius orbis pervulgata apud veteres, de longinquis antiquorum Carthaginiensium & aliarum gentium commerciis & excursionibus maritimis, copiose a viris eruditis annotata sunt, & integris ac peculiaribus scriptis disputata. Illud unum, quod nobis ad propositum jam sufficit, extra omnem positum controversiam existimo, quod per longum tempus facile & sæpius potuit accidere, ut vel errantibus itinere maritimo, uti primis temporibus quam frequentissime est factum, vel certum iter cum maxime intendentibus, tempestatum oborta vis aliam viam prosequi suaserit, alia littora ostenderit, & ad terras alio calentes sole eos abegerit. Hoc non modo certum est potuisse fieri, sed per tot sæcula factum non fuisse in illa navigantium frequentia vel ruditate etiam, (licet peritissimis quoque nautis & pyxidem magneticam ventosque etiam atque etiam observantibus hodie id omnes sciunt non raro accidere) sine miraculo ne cogitari quidem potest.

Ad Nobilissimum, florentissimumque Juvenem

Auctorem ac Respondentem hujus Dissertationis.

Egregie, & multo mihi chare a nomine, RUMPFI,
Judicio, studio, mente proba, ingenio.
Qui decus acceptum a proavis, amplumque Paternæ
Nomen Virtutis fers imitando tuum.
Quum spe fortunam Tibi, votis ominor annos,
Spe præsumo Patrem, vota precantur Avum.

Ex animo gratulabundus
scripsit

PRÆSES.

RUMPF, fato functos si vivis reddere possem,
Lux PATREM reducem sisteret hæcce TUUM.
Diceret, in cathedra si TE jam stare videret,
Nunc te, mi Fili, non genuisse pudet.
Diceret & verbis, tacitas rediturus ad umbras,
Fatidicis: erit hic FILIUS ALTER EGO.
I nunc, & patrii mensuram Nominis imple,
Quod Tibi perpetuum calcar & instar erit.

Boni ominis causa scribebat
RUMPFIANÆ FAMILIÆ
devotissimus

JOH. HÜBNERUS,
Scholæ Hamb. Rector.

Quod

Quod felix fauſtumque ſit!

Ad benevole auſcultandam

ORATIONEM SECULAREM,

Quam celebrandis Divinis beneficiis elapſo ſeculo in hanc civitatem effuſis, & implorandæ in novum, quod jam incepimus, Summi Numinis Benignitati deſtinatam,

In Acroaterio Gymnaſii

d. XI. Jan. poſt hor. X. antemerid.

è memoria publice dicet

Præſtantiſſimi ingenii & optimæ ſpei Juvenis

FRANCISCUS WOLFIUS, Roſtoch.

Summe Rev. D. FRANCISCI WOLFII, Paſtoris Primarii ad D. Nicolai meritiſſimi, & Scholarchæ graviſſimi Filius ad omnia præclara natus:

AMPLISSIMOS HUJUS REIP. AC GYMNASII PROCERES,

Literarum Patronos, omnium ordinum Honoratiſſimos Viros, Cives denique Athenæi noſtri florentiſſimos, ea, qua par eſt, modeſtia invitat,

JOH. ALBERTUS FABRICIUS,

SS. Theol. D. Philoſ. Pract. atque Eloqv. Prof. Publ.

Typis CONRADI NEUMANNI, Senatus, Gymnaſii & Scholæ Typ. Anno Chriſtiano 1701.

Si *Erhardum Weigelium*, τὸν μακαρίτην audimus, Euclidem nostræ ætatis, *ratio* qua homines gaudent, numerandi potius rationesque ducendi facultatem significat, mutis animantibus negatam, quam argumentandi & colligendi. Et hoc ipsum quoque, uti græcum λογίζεσθαι a numeris petitum constat esse vocabulum. Certe prisco proverbio de valde stupidis & rationis fere expertibus hominum simulacris dictum est, eos *non ultra ternarium*, ut de Corybo homine mirifice simplici Joh. Tzetzes Chil. 4. v. 867. sive *non ultra quinarium pergere posse numerando*, uti de eodem Corybo, Zenobii interpres IV. 58. proverb. ac de perfatuo illo Margite olim prodidit vatum princeps Homerus, ex Homero Suidas, & alii. Ni potius dixerat Homerus, cujus Margites pridem interiit, *non ultra quaternarium*, vel *ad quinarium duntaxat*, μέχρι τῶν πέντε, ceu de alio bardo homine Melitide est apud eundem Suidam in γελοῖος. Nam & integram quandam gentem non usquequaque ingeniosissimam Thracum, Aristoteles autor est tantum εἰς τέτ]αρα, *ad quaternarium usque*(a) numerare valuisse. Addita ratione: διὰ τὸ ὥσπερ τὰ παιδία μὴ δύνασθαι μνημονεύειν ἐπιπολὺ, μηδὲ χρῆσιν μηδενὸς εἶναι πολλῶ αὐτοῖς, *quod puellorum instar plura comprehendere memoria non possent, nec ulla multiplicitate uterentur.* Sect. XV. problemate 3. Quod recentiores quidam viri docti ingeniosius fortassis quam pro rudis illius populi usu ita acceperunt, ac si ad quaternarium numerantes illi regressu inde facto ad unitatem, eodem plane artificio, nisi quod longe simplicius faciliusque, omnes numeros complexi fuissent, quo omnes alias gentes a denario ad unarium subinde redeuntes maximas summas computare solent. Vide Joh. Wallisium, Angliæ decus, T. 1. Opp. Mathemat. Weigelii Tetractyn Pythagoticam, & Aretologisticæ p. 350. seq. Clarissimi Joh. Christoph. Sturmii Mathesin enucleatam sub init. &c. Historiam Academiæ scientiarum Paris. 1703. p. 71. sqq. memoriasque ejusdem anni p. 105. sqq. ubi de Leibnitii Laguiique arithmetica binaria.

Qui Lingua Germanica, Gallica, Belgica, Italica variis nuper libellis contenderunt, secundum vulgatam æram Dionysii Exigui (accuratiores enim

(a) Idem tradunt recentiores scriptores de Brasilianis. Vide Ephemerides litterarias Trevoltinas A. C. 1702. T. 1. p. 354. edit. Amst. Non ultra quinarium pro numero digitorum in pede vel manu. T. 3. Americæ f. 128.

Chro-

Chronologos usus communis non moratur) jam superiorem annum 1700. (b) fuisse annum primum seculi a Christo nato duodevigesimi: nescio an majores numeros, unitatem certe non intellexisse videntur, nec denarium, nec centenarium. Quod cum de viris doctis & in numerorum doctrina non plane rudibus dicere inhumanius sit, superest, ut in illos quadret quod Demodocus olim pronunciavit de Milesiis: Μιλήσιοι γὰρ ἀξύνετοι μὲν οὐκ εἰσι δρῶσι δὲ οἷάπερ οἱ ἀξύνετοι. *Non sunt equidem imperiti Milesii, sed tamen eadem faciunt quæ imperiti*, ap. Aristotel. lib. VII. Nicomach. c. 8. Similiter enim hi quoque, non sunt equidem rationis omnis sive facultatis numerandi expertes, haud aliter tamen se gerunt, ac si in toto illo negotio essent hospites, & infra ipsum vulgus saperent. Sic ruditas ipsa petitur ingenio, uti stultitia cœlum.

Ponamus vero, quod ex vulgari æra certum esse statuitur, Deum & Servatorem generis humani Jesum Christum natum esse ex Maria virgine octavo Calendarum Januarii, dies proximus fuit dies primus post Nativitatem: adeoque prima illius diei hora fuit hora prima diei post nativitatem primæ, uti dies ipsa prima primæ post nativitatem hebdomadis, quæ ipsa cum die septimo nativitatem insecuto absolvebatur, tanquam prima major pars primi mensis, qui quarta hebdomade finita ipse demum plenus & absolutus dici potuit. Hunc mensem quis neget mensem primum fuisse anni post nativitatem primi, ita ut cum mense duodecimo perfectus quoque fuerit annus primus a nativitate. Proximus a mensis duodecimi extremo dies, primus fuit anni secundi, atque deinceps ad annum usque decimum. Similiter neque denarius annorum plenus dici potuit, nisi decimo anno integro absoluto, uti nec mensium duodenarius, nisi exacto ultimo die mensis duodecimi. Quid itaque agunt illi, qui seculum, h. e. centenarium annorum perfectum esse clamant non cum ultimo die anni centesimi, sed undecentesimi? Quid inquam agunt aliud, quam ut ipsos digitos suos vel obliti esse, vel certe de industria ignorare velle videantur?

Hæc cum sint aperta ac manifesta, ut nisi publice & tot libellis atque idiomatibus controversia rei clarissimæ mota fuisset, sanus quilibet veritus fuisset luci meridianæ lucem accendere; haud minus perspicuum est non ante

(b) Cinelli Bibl. volante XIX. p. 48. Uittrekfels 1701. p. 334. 336.

anni spatium, sed novissime demum, cum anni millesimi septingentesimi die postremo colophonem esse superiori seculo impositum, novumque, quæ singularis est DEI benignitas feliciter inchoatum nuperis Calendis Januariis Anni supra millesimum & septingentesimum primi. (c)

Jam si singuli dies annique uberem celebrandi orandique Deum materiam nobis præbent, quin secula integra suppeditent longe uberrimam, nemo facile addubitabit. *Arenam maris, guttas pluviæ, dies seculi quis enumeret?* inquit autor Ecclesiastici: quanto rectius licebit quærere: *Quis enumeret* (ne dum pro dignitate efferat) *beneficia integro seculo a Divina benignitate largissime in nos collata & effusa?* Profecto in horum ratione ducenda vel ipse Archimedes, qui arenæ maris numerum in Psammite suo inire aggressus est, Corybum aut Margitem se Melitidemve, vel ex simplici Thracum gente hominem numerandi imperitum fateatur oportet. Nefas tamen fuerit iniquo silentio etiam illas quas dicere possumus grates involvere, ingrataque pectora testari, prorsus tacendo ea, quæ secula ipsa tametsi voce destituta lubentissime clarissimeque eloquuntur.

Quæ veterum Romanorum vertentibus centum annis fuerit sive religio, sive superstitio, & prolixius est, quam ut præsenti loco exponi possit, & nemo esse videtur paulo humanior, cui id non sit compertum, vel ex ipso carmine Sibyllino, quod referunt Zosimus libro Historiæ secundo, & Phlegon Trallianus de longævis cap. 4. quo tota solennis illius ratio continetur. Eleganti illud carmine latino expressit Angelus Politianus, vir doctissimus & ingeniosissimus capite Miscellaneorum duodesexagesimo. Prætereo quæ de ludis sacrisque secularibus leguntur apud Valerium Maximum lib. 2. cap. 4. Festum in *seculares ludi*, Censorinum libri eximii de die natali capite septimo decimo. Augustinum lib. 3. c. 18. de Civitate DEI, & Metellum Tegerensem seculi a Christo nato undecimi Monachum & Poëtam non absurdum, Oda 1. & 2. in Quirinum. Ex recentioribus illam non injucundam partem Antiquitatis illustrarunt Josephus Scaliger libro 2. de emendatione temporum, Onufrius Panvinius libro de ludis secularibus, quem Gaudentius Robertus Tomo 1. Miscellaneorum, & vir Illustris doctrinæ Joh. Georgius Grævius Tomo IX. Thesauri antiquitatum Romanarum inseruit, Ezechiel Spanhemius libro eru-

(c) Recueil de pieces d'Histoire & de litterature T. 1. diss. VIII. Mem. de Trev. 1732. p. 140.

ditissimo

ditissimo de usu numismatum pag. 852. seqq. editionis secundæ, Johannes Ciampinus in Sacrohistorica disquisitione de duobus emblematibus in cimelio Cardinalis Carpinei, Petrus imprimis Taffinus Audomaropolitanus Jesuita, opere egregio de anno seculari & ludis secularibus Romanorum, quod jam Anno 1642. Tornaci Flandrorum in memoriam societatis suæ, seculo jam durantis, ab autore conscriptum & editum idem præstantissimus Grævius tomo thesauri sui octavo recudi fecit.

Inter alia constat Romanis in usu positum fuisse, ut mediis in solennibus decantarentur *ὕμνοι νεωςὶ πεποιημένοι*, sive secularia carmina recens elaborata, quale etiamnum occurrit in Catullianis, quod est numero XXXV. Quanquam enim Taffinus c. 16. id seculare esse carmen negat, nullo tamen id facit argumento, quod absurdam esse convincat sententiam eorum, qui cum Js. Vossio aliisque eruditis interpretibus verum esse non dubitant veterem titulum, qui in codicibus manu exaratis *seculare carmen ad Dianam* inscribitur, argumento imprimis totius poëmatis mire consentiente. Ut autem in transcursu hoc notem, *pueri integri puellæque* a Catullo ibi non vocantur Veneris impuræ puri, ceu visum Js. Vossio, id enim ipso puerorum puellarumque nomine comprehensum potest intelligi, sed *ἀμφιθαλεῖς*, ut a Sibylla vocantur, hoc est quibus uterque parens adhuc superesset. Tales enim ter novem pueros, totidemque puellas quibus *ἀμφιθαλὴς ἔτι φύτλη γενέων πάντων ζωόντων*, seu quorum

Salvus uterque parens fruitur vitalibus auris,

ad decantandos hymnos seculares requisitas fuisse, ex Sibyllini carminis, Zosimi aliorumque testimonio diserte apparet. Etiam inter Horatii poëmata post Epodon librum Carmen seculare subjicitur, quale idem Taffinus suspicatur præterea, esse libri primi Odam vigesimam primam, sextamque libri quarti, cui ejus sententiæ utpote verisimillimæ nolim refragari. P. Sanadon S. J. in Horatio suo T. 1. p. 510. sqq. seculare Horatii carmen componit ex lib. 3. Od. 1. lib. 4. Od. 6. lib. 1. Od. 21. lib. 5. Od. 18. lib. 4. Od. 6.

Nobis quidem neque cum superstitione, neque cum ludis pompisque ac deductionibus Romanorum quicquam est commercii. Sed quis illos reprehendere ausit, quod singulis seculis vertentibus, Deos suos, pro bonis quibus eousque cumulati fuerant, hymnis publice concelebrandos, atque ut imposterum quoque propitios civitati suæ provinciisque se præberent, singu-

lariter orandos esse censuerunt? Nemo sane. Potius dignissima hæc res videbitur omnibus, quam Christiani imprimis homines imitemur. Ac recte id quidem & convenienter. Tantum quod falsis illi Diis idolisque, nos longe justius vero atque immortali DEO Seculorum faciemus, illiusque benignitatem, sicut Romani olim carmine, ita nos Oratione Seculari extollemus, & in nomine ejus, per quem condidit secula, pie humiliterque precabimur. Illam a se elaboratam communi nostrum omnium ore publice in Gymnasio recitaturus e memoria est juvenis excellentis ingenii, & ipse DEI beneficio ἀμφιθαλής, cujus nomen in fronte hujus scriptionis una cum tempore quo oratio illa, succincta brevitate gratior futura, habebitur, expressimus. At ego quidem, quod alioqui faciendum mihi erat, incassum fortassis nunc plura verba profunderem exorandæ honoratissimorum Auditorum majori frequentiæ, cum illam argumentum ipsum orationis, Amplissimorum Reip. ac Gymnasii nostri Procerum, aliorumque Virorum præstantissimorum pietas, atque in ornandas literas studium singulare, denique observantia & amor, quo futuri oratoris Summe Reverendum Dominum Parentem ex merito omnes prosequuntur, vel me tacente sat magnam & exoptatissimam videantur polliceri.

Scripsi Hamburgi Nonis Jan. Anni Christiani 1701.

Q. D.

Q. D. B. V.

Ad

Benevole Audiendas

ORATIONES,

Quibus

Controversia Celebris,

VETERESNE RECENTIBUS, AN PRISCIS NOSTRA ÆTAS

Palmam ingenii atque eruditionis concedere debeat?

Publice in Gymnasio Die IX. Octobris

Hora Decima Antemeridiana

In utramque partem agitabitur, & in neutrius Præjudicium modeste componetur:

Amplissimos Hujus Reip. ac Gymnasii Proceres,

Literarum Patronos, omnium ordinum Honoratissimos Viros, Cives Denique Athenæi Nostri Florentissimos

Observanter, Officiose, ac Peramanter

invitat

JOH. ALBERTUS FABRICIUS,

SS. Theol. D. Philos. Pract. atque Eloqu. Prof. Publ.

HAMBURGI,

Typis CONRADI NEUMANNI. Ampliss. Senatus Gymnasii & Scholæ Typographi, Anno Christiano M.DCC.III.

Quemadmodum Theophrasto Philosopho, hominum garrulorum mores persequenti, jampridem visum est præ cæteris animadversione dignum, illos, qui minime omnium de emendandis suis ipsorum moribus solliciti, etiam atque etiam conqueri, *ὡς πολὺ πονηρότεροί εἰσιν οἱ νῦν ἄνθρωποι τῶν ἀρχαίων quod præsens ætas prioribus multo sit nequior ac deterior*: (Character. Ethic. c. 4. *περὶ ἀδολεσχίας.*) Ita inter eos, qui literarum studiis operam suam addixerunt, nescio sitne hominis magno vel ingenio vel judicio præditi, serio atque assidue profiteri, quod eruditionis & doctrinæ laus apud solos stet antiquos, nec ætas recens unquam ad illorum merita ac felicitatem eniti atque adspirare possit, nedum revera veterum industriam æquaverit aut plane vicerit. Quid enim magis naturæ est adversum, quam ingenii humani dotes a DEO concessas intra certi ejusque non adeo magni temporis terminos concludere? aut quid iniquius, quam aliorum monumenta Græca vel Latina in admiratione esse *propter mille annos*, ut ait Juvenalis (VII. 39.) aliorum vero ideo tantum, quoniam recentia sunt, sperni, pro nihilo duci, ac ne legi (a) quidem, licet nulla re priscis cedant, sed magis sæpe elaborata sint, & plus frugis bonæ quam vetera pleraque complectantur. Nihil denique certius impedit ac sufflaminat progressus faciendos in augusto sapientiæ studio, quam si, ad paria vel majora audenda, per veterum nimiam admirationem prohiberi nos contingat, perinde ac si illi, qui temporibus nos antecesserunt, sapientia quoque ita anteverterint, ut eos assequi vel superare nequeamus.

(a) Huc spectat illud Martialis VIII. 99. & geminum Maynardi ad Gvietum, quod infra adscripsi:

Je ne dois pas encor attendre
Que tu sois un de mes lecteurs,
Tu n'approuves que les auteurs
Dont la tombe garde la cendre.
Ton puissant esprit m'a charmé
Et l'honneur d'en estre estimé
Est le plus grand que je demande.
Mais, Gvict, pour me l'acquerir
Ma vanité n'est pas si grande
Que je me haste de mourir.

At

At enim non minoris profecto vitii reos esse existimabimus ingratos vel imperitos universæ antiquitatis obtrectatores, qui tanto peccant sane vehementius, quo majores vires hoc detrahendi priscis cacoëthes hodie cepisse videtur, & quo certiorem bonis literis atque omni elegantiori eruditioni pestem atque interitum, quantum in illis est, afferunt. Ea de re justissima est expostulatio, quam vir multæ antiquitatis sine ostentationis vitio peritissimus, & judicio singulari atque ingenii elegantia invidiam præsenti faciens ætati, Jacobus Perizonius novissime edidit, in Q. Curtio adversus Johannem Clericum Virum Clariss. vindicato p. 45. Invaluit ab aliquo jam tempore inter Gallicos maxime scriptores mirificum studium veteres accusandi & infra suam elegantiam, ingenium, stylum, peritiam longe abjiciendi. Quod studium, ut inane prorsus & ineptum, ita & iniquum est plane. Nam quid boni ex hoc cum Antiquis certamine deveniet tandem ad liberales scientias, nisi forsan id agatur, ut illæ penitus paulatim exstinguantur denuo, sicut exstinctæ fuerunt funditus, quum neglectum jaceret illud Antiquitatis studium? Quid porro ineptius imo arrogantius quam litigare ultro cum aliis de laude ingenii & peritiæ suæ, seu contendere se aliis ea parte præferendos? id quod tamen faciunt hodierni Antiquitatis oppugnatores (b) quando tantopere id disputant, ut suæ ætatis Scriptores, inter quos ipsi sunt, supra Antiquos extollant. Peraltus ideo non male in præfatione Parallelorum paciscitur sibi favorem Recentiorum, *quia in eos ipsos redundatura sit & singulos quidem pars honoris*, quem afferat suo sæculo supra veteres. At si tale quid facerent Grammatici, Pedanticum id extra controversiam continuo diceretur. Sed Gallici Auctores quicquid agunt, id eo ipso, scilicet, est elegans. Oritur etiam hæc oppugnatio sæpissime ex vanissima præcipuæ cujusdam Sapientiæ ostentatione, quam in eo sitam potissimum illi putant, si supra communem sensum aut publicum judicium sapere videantur. Hinc audias eos quicquid laudabile inter homines vulgo ha-

(b) In his familiam ducunt Carolus Peraltus in Parallelis veterum recentiumque Gallice editis, Guilelmus Wottonus Anglus in dissertationibus de veteri & recenti eruditione, & ante hos Georgius Hackewillius in opere de providentia, libro III. itidem Anglice vulgato. Alios qui vel in transcursu atque obiter, vel tribus verbis hoc egerunt, lubens prætereo. Veterum Patronos ex Gallis nominare licet Bellegardeum, Dacerium, Boissinium & Boilavium: ex Anglis Templeum parte secunda Miscellaneorum quæ ex Anglico Gallice etiam translata feruntur. Medias partes in hac controversia sequuti sunt Fontenellius, personatus Vignolius Marvillius, aliique, qui maxime audiendi mihi videntur. In eandem sententiam olim Sidonius Apollinaris lib. 3. Epist. 8. *Veneror antiquos, non tamen ita ut qui æquævorum meorum virtutes aut merita postponam.*

betur

betur aut excellens, id maxime impetere, carpere, obtrectare, ut ita credantur acutius cæteris cernere etiam vitia, quæ recondita sunt in interiore angulo, & ideo ab aliis non animadvertuntur. Sed maxime iniquum est illud vellicandæ antiquitatis studium, quia omnes disciplinæ liberales, omnes scientiæ hujus temporis in longe meliorem faciem sunt redactæ, postquam antiquæ linguæ & literæ e tenebris denuo emergere cœperunt. Recognoscat ipsa Gallia suum prioris temporis publicum saporem in Menoti Maillardi & similium concionibus cum applausu tunc auditis & cum privilegio editis. Quin si quæ nunc incrementa fecerunt artes & scientiæ liberales supra veterum Doctrinam, ea ipsa tamen incrementa illis debent initiis, quæ ex antiquitate nuper sunt repetita, a quibus facilior dabatur progressus ad artium singularum majorem jam perfectionem. Sed & Censores illi deprehenduntur plerumque imperitissimi rerum quas damnant & contemnunt, vel certe non diligentem satis Auctoribus, quos perlustraverunt festinantes, & tantum ut sciant leviter quid illi narrent, intelligendis dedisse operam. Neque enim tam facili negotio rectum de Auctore quopiam & ejus virtutibus ac vitiis ferri potest judicium.

Cum igitur præstantissimorum Gymnasii nostri civium ternio constituerit publicum quoddam industriæ suæ specimen edere, & in argumento aliquo non plane sterili vires ingenii experiri; auctor ipsis fui, ut unus, WARNERUS MICHAEL BORCHOLD, Hamburgensis, veterum causam adversus Antiquitatis contemtores tueretur: alter CONRADUS WIDOW, itidem Hamburgensis, diceret pro recenti ætate, ejusque inventa merita ac virtutes extolleret: tertius denique JOH. CASPAR CLAUSEN, Wismariensis, ostenderet male facere quicunque alterutros horum aspernandos ducunt, cum & recentiorum industria carere nullo modo possimus, & antiquis laus sua constet sine dubio, qui non modo multa egregia invenerunt, sed & omnis liberalis atque elegantioris doctrinæ sunt Magistri maxime idonei.

Quo magis vero vel hi ipsi Nobilissimi Juvenes in præsenti honesto instituto inflammentur, vel aliorum etiam parium studia vehementius excitentur & commoveantur, audeo hoc ab Amplissimis hujus Reip. Proceribus, Reverendo S. Ministerii Ordine & aliis studiorum Patronis ac Fautoribus rogare, ut pro sua in literas benevolentia Actum hunc Oratorium, brevitate saltem, ut alia desint, non plane displiciturum, honoratissima præsentia sua decorare velint, ad omne officiorum genus vicissim non minus paratus, quam novo isthoc beneficio eisdem devinctus atque obligatus. Scripsi Hamburgi prid. Non. Octobris Anni Christiani cIɔ Iɔ ccIII.

Q. D.

Q. D. B. V.

Ad

Benevole audiendam

ORATIONEM

de

CHIMÆRIS SCIENTIARUM,

Quam publice, die VIII. Junii

Hora Decima Antemeridiana, è memoria promet,

Gymnasio Patrio simul valedicturus

Juvenis Nobilissimus.

HENRICUS KELLINGHUSEN,

Hamburgensis,

Amplissimos hujus Reip. ac Gymnasii

Antistites,

Literarum Patronos, Omnium Ordinum Honoratissimos Viros,

Cives denique Athenæi nostri Florentissimos,

Observanter, Officiose ac peramanter invitat

JO. ALBERTUS FABRICIUS,

SS. Theol. D. Philos. Pract. atque Eloquentiæ Prof. Publ.

HAMBURGI,

Typis CONRADI NEUMANNI, Amplissimi Senatus, Gymnasii & Scholæ Typographi, Anno MDCCVI.

In ſapientiæ ſtudio duos præcipue ſcopulos omnibus merito cavendos, ſummaque ope atque enixiſſime vitandos nemo prudens negaverit, ex una parte quidem, ne res veriſſimas ac magni momenti pro chimæris merisque commentis habeamus, ex altera viciſſim, ne chimæram amplectamur pro re utili ac præclara, & in hac tempus, ingenium, oleum, operamque profundamus. Uter horum errorum periculoſior ſit, non eſt operæ pretium disquirere, cum uterque pariter fugiendus immenſa poſt ſe mala trahat, & prior in Atheiſmum tendat atque ex homine faciat beſtiam, e Chriſtiano protervum Epicuri de grege porcum: alter vero deducat incautos in turpiſſimas ſuperſtitiones, perſuaſionibus repleat ſtolidiſſimis impiisque, & umbris rerum paſcat, a veritate autem quam longiſſime removeat. Ita ſane fieri plerumque videmus, ut quod in extremo libri de ſuperſtitione notavit Plutarchus, homines dum ſuperſtitione obligari nolunt, chimærasque ſuſpicere refugiunt, in contrarium decurrant vitium, atque ſacra omnia ac divina flocci faciant, egregie ſe cordatos & nervis artubusque prudentiæ inſtructos rati, ſi nihil crediderint. *ὕτω γάρ ἔνιοι φεύγοντες τὴν δεισιδαιμονίαν ἐμπίπτυσιν εἰς ἀθεότητα τραχεῖαν καὶ ἀντίτυπον, ὑπερπηδήσαντες ἐν μέσῳ κειμένην τὴν ἐυσέβειαν. Sic enim quidam ſuperſtitionem fugientes, dum tranſiliunt in medio poſitam pietatem, in aſperum pertinacemque incidunt Atheiſmum.* In hujuscemodi hominibus, ut idem ait in vita Camilli, *καὶ τὸ πιςέυειν σφόδρα καὶ τὸ λίαν ἀπιςεῖν ἐπισφαλές ἐςι διὰ τὴν ἀνθρωπίνην ἀσθένειαν ὅρον ὐκ ἔχυσαν, ὐδὲ κρατῦσαν ἀυτῆς, ἀλλ' ἐκφερομένην ὅπυ μὲν εἰς δεισιδαιμονίαν καὶ τύφον, ὅπυ δὲ εἰς ὀλιγωρίαν τῶν θείων καὶ περιφρόνησιν. ἡ δὲ ἐυλάβεια καὶ τὸ μηδὲν ἄγαν ἄριςον, periculoſum eſt & credere nimium & non credere, propter humanam imbecillitatem quæ terminos certos atque cancellos non habet, neque ſui compos eſt, ſed transgreditur modo in ſuperſtitionem & vanitatem, modo in rerum divinarum neglectum & faſtidium. Ceterum pietas, ac ne quid nimis, longe præſtat.*

Quemadmodum vero circa religionem; ita in rebus naturalibus quoque & in Hiſtoriarum ſtudio, tum in aliis diſciplinis hoc accidere animadvertimus, ut quidam dum falſis diffidunt, & chimæras diligenter ſtudent effugere, etiam rebus veris detrahant temere fidem, atque adeo pro cautis ſe præſtent incredulos, aliisque ridendos ſe propinent. Neque enim minus ridiculum eſt, veriſſima in dubium vocare, atque inficiari res exploratas, chimætisque adſcribere, quam rebus falſis ac commentitiis habere & adjungere fidem: neque minus

minus detrimentum affert eruditioni ac doctrinæ, negare ea de quibus certissima ratione constare potest, quam prono ad credendum & amplectendum esse animo ad chimæras quasque absurdissimas.

Sed nimirum, ut Augustinus docet, hoc in iis præcipue fit, qui præcipitanter studia tractant, neque consilio usui & rationi præbent locum. *Si quis*, inquir, *temere ac sine ordine disciplinarum in harum rerum cognitionem audet irruere*, *pro studioso ille fit curiosus*, *pro docto credulus*, *pro canto incredulus*, Lib. II. de Ordine, cap. 5. Alii contra huic vitio se reddunt obnoxios de industria, ut sapere præ aliis videantur, putentque tam cernere acutum quam serpens Epidaurius, & ea quæ aliorum obtutui glaucoma objiciunt, facile penetrare ac disjicere, non radiis solis neque lucidis telis diei, sed acie atque penetratione ingenii sui. Hæc res Epicurum veteresque Scepticos in transversum abripuit, ut res verissimas certissimasque negarent oppugnarentque tanquam nomina inania atque *ἀνυπόστατα*. Nam ad Scepticos præcipue quod attinet, non videntur mihi illi ex animi sententia tot manifestissima inficiati esse, sed ex arroganti ostentatione, atque ut Stoicis cæterisque Dogmaticis sapientiores haberentur, inter chimæras referre sustinuisse, quæ vera esse & explorata ipsi pulchre sciebant. Itaque & Gallus quidam acutissimus Scepticos non absurde appellat sectam mentientium, *une secte des menteurs*, quoniam impudenter fuerunt ementiti se videntes non comprehendere quod sol luceat cœlo sudo in meridie, quod justitia non magis laude digna sit, quam vitium quodlibet, quod denique nihil si verum: unde secundum ipsorummet etiam acumen sequitur aliqua vera esse, cum inter omnia quæ vera esse negant, hoc ipsum quoque referre necessario debeant, quod verum sit nihil.

Quemadmodum vero haud dubie gravis & exitiosus est error, res veras atque sanctissimas perinde ac chimæras contemnere & negligere, ita ad hunc effugiendum vix alio remedio est opus, quam ut serio veritatis studio propius ad rem accedamus aperiamusque oculos, & post divinum imploratum auxilium sacris literis & ratione recte ac diligenter utamur, ad naturam & veritatem uniuscujusque rei probe explorandam, ne a præconcepta opinione vel ab amore aut odio duci nos patiamur, neque præcipites ruamus in sententiam, laturi judicium veluti cœcus quod ajunt de coloribus. Hoc si fecerimus, facile hoc utilitatis inde referemus, non modo rebus veris ac præclaris ut justum pretium ponere & a chimæris illas dignoscere possimus, sed quoque, ut nec chimæræ

 nobis

nobis amplius imponere oculisque noſtris ſpecie rerum inſignium atque utiliſſimarum illudere valeant.

Sunt equidem ut ſtultorum ita chimærarum plena omnia, hominum ſtolidorum vitio, videntur tamen univerſæ ad duo potiſſimum genera revocari non inepte poſſe. Unum genus eſt earum, quæ velut aurei montes, turresque cœlum faſtigio contingentes præſtantiora & auguſtiora promittunt quam rerum natura patitur, ſuntque ſplendidæ & magnificæ ideæ rerum nusquam ſubſiſtentium. Hujuscemodi ſunt ſomnia de perfectione omnibus numeris abſoluta, de mortalium vita ad mille producenda annos, & ſimilia. Alterum genus in futilibus & ineptis commentis verſatur, quarum ſpecies non falſa modo eſt ſed quoque inepta ac putida, quales ſunt Johannis cujusdam Petri Erici cogitationes de Humanæ linguæ Origine, quas Venetiis Ao. 1697. 4. in ἀνθρωπογλωττογονίᾳ ſua propoſuit, contendens poſt primam Adami in Paradiſo vocem, ὦ admirantis, alteram fuiſſe conſpecta Eva olfacientis pariter & admirantis ὖ. Filiorum autem Adami natu majorem ploratu ſuo expreſſiſſe ἒ, ἒ, ἒ, ſed minorem natu, ἲ, ἲ, ἲ. Tales quin plane ridendæ ſint & explodendæ, nemo qui eas cognoverit & introſpexerit dicet ſecus. At priori generi hæc quandoque videtur adeſſe utilitas, quod licet perfectiſſimas illas ideas reapſe aſſequi non poſſimus, tamen * commodum ſit illas ante oculos poſitas habere, & ad earum perfectionem quantum licet contendere, quoniam altius ſemper ibit qui ad ſumma nitetur, licet ſumma nunquam eſt conſequuturus. Pater quoque ille familias, qui morti vicinus

* Mr. de Fontenelle dialog. des Morts T. 2. p. 116. *Toutes les ſciences ont leur Chimere aprés laquelle elles courent, ſans la pouvoir attraper, mais elles attrapent en chemin d'autres connoiſſances fort utiles. Si la Chimie a ſa Pierre Philoſophale, la Geometrie a ſa Quadrature du Circle, l'Aſtronomie ſes longitudes, les Mechaniques leur Mouvement perpetuel; il eſt impoſſible de trouver tout cela, mais fort utile de le chercher. Je vous parle une langue que vous n'entendez, peutetre, pas bien, mais vous entendrez bien, du moins, que la Morale a auſſi ſa Chimere, c'eſt le deſintereſſement, la parfaite Amitié. On n'y parviendra jamais; mais il eſt bon qu'on pretende y parvenir. Du moins en le pretendant on parvient à beaucoup d'autres vertus.*

filios

filios suos in vinea jubebat ingentem auri vim defossam inquirere, quæ nulla ibi erat, chimæram sane inquirendam filiis suis proponebat, at simul stimulum addebat egregium etiam atque etiam fodiendo exercendæ colendæque vineæ, unde uberes fructus ad filios nullum licet aurum reperientes redibant. Sic & pridem Baconi Verulamio observatum est in naturæ mysteriis multa præclara atque utilia deprehensa atque in lucem producta fuisse ab iis, qui lapidem sectarentur Philosophicum, licet ipsum quidem nusquam reperissent.

Utriusque generis Chimæras in plerisque scientiis observatas succincte recensere ac varias disciplinas percurrendo brevi oratione prosequi instituit Juvenis Nobilissimus, HENRICUS KELLINGHUSEN, Hamburgensis, Musis nostris quibus per biennium diligenter vacavit valedicturus & Lipsiensem inde Academiam divino ac felici, ut vovemus ac speramus, auspici operturus. Hunc dicentem ut honorificentissima præsentia sua condecorare & benevole audire dignentur Magnifici atque Amplissimi hujus Reip. Proceres & Gymnasii Patroni, cæterique Viri quibus literarum studia cordi sunt omnium Ordinum Honoratissimi, tanto ab illis rogare audeo confidentius, quo minus impatienter laturi sunt chimæras explodi, qui pro singulari prudentia sua illas a rebus veris quam optime dijudicare, & falsas earum species effugere didicerunt. Scripsi Hamburgi, Calendis Junii, Anno Christiano cIↄ Iↄ cc vI.

Ad benevole audiendam

ORATIONEM
DE
CAUSSIS CONTEMPTUS SCHOLARUM PUBLICARUM,

Qua

Deo Opt. Max. Propitio

Recturam Scholæ Johanneæ

Benevolis suffragiis

Amplissimi Scholarcharum Collegii

Sibi demandatam,

Die III. Maji Hora decima antemeridiana,

Sollenniter capesset atque auspicabitur,

Magnificos Amplissimosque Reip. Hamburgensis Proceres, Litterarum & Scholæ Patronos, atque omnium Ordinum Dignitatumque Honoratissimos Viros

Observanter ac Studiose invitat

JO. ALBERTUS FABRICIUS, D.
Philosophiæ Moralis atque Eloquentiæ Prof. Publ. & hoc Anno Gymnasii secundum Rector.

HAMBURGI,
Typis CONRADI NEUMANNI, Senatus, Gymnasii & Scholæ Typographi.

Excitari Studium docentis ab Auditore, & qui aliis disciplinam quamcunque vel linguam instillare debet, eum mirifice accendi inflammatioremque reddi, si Studium ipsius auscultantium frequentia, attentione, sollertiaque & industria sublevetur, pronunciatum jam olim est verissimo proverbio. Quis enim quæso ardor in Magistro, vel quæ alacritas per longum esse tempus potest, si præclara quamlibet dicturus

- - - - vacua regnet Basiliscus arena,

aut tot ei sint discipuli, quot Aristidi olim, de quo vulgatum illud:

Χαίρετ' Ἀριστείδου τοῦ Ῥήτορος ἑπτὰ μαθηταὶ

Τέσσαρες οἱ τοῖχοι, καὶ τρία συψέλια.

Salvete Aristidis Rhetoris septem discipuli,

Quaterni parietes, & tria subsellia.

Vel tot ad summum, quot Stratonico apud Ælianum (VIII. 12. Var.) & Athenæum (VIII. p. 348.) qui rogatus de auditorum suorum numero, *duodecim* se habere respondit *bonis cum Diis*, novem scilicet Musarum & Apollinis Musagetæ, quæ in ludo forte aderant imaginibus simul computatis. Equidem non est semper docentium culpa, si rari audiantur, opusque eis sit hujusmodi allocutione ad auditores suos, quali Orator quidam Italus usus fuisse refertur ab Ægidio Menagio in Menagianis T. I. p. 159. Admodum paucos enim ille coram se videns ad quos dicendum sibi esset, lepide eos fuit affatus his verbis: *Pochissimi Signori.* At enim constat viros etiam præstantissimos in vacuo sæpe docuisse auditorio, ignavia vel fastidio discentium, vel male præconcepta opinione. De Erycio quidem Puteano Abrahamus Scultetus in vita sua, *Docet vir doctus*, inquit, *ut & ante ipsum Lipsius in sterili auditorio, non alia de caussa (ex magno viro hoc audivi) quam quod juventus a melioribus studiis ad tricas disputationum scholasticarum per Jesuitas avocatur.* Lipsius ipse ad querelam Senecæ Epistola XCV. *Cessat omne studium, & liberalia professi sine ulla frequentia desertis angulis præsident: In Rhetorum ac Philosophorum scholis solitudo est*; adnotavit, *in Belgica hoc oraculum* esse, ad ea respiciens haud dubie, quæ proprio exemplo esset expertus. Consimiliter Joannem Meursium, quem non minus Græcæ, quam Lipsium Romanæ Antiquitatis omnis ac litterarum promum condum fuisse omnes sciunt, accepimus cum Græca prælegeret sæpius non modo conquestum de auditorum paucitate, sed hoc etiam ab

ab inimicis ipsi serio objectum atque exprobratum fuisse, ut in ineditis Gothofredi Jungermanni Epistolis legere me memini. Quid de Aldo Manutio Erythræus, humaniores litteras docere jusso Romæ post Thomæ Gorræi mortem Pontifice Sixto V. *Tum vero licuit admirari*, inquit ille Pinacotheca I. p. 185. *vel potius deplorare abjectam depressamque bonarum artium conditionem, tum licuit sed non sine fletu adspicere humanarum litterarum pretia, quæ olim veteres ferebant in cœlum, juventutis quæ tum erat æstimatione sic concidisse. Etenim cum illi olim eloquentiæ adipiscendæ gratia maria transmitterent, longissimas peregrinationes susciperent, Græciæ Asiaque civitates obirent, ut exquisitos in eis dicendi Magistros invenirent, adirent, salutarent, atque eorum ex ore tanquam ex fonte, eloquentiæ præcepta haurirent; contra isti, quem sine itinerum molestia, sine sumtu, sine labore habere poterant, Græcæ latinæque eloquentiæ Doctorem eximium ac singularem contemserunt; neque eidem utriusque linguæ copiam pollicenti aures admovere voluerunt. Nam qua hora discipulorum multitudini eloquentiæ præcepta tradenda erant, a corona derelictus, ante scholæ ostium cum uno aut altero obambulabat.* Et jam pridem Seneca paucitatem auditorum miratus Mettonactis Philosophi, pudere se testatus est generis humani, Epistola LXXVI. *Quoties scholam intravi, præter ipsum theatrum Neapolitanorum (ut scis) transeundum est Metronactis petentibus domum, illud quidem farctum est, & hoc ingenti studio quis sit pithavles bonus, judicatur. Habet tibicen quoque Græcus & præco concursum; at in illo loco in quo vir bonus discitur, paucissimi sedent, & hi plerisque videntur nihil boni negotii habere quod agant, inepti & inertes vocantur.*

Ut vero paucitas ac solitudo hebetat & affligit, sic incredibilis vicissim stimulus ad industriam esse solet auditorum affluentium frequentia ac concursus, quem quoties videt qui docentis partibus fungitur, merito gaudet illorum, gaudet suo, gaudet studiorum nomine, quod his adhuc pretium aliquod poni tam multorum judicio intelligit. Igitur quam libenter in Homero interpretando credibile est omnes ingenii nervos intendisse *Martinum Crusium*, cum in Academia Tubingensi An. 1565. ad eum docentem tanta concurreret studiosorum multitudo, ut auditorium illis capiendis esset impar, alteroque tanto majus esset exstruendum adjunctione contigui ædificii, quod Acroaterii Homerici nomine exinde venit, ut ipse narrat in GermanoGræcia p. 39. Aut quis dubitet *Joannem Reuchlinum* vel *Eobanum Hessum* summo studio versatos in labore sibi proposito, cum ille, Aristophanis Plutum Ingolstadii trecen-

trecentis amplius, hic Erfurti latinos Poëtas plus mille & quingentis studiosis hominibus exponeret. (Vide si placet Matthiæ Berneggeri præfat. ad observationes Miscellas, Argentorat. 1660. 8. & Orationem V. p. 163.) Quas non faces industriæ & ardori *Joannis Maldonati* admoverit cupida auditorum innumerabilium sollicitudo, qui cum ipse Parisiis Theologiam suam profiteretur, duabus quotidie tribusve horis ante subsellia certatim implebant quam auditorium ingrederetur, ne excluderentur. *Sæpe*, inquit Philippus Alegambe, *in aperto, atque adeo in viis publicis docere coactus est ob multitudinem Auditorum, quos nulla exedra capiebant.* (Conferendæ Rich. Simonis Epistolæ selectæ T. 1. p. 139.) Quid dicam de *Joanne Corasio*, cujus Tolosæ jus docentis ab ore quater mille simul studiosi pependerunt, vel de *Jasone Maino* Juris & ipso Doctore pro illis temporibus singulari, quem Patavii præter alios infinitos ad Collegium comitatus aliquando fuit ipse Ludovicus XII. Galliæ Rex, & Collegio propior ad sinistram illi adequitavit cum hac voce, *nunc, Jason, tuum regnum incipit*, eundemque quinque Cardinalibus ac centum proceribus subsellia implentibus, honoris causa auscultavit profitentem. (Jovius elog. p. 121. Bullart. Academ. des sciences T. 1. p. 212. &c.

Cæterum ea demum auditorum frequentia inflammare Doctoris animum merito debet, quæ conjuncta est cum ipsorum attentione & assiduitate: qui enim nihil aliud spectat quam plausus & numerum, vanitati potius litare vel avaritiæ, & veteres Sophistas imitari videbitur, de quorum immenso studio multitudinem discipulorum capiendi operæ pretium fuerit consulere Ludovici Cresollii theatrum Rhetorum parte IV. capite 10. seq. T. X. thesauri Antiqu. Græcarum Gronoviani. Quorsum enim attinet multos præsto esse, sed *βεβυσμένος τὰ ὦτα auribus obturatis*, a qualibus Themistius (Orat. XXIII. p. 920.) dicebat non se sed subsellia frequentari, truncos truncis insidentes, vel molestos etiam fabulando, nugando, oscitando, & inter se jurgando: aut quod Theodorus apud Plutarchum lib. de Iside & Osiride (p. 167.) de discipulis suis affirmabat, sermones qui dextra porriguntur, læva accipere consuetos. Hujusmodi plerique si fuere olim Theophrasteæ Scholæ sectatores, quos ad bis mille exstitisse scribunt, non mirum est Zenonem Stoicum paucitatem suam, cum Theophrasteorum multitudine conferentem, non male illam tulisse, sed gratulatam etiam sibi fuisse verbis hujusmodi: *ὁ ἐκείνου χορὸς μείζων, ὁ ἐμὸς δὲ συμφωνότερος. Major est ipsius chorus, at meus concinnior.* (Plutarch. de laude sui p. 545.)

Neſcio quomodo communis hodie per Germaniam querela eſt, in incredibili illo & plus ſatis magno adoleſcentium ſtudiis operantium numero, ſcholas publicas non valde frequentari. Certe Johanneum quoque hujus Urbis jam pridem, ut intelligo, nullam eo nomine benigniſſimis Patronis moleſtiam creavit, ut propter nimiam diſcipulorum copiam ac multitudinem petierit ampliari ſibi acroateria, ſubſellia multiplicari & limites Muſarum Scholaſticarum in latius apertiusque proferri. Cum vero neque Procerum liberalis cura interim remittat, neque Magiſtrorum deficiat induſtria, conſtitutum eſt mihi rationes infrequentiæ illius paucis excutere, & Recturam laudatiſſimi hujus Lycei, quæ ſuffragiis & benevolentia Ampliſſimi Ordinis DNN. SCHOLARCHARUM mihi recens injuncta, atque jam rude donato Dn. Socero meo JOANNE SCHULTZE, Rectore hactenus ejusdem Joannei per quinque & viginti annorum ſpatium fideliſſimo, capeſſenda, atque DEO, ut firmiter confido, annuente ingredienda eſt, auſpicari Oratione *de cauſſis contemtus Scholarum publicarum.* Quam ut audire benevole, præſentiaque ſua honoratiſſima condecorare hoc auſpicium novi muneris mei dignentur MAGNIFICI AMPLISSIMIQUE REIP. PROCERES, LITTERARUM SCHOLÆQUE PATRONI, ATQUE OMNIUM ORDINUM DIGNITATUMQUE HONORATISSIMI VIRI, Gymnaſiique & Scholæ ſtudia quam commendatiſſima ſibi porro habeant, obſervantiſſime ab illis expetere audeo humanitate illorum atque in litteras amore fretus, huncque eorum favorem ſeriis ad DEUM precibus, ſide, ſtudio, induſtria, officiis, quantum potero per omnem vitam conaturus demereri. Scripſi HAMBURGI VII. Cal. Maj. Anno Chriſtiano cIɔ Iɔcc vIII.

Q. D.

Q. D. B. V.

PERICULUM ORATORIUM

quod facturi sunt publice

Septem Juvenes Nobilissimi in Classe prima Scholæ Johanneæ

Die XXIII. Octobris ab hora Decima antemeridiana,

Hoc

PROGRAMMATE

indicit,

Et accendendæ adolescentum studiosorum alacritati atque industriæ

Magnificorum Amplissimorumque

Hujus Reip.

Procerum, Patronorum, Fautorum,

Et cujusque Ordinis

Honoratissimorum Virorum benevolam præsentiam

Actui huic non denegandam

ea qua par est observantia atque humanitate expetit

JO. ALBERTUS FABRICIUS,

D. Prof. & Gymnasii h. a. Scholæque Rector.

HAMBURGI,

Typis CONRADI NEUMANNI, Senatus, Gymnasii & Scholæ Typographi.

Qui Rhetorica Exercitia in Scholis suscipi proponique solita, & auctoritate Superiorum, præstantissimorumque doctorum exemplo & usu frequenti jampridem recepta & comprobata urgere & ipsi, & juvenibus commendare, atque ad illa imitanda eos excitare instituunt, poterant illi sane videri jure sibi promittere communem virorum prudentum atque eruditorum suffragationem, ut qui honesto & utili maxime exercitationis genere juvenum ingenium, industriam, alacritatem, judicii vim, stylum, vocem ac mores gestusque expolire & perficere inprimis studerent. Sed longe aliter se res habet, videmus enim esse homines non ex fæce literatorum, sed quorum ingenia ipsi suspicimus atque admiramur, qui non privato consilio, sed in scriptis publice editis, & nominatim de recte educanda ingenua juventute tractantibus totum illum qui in Rhetoricis exercitationibus versatur Magistrorum laborem prorsus aspernantur ac rident, & tantum non stultæ cujusdam crudelitatis Ægyptiacæ vel crudelis stultitiæ arguunt. Hæc enim est illorum oratio, quam ex Germanica versione libri Anglice primum & Gallice plus semel editi adscribam: Euch aber etwas mehrere Eröffnung zu geben, warum ich wohl wolte, daß junge Leute nicht in Orationen, Declamationen, geübet oder getrillt würden, so ist noch dieses oder jenes hierbey zu fügen. Was zuerst Orationes oder Reden betrifft, so gestehe ich, es haben dieselbe den Vorwand eines Nutzens, welcher darin bestehen soll, damit junge Leute von einer jeden Sache zierlich und geschicklich mögen sprechen lernen. Und wenn man solches auff diese Weise erhalten könte, gestehe ich, es würde ein grosser Vortheil seyn. Inmassen nichts einem rechtschaffenen und vornehmen Manne mehr anstehen, noch auch bey allen Vorfällen im Menschlichen Leben mehr nützlich seyn kan, als wenn er das Geschicke hat bey jeder Gelegenheit wohl und recht zum Zwecke zu reden. Allein ich bleibe darauff, daß das gewöhnliche Oration machen in Schulen hierzu noch nicht das allergeringste helffe. Man betrachte nur selbst wie es zugehet, wenn so ein armer junger Mensch soll eine Schuhl-Rede machen. Da soll und muß ein Auffschnitt gemacht seyn auff einen gewissen Lateinischen Spruch, als etwa: Omnia vincit amor, oder: non licet in bello bis peccare. Der arme Tropff der von diesen Dingen davon er reden soll, gar nichts weiß, als von Sachen die durch Zeit und Erfahrung müssen erlernet werden, der soll doch seine Erfindungs-Krafft hier auff die Leiter spannen, und so lange foltern biß was heraus kommt, damit er also von Sa-

chen

chen sprechen möge, von denen er sich doch gar nichts bewust ist. Es ist dieses sicherlich eine recht **Egyptische Tyranney**, da die Leute sollen Ziegel machen, und haben doch keine Materien dazu. Gemeiniglich muß nun wohl dieses davon kommen, daß die armen Kinder zu denen die etwa mehr wissen, hingehen und bitten, man soll ihnen etwas kurtz von der Materie geben. Ob aber dieses mehr unvernünfftig oder mehr lächerlich heraus komme, ist wohl nicht so leicht zu sagen. Bevor jemand von einer Sache sprechen kan, so ist ja wohl nothwendig daß ihm solche erst bekandt sey, oder sonst ist es eben so närrisch daß er davon reden soll, als wenn ein Blinder von Farben, oder ein Tauber von der Music sprechen solte. Ich setze den Fall, es forderte einer von einem andern der gar nichts von Rechten weiß, er solle ihm einen Auffsatz in einer gewissen Rechts-Sache machen, würde man den Foderer nicht vor ein bißgen verrückt im Kopffe ansehen? Nun sage mir einer was Schuhl-Pursche von diesen Dingen wissen können, die man ihnen doch alltäglich vorgiebt, als Sachen davon sie reden, und ihren Kopff erweisen und schärffen sollen? Hæc illi, quibus eatenus libenter assentimur, quod insanum & crudele esse existimant exigere ut verba faciant juvenes de rebus sibi prorsus non perspectis. Fatemur etiam nihil verius esse dicto Horatii, quod

Res bene conceptas verba haud invita sequuntur.

Sive quod idem ait

Recte dicendi sapere est & principium & fons.

Sed propterea non plane culpandum fuerit atque abjiciendum omne ejusmodi oratorium exercitium, quod nondum plane exactam rerum humanarum peritiam habere adolescentes possint, neque res illas perfecte & ad unguem intelligant. Quin ita potius temperanda oratoria exercitatio est, ut pro captu suo ea quæ intelligunt vel a Magistris sunt explicata, dicere & verbis ornare, atque ad bonorum scriptorum exemplum amplificare latina & vernacula lingua magis magisque adsuefiant, qua in re quid vel stultum aut iniquum vel crudele demum, aut quid non utilissimum sit, haud equidem video. Aut subscribemus etiam Aristoteli, qui juvenem ex simili fere argumenti genere ineptum esse auditorem Ethices affirmabat, cum ad idoneum tamen auditorem non requiratur ut jam perspecta habeat omnia, sed ut velit & possit discere, ad quod juvenes tanto sunt aptiores, quod præconceptis opinionibus minus laborant. Sic ad oratoria quoque exercitia juvenes non erunt ini-

inidonei, licet nondum norunt omnia, vel licet pauca etiam norunt, ſufficit enim modo ea de quibus verba facere jubentur, quæque explicari prius audiverunt, non ignorent penitus, & quæ breviter ac per ſumma capita ſunt propoſita, uſu præceptorum Rhetoricorum atque præſtantiſſimorum ſcriptorum imitatione poſſint oratione perſpicua & copioſa efferre. Quod ſine uſu & exercitio fieri nunquam bene poterit, a viris vero & in dignitate verſantibus demum fieri, ſive ἐν πίθῳ κεραμεία demum addiſci eſt opido ſerum. Reſtat igitur ut fiat a juvenibus, atque ita fiat, ut ſimul adſueſcanr ingenii intendere aciem, judicii vim exercere, dictionem limare, vocem memoriamque excolere, & parrheſiam atque modeſtam libertatem ea quæ didicerunt coram aliis etiam eloquendi ſibi comparare. Nemo igitur ut ſpero facile improbabit, quin laude potius & commendatione dignum interpretabitur Nobiliſſimorum ſeptem ex Claſſe prima primorum juvenum inſtitutum, qui proximo die XXIII. Octobris publice, DEO propitio, periculum facere exercitii oratorii, atque de rebus ſibi neutiquam obſcuris nec ignoratis ſed probe perſpectis verba ex memoria facere animum induxerunt. Partes quidem dicendi ita inter illos diſtribuit ſors, quorum ordinem quem in Schola obtinent numeri adſcripti ſignificant, ut

1. OTTO FRIEDERICUS CORTHUM, Hamburgenſis, Prologi ſit functurus partibus, & Auditores humaniſſimis verbis juſſurus ſit ſalvere.

3. EGGERTUS WOLFIUS, Roſtochienſis, demonſtrabit ingenium quantumvis felix ac præclarum nihil eſſe ſine induſtria.

5. JOACHIMUS SILLM, Hamburgenſis, induſtriam parum ſine judicio valere, evincet argumentis.

6. CASPARUS MULLERUS, Hamburgenſis, confirmabit, eruditionem nullius eſſe pretii ſine modeſtia, licet nube cœlos ſibi videatur attingere.

4. JACOBUS CHRISTOPHORUS WOLFIUS, Roſtochienſis, probabit ſcientiam nihil prodeſſe ſine vitæ agendique prudentia.

7. AR-

7. ARNOLDUS WILCKENS, Hamburgensis, firmatum stabilitumque dabit, prudentiam sine justitia ac pietate nihil esse nisi pestiferam & sceleratam astutiam.

2. CASPARUS PASMANN denique post brevem latinam superiorum Orationum anacephalæosin, carmine Germanico gratias aget Patronis atque Fautoribus, votorumque nuncupatione toti actui, qui non integræ sesquihoræ spatium duraturus est, imponet colophonem.

Hos præstantissimorum Juvenum conatus ut præsentia sua honoratissima inflammare condecorareque dignentur Magnifici Amplissimique hujus Reip. Proceres, omniumque Ordinum Viri Honoratissimi, ita enixe contendimus, uti hoc beneficium summo semper studio, observantia & omni genere officiorum libenter sumus demerituri. Hamburg. Idibus Octobr. Anni Christiani cIↄ Iↄcc vIII.

Q. D.

Q. D. B. V.

Ad

Benevole audiendum

SPECIMEN ORATORIUM

Quod edituri publice sunt

Septem Juvenes Præstantissimi in Classe prima Scholæ Johanneæ

ad D. XXII. Octobris, hora X. antemerid.

Magnificos & Amplissimos Hujus Reip. Proceres, ac cæteros cujusque Ordinis Patronos Literarum ac Fautores

Spectatissimos Honoratissimosque

observanter ac studiose

invitat

JOH. ALBERTUS FABRICIUS,

D. Prof. Publ. & Scholæ Rector.

HAMBURGI,

Typis CONRADI NEUMANNI, Senatus, Gymnasii & Scholæ Typographi.

Tanta eſt caligo mentis humanæ, tam incerta conditio mortalium, ut in nulla re major obſervetur vel diverſitas vel etiam repugnantia non modo plurium hominum inter ſe, ſed etiam cujusque ſecum, quam in votis & deſideriis. Quotusquisque enim eſt qui eadem adultus expetat quæ puer, vel qui fidem poſſit facere ſe ſenem aliquando non riſurum aut deteſtaturum optata quæ modo ætate integra ſibi comprecatur. Ita non ſolus Midas eſt vel Tantalus *infelix quem ſua vota premunt*, ſed quotidie hoc videmus fieri quod de Marone eſt apud Martialem XII. 92.

Ne votum ſolvat, nunc Maro vota facit.

Vereque prorſus Horatius, - - - *ſi quis Deus*, inquit, *en ego, dicat*
Jam faciam quod vultis, eris tu, qui modo miles,
Mercator, tu conſultus modo ruſticus, hinc vos,
Vos hinc mutatis diſcedite partibus. Eja
Quid ſtatis? nolunt. - - - Lib. 1. Sat. 1.

Nimirum dum præſenti ſorte non contentus vivit inquietus hominis animus, malo quod proprie interius vitium mentis eſt, nequicquam liberatur ſi conditionem externam mutaverit, perinde ut ægrotus qui impatiens unius loci petit alterum, in eumque delatus reduci in priorem iterum exoptat, ſuum morbum utrinque ſecum circumferens. Quid itaque mirum, ipſis etiam voventibus vota ſua deinceps non probari, quæ inconſulto ac præcipitanter nuncupata ſunt, vel certe ad felicitatem eorum & ſanitatem non faciunt hilum. Cui accedit eam ſæpe eſſe hominum præ impatientia imprudentiam, ut ſua longe minora mala cum majoribus aliorum malis, bonaque majora ſua cum minoribus etiam bonis vicini contendentes, errent turpiſſime & ſibi tædii crucem figant, ſe præ aliis infelices æſtimando, eorumque ſibi conditionem ſtulte præoptando quibus jam beatiores erant, modo ſe & ſua noſſent. Adeo quidem id frequens eſt, ut Herodotus jampridem auſus ſit affirmare, ſi omnes mortales mala ſua velut ſarcinas in medium ac communem cumulum portarent, non facile quenquam fore qui alterius ſarcinam quam ſuam referre mallet, votisque præferendam exiſtimaret. Ἐπίσαμαι δὲ τοσοῦτο (inquit libro VII.) ὅτι εἰ πάντες ἄνθρωποι τὰ οἰκήια κακὰ ἐς μέσον συνενείκαιεν, ἀλλάξασθαι βουλόμενοι τοῖσι πλησίοις, ἐγκύψαντες

ἂν ἐς τὰ τῶν πέλας κακὰ, ἀσπασίως ἕκαστοι αὐτέων ἀποφεροίατο ὀπίσω τὰ ἐσενείκαντο. In eandem ſententiam Maximus Tyrius Diſſ. V. *Εἴ τις Θεῶν ὥσπερ ἐν δράματι ὑποκριτὰς ἀποδύσας ἕκαστον τοῦ παρόντος βίου καὶ σχήματος, μεταμφιέσει τὰ τοῦ πλησίον, αὖθις ἂν οἱ αὐτοὶ ποθήσουσι μὲν τὰ πρότερα, ὀδυροῦνται δὲ τὰ παρόντα.*

Eſt tamen aliquid in quo optando atque omnibus votis expetendo non quisque tantum homo ſecum, ſed & univerſum inter ſe humanum genus conſentit. Nimirum ſemper & ubique & omnes deſideramus ut bene nobis ſit & ut felices ac beati exiſtamus. Hoc tenera ætas deſiderat quamprimum ratione uti incipit, hoc adoleſcentes & juvenes cupimus, hoc expetimus viri, hoc ſenes non deſiſtimus optare, idem ſexus omnis & gens & cujusque ſæculi mortales precibus quærunt unice & expoſtulant. Quanam autem in re conſiſtat iſtud bene eſſe & felicitate uti, & quid demum faciat ad veram perennem nec pœnitendam in hac vita beatitatem, hæc eſt magna illa quæſtio in qua pleríque dum aberrant, pro Junone quod dicitur nubem, pro beatitate infelicitatem incauti amplectuntur, & hoc feciſſe ſero ſe dolent. Videtur autem felicitas præſentis vitæ perinde propemodum comparata eſſe ac pulchritudo & elegantia formæ corporis. Nam ut deformis aliquis ſit, una res efficere poteſt: ſed ut pulchri nomine dignus appareat, multa conſpirent eſt neceſſe. *Non eſt formoſa mulier, cujus crus laudatur aut brachium, ſed illa cujus univerſa facies admirationem ſingulis partibus abſtulit*, ut ait Seneca Epiſt. 33. Sic una res intervertere felicitatem hominis poteſt, cui abſolvendæ & perficiendæ plurima non ſunt ſatis, nedum unum aliquid, etiamſi ſpecioſiſſimum. Rectius igitur hac in parte Stoicis ſenſerunt Pythagorici & Ariſtotelis Schola, qui variorum * bonorum animi, corporis, fortunæ, veluti

* In Fureterianis quidem p. 149. hominis litterati felicitas his partibus abſolvitur: *Que l'on ſera heureux ſi l'on pouvoit avoir des livres choiſis, & encore plus des amis: plus de bon ſens que de ſcience, & pour toute Philoſophie beaucoup de Chriſtianisme: une maiſon propre & commode, un revenû mediocre mais aſſuré, point de Maitre & peu de Valets, aſſez d'occupation pour n'étre jamais oiſif, & aſſez d'oiſiveté pour n'étre jamais occupé, point d'ambition, point de proces, point d'envie ni d'avarice: ſi l'on pouvoit conſerver ſa ſanté par la ſobriete & par le*

florum

florum fasciculum & aromatum cumulum docebant requiri, ad tam pretiosum unguentum & fragrantissimum illum gratissimumque felicitatis odorem conciliandum. Certo autem certius est nemini mortali hoc vel contigisse unquam vel contingere, ut per omnem vitam de integra felicitate & omnibus partibus absoluta sibi gratulari queat, sive ut Varronis verbis hoc explicem

Nemini fortuna currum carcere emissum ultimo
Labi inoffensum per aequor candidum ad calcem sinit.

Felix contra est non cui cum nullis sed cui quam minimis cum malis est colluctandum, & in magna felicitatis parte poni debet minus fuisse infelicem. Caeterum maxime necessariae est prudentiae bona vera a malis sub bonorum specie imponentibus posse distinguere, tum bonorum nosse gradus, omnia DEO referre in acceptis, singula pro dignitate quaeque sua quaerere ac tueri, ita ut minoribus majora non postponantur. Hinc dum Nobilissimi quidam Juvenes, Scholae Johanneae primores alumni, exercitio quodam Oratorio periclitari vires suas vellent, hoc potissimum argumentum ipsis discutiendum proposui, quid unicuique ipsorum maxime prae caeteris ad felicitatem vitae facere atque adeo expetendum videretur. Itaque eo ordine quo eam sors ipsis assignavit, (ordinem enim quem in schola obtinent, adscripti numeri significant) verba facturi sunt universi paullo ultra horae spatium, ita quidem ut

I. JOHANNES JACOBUS WETKEN, Hamburgensis, Prologi simul partibus functurus, contendat felicissimum esse, probari viris bonis ac prudentibus.

V. JOHANNES DANIEL DECKER, Hamburgensis, edisserat nihil magis expetendum esse in hac vita quam pacem & veram religionem.

IV. JUSTUS GOTHOFREDUS ECKARD, Hamburgensis, prae aliis generibus felicitatis commendet honestam firmamque amicitiam.

travail plûtot que par les remedes: Garder la foi, ne hair que ce qui le merite, n'aimer que ce qu'il est juste d'aimer, laisser couler sans chagrin ce qui ne doit pas toujours durer, attendre avec confiance ce qui durera toujours.

ἂν ἐς τὰ τῶν πέλας κακὰ, ἀσπασίως ἕκαστοι αὐτέων ἀποφεροίατο ὀπίσω τὰ ἐσενείκαντο. In eandem ſententiam Maximus Tyrius Diſſ. V. *Εἰ τις Θεῶν ὥσπερ ἐν δράματι ὑποκριτὰς ἀποδύσας ἕκαστον τοῦ παρόντος βίου καὶ σχήματος, μεταμφιέσει τὰ τοῦ πλησίον, αὖθις ἂν οἱ αὐτοὶ ποθήσουσι μὲν τὰ πρότερα, ὀδυροῦνται δὲ τὰ παρόντα.*

Eſt tamen aliquid in quo optando atque omnibus votis expetendo non quisque tantum homo ſecum, ſed & univerſum inter ſe humanum genus conſentit. Nimirum ſemper & ubique & omnes deſideramus ut bene nobis ſit & ut felices ac beati exiſtamus. Hoc tenera ætas deſiderat quamprimum ratione uti incipit, hoc adoleſcentes & juvenes cupimus, hoc expetimus viri, hoc ſenes non deſiſtimus optare, idem ſexus omnis & gens & cujusque ſæculi mortales precibus quærunt unice & expoſtulant. Quanam autem in re conſiſtat iſtud bene eſſe & felicitate uti, & quid demum faciat ad veram perennem nec pœnitendam in hac vita beatitatem, hæc eſt magna illa quæſtio in qua plerique dum aberrant, pro Junone quod dicitur nubem, pro beatitate infelicitatem incauti ampleĉtuntur, & hoc feciſſe ſero ſe dolent. Videtur autem felicitas præſentis vitæ perinde propemodum comparata eſſe ac pulchritudo & elegantia formæ corporis. Nam ut deformis aliquis ſit, una res efficere poteſt: ſed ut pulchri nomine dignus appareat, multa conſpirent eſt neceſſe. *Non eſt formoſa mulier, cujus crus laudatur aut brachium, ſed illa cujus univerſa facies admirationem ſingulis partibus abſtulit*, ut ait Seneca Epiſt. 33. Sic una res intervertere felicitatem hominis poteſt, cui abſolvendæ & perficiendæ plurima non ſunt ſatis, nedum unum aliquid, etiamſi ſpecioſiſſimum. Reĉtius igitur hac in parte Stoicis ſenſerunt Pythagorici & Ariſtotelis Schola, qui variorum * bonorum animi, corporis, fortunæ, veluti

* In Fureterianis quidem p. 149. hominis litterati felicitas his partibus abſolvitur: *Que l'on ſera heureux ſi l'on pouvoit avoir des livres choiſis, & encore plus des amis: plus de bon ſens que de ſcience, & pour toute Philoſophie beaucoup de Chriſtianisme: une maiſon propre & commode, un revenû mediocre mais aſſuré, point de Maitre & peu de Valets, aſſez d'occupation pour n'être jamais oiſif, & aſſez d'oiſiveté pour n'être jamais occupé, point d'ambition, point de proces, point d'envie ni d'avarice; ſi l'on pouvoit conſerver ſa ſanté par la ſobriete & par le*

florum

florum fasciculum & aromatum cumulum docebant requiri, ad tam pretiosum unguentum & fragrantissimum illum gratissimumque felicitatis odorem conciliandum. Certo autem certius est nemini mortali hoc vel contigisse unquam vel contingere, ut per omnem vitam de integra felicitate & omnibus partibus absoluta sibi gratulari queat, sive ut Varronis verbis hoc explicem

Nemini fortuna currum carcere emissum ultimo
Labi inoffensum per æquor candidum ad calcem sinit.

Felix contra est non cui cum nullis sed cui quam minimis cum malis est colluctandum, & in magna felicitatis parte poni debet minus fuisse infelicem. Cæterum maxime necessariæ est prudentiæ bona vera a malis sub bonorum specie imponentibus posse distinguere, tum bonorum nosse gradus, omnia DEO referre in acceptis, singula pro dignitate quæque sua quærere ac tueri, ita ut minoribus majora non postponantur. Hinc dum Nobilissimi quidam Juvenes, Scholæ Johanneæ primores alumni, exercitio quodam Oratorio periclitari vires suas vellent, hoc potissimum argumentum ipsis discutiendum proposui, quid unicuique ipsorum maxime præ cæteris ad felicitatem vitæ facere atque adeo expetendum videretur. Itaque eo ordine quo eam sors ipsis assignavit, (ordinem enim quem in schola obtinent, adscripti numeri significant) verba facturi sunt universi paullo ultra horæ spatium, ita quidem ut

I. JOHANNES JACOBUS WETKEN, Hamburgensis, Prologi simul partibus functurus, contendat felicissimum esse, probari viris bonis ac prudentibus.

V. JOHANNES DANIEL DECKER, Hamburgensis, edisserat nihil magis expetendum esse in hac vita quam pacem & veram religionem.

IV. JUSTUS GOTHOFREDUS ECKARD, Hamburgensis, præ aliis generibus felicitatis commendet honestam firmamque amicitiam.

travail plûtot que par les remedes: Garder la foi, ne hair que ce qui le merite, n'aimer que ce qu'il est juste d'aimer, laisser couler sans chagrin ce qui ne doit pas toujours durer, attendre avec confiance ce qui durera toûjours.

II. GUSTAVUS CHRISTOPHORUS HOSEMANN, Cellensis, præferat felicitatem quæ in hominem redundat ex bona Conscientia.

VIII. DAVID MATTHIAS SLUTER, Lauenburgensis, tanquam summum felicitatis humanæ in hac vita extollat quod Poëta complexus est notissimo versiculo, *Orandum est ut sit mens sana in corpore sano.*

VI. JOHANNES KROPPIUS, Hamburgensis, nullam felicitatem homini contingere disputet posse exoptatiorem libertate & animo sorte sua contento.

III. MICHAEL CARSTENS, Hamburgensis, postquam demonstraverit omnes felicitatis partes in amore DEI consummari, Nobilissimis Auditoribus Carmine vernaculo gratias agat, & toti huic Actui imponat finem.

Hosce optimæ spei Juvenes publice e memoria dicturos ut æstimatissima honorificentissimaque præsentia sua dignentur, & tirocinium hoc Oratorium edituros benigne audiendo ad majora & præclariora audenda accendant Magnifici & Amplissimi hujus Reip. Proceres, omniumque Ordinum Honoratissimi Viri, pro insigni quo feruntur in litteras eisque operantes favore, etiam atque etiam & quam conceptissimis verbis a me rogantur, qui felicitatis partem non exiguam consequutum me existimaturus sum, si quovis modo eis studium & observantiam meam officiaque potero demonstrare. Scripsi Hamburgi die XVI. Octobris Anni Christiani clↄ Iↄcc IX.

Q. D.

Q. D. B. V.

Ad

Cohoneſtandum Præſentia ſua benevola

TIROCINIUM
ORATORIUM

Quod poſituri ſunt publice

Quinque Juvenes Optimæ ſpei atque florentiſſimi

In Claſſe prima Scholæ Johanneæ

ad D. XXI. Octobr. hora X. antemerid.

Magnificos & Ampliſſimos Hujus Reip.

Proceres, ac Cæteros cujusque Ordinis Patronos Litterarum ac Fautores,

Honoratiſſimos Spectatiſſimosque,

obſervanter ac ſtudioſe

invitat

JO. ALBERTUS FABRICIUS,

D. Prof. Publ. ac Scholæ Rector.

HAMBURGI,

Typis CONRADI NEUMANNI, Senatus, Gymnaſii & Scholæ Typographi.

Argumentum circumſpicienti, in quo elaborando adoleſcentes aliquot ingenui curæ meæ commiſſi tirocinium ſtyli iterum ponerent, & documentum publicum ingenii darent, ſenſuum quinio, digna inprimis materia mihi viſa fuit, quibus benefica & artificioſa Opificis manus homines nos atque cæteras animantes inſtruxit ratione prorſus admirabili. Unum quidem omnium pulcherrimum & evidentiſſimum argumentum demonſtrandi ac veluti manibus palpandi Numinis hoc eſt, quod ducitur ex ſenſibus, & negari non poteſt multa abſurde olim ab Epicuro effutita, illud vero omnem ſupergrediens abſurditatem ab eodem impudenter plane traditum fuiſſe, quod negavit oculos, (verbi gratia) factos eſſe ad videndum, aures ad audiendum, ad olfaciendum nares, ſed temere re ita ferente, & concurrentibus imprudenter ad oculi, auris, narium efformationem particulis, forte fortuna ita contingere contendit, ut illis animalia ad ſenſum utantur. Ecquid vero manifeſtius, quam non modo ſenſoria iſta perinde ut cætera corporis organici, quod eſt in animantibus, membra ad certos uſus eſſe comparata, ut Galenus in præclaris illis de uſu partium adverſus Epicureos libris copioſe demonſtravit, ſed etiam ſenſus pariter & res quæ ſenſibus percipi poſſunt, veluti quæ ad ſe mutuo reſpectu referuntur, ab eodem ſapientiſſimo & potentiſſimo conditore producta fuiſſe & efformata. Etenim, ſi viſibiles omnis generis ac pulcherrime coloratæ res paſſim exſtarent, nec eſſet qui illas videret oculus, aut ſi centenis etiam Argi inſtar præditus homo eſſet oculis, deſideraretur vero lux quæ res colore notatas adſpectui offerret, & hi & illæ fruſtra eſſent, unde evidens eſt ab eadem ſapienti ac potenti bonitate Numinis profecta eſſe quæ ſibi invicem tam neceſſaria ſunt univerſa hæc tria, lucem, colores, oculum, e quibus nullum vel ſe ipſum producere vel alterum e duobus cæteris efformare potuit, carere tamen neutro e reliquis duobus ullum poteſt, ut non ipſum inutile ſit ac nullius momenti. Quemadmodum igitur ſi quis videat horologium ſolare affabre conſtructum & perite deſcriptum, quo ſtylus diei index per umbram exiguam horas conſuevit oſtendere, nemo ſanus dubitet illud non temere enatum ſed a docto artifice ad ſolis curſum eſſe compoſitum, aut ſi quis aliud genus horologii mechanici ejuſque rotulas, & momenta contempletur, illico perſuaſus ſit non modo de perita manu & arte ejus qui illud fecit, ſed etiam intelligat id ad menſurandum tempus eſſe ita per horarum numeros deſcriptum: Similiter indignus eſt oculorum uſu quiſquis illorum ſtructura admiranda conſiderata vel artificem

cem vocet in dubium, vel pulcherrimi usus beneficium ad certos fines animantibus utiles a Conditore datum non agnoscat. Idem de aliis sensibus dictum velim, sed unius oculi contemplatio (considerare enim Astrologorum proprie verbum est, ut θεωρεῖν Theologorum) tot & tanta miracula nobis offert, ut ad alia sensoria deflectere non sit necesse. Quot quæso ille quamque diversis ex tunicis, glandulis, musculis, vasis, vesiculis, nervis, humoribus constat, quam vividum in illo humore ignem ac phosphorum gerit servatque, radios extra spargentem quandoque tam sensibili vigore, ut acrius contuenti alter homo velut ad fulgorem solis vultum submittere vel convertere se cogatur, ut de Augusto Imp. refert Suetonius c. 79. & Servius in Æneid. VIII. 680. Unde & colaphis cæsi vel palpebris prope sinum oculi motis, vel e sopore nocturno interdum qui subito aperiunt oculos, vident lucem, nonnulli etiam in tenebris perspicue cernunt ut, de *Tiberio* Imperatore traditum a multis est, atque in Heliodori Opticis etiam notatum: de *Asclepiodoto* philosopho commemoravit Damascius ap. Photium in vita Isidori, Cod. 242. p. 561. 571. De *M. Antonio Sabellico* Pierius Valerianus XXXIII. 5. Hieroglyph. de *Cardano*, *Julio Cæsare* & *Josepho Scaligeris*, *Isaaco Casaubono*, *Jo. Baptista Porta* & cive quodam Brigantino refert Conringius de calido innato c. 15. p. 153. *Athanasius Kircherus* ipse de se in magna arte lucis & umbræ lib. 2. part. 2. c. 1. p. 118. & de virgine quadam Parmensi Basnagius Bellovallius in Hist. Operum eruditor. A. 1689. p. 127. De septentrionalibus nonnullis populis Olaus Magnus II. 14. De Leucæthiopibus Jobus Ludolphus comment. ad Hist. Æthiopicam p. 197. & If. Vossius de originibus Nili p. 69. & de Chacrelatibus Bataviæ Indicæ Franciscus Legatus T. 2. itineris in duas desertas insulas Orientales suscepti p. 137. Ac ne dicam quæ de noctuis, felibus, lupis noctu videntibus pauci ignorant, nec Lynceum memorem, aut oculatissimum alterum hominem qui mille & octingenta stadia quæ abessent naves videbat, de quibus Delrionem adire licebit comment. ad Senecam Tragicum p. 32. seq. & Brodæum VIII. 1. Miscellaneor. ac Petavium lib. VII. diss. ad Uranolog. cap. 10. tam longe acies visus nostri patet, ut immenso spatio distantes stellas etiam fixas videant qui communi saltim oculorum usu pollent. Prorsus autem est verisimile ab externa luce velut nutrimento pasci & ali istum ignem oculorum, adeo quidem ut si hac eis diutius carendum sit, illa quoque lux quæ est in oculis velut subtracto alimento extinguatur, quemadmodum Procopius Cæsareensis in arcana Historia narrat Buzen quendam per longum tempus in obscuro carcere detentum

tum postea per omne vitæ tempus cœcutiisse. Nimirum & hinc apparet conditorem lucis Deum eundem & oculorum fabricatorem agnoscendum, cui lucem non modo medium videndi sed quoque vigoris atque aciei pabulum paraverit. Dignum summa Opificis sapientia & illud, quod aperto licet oculo utroque, altero tamen solum videmus visione quam distinctam vocant, alterius interim axe oculi sic relaxato & retracto, ut plane prorsusque otietur, quemadmodum præter Borellum aliosque observavit Gassendus in Epistola ad Galilæum T. 5. Opp. p. 94. & experimento facili sentire per se quisque potest. Videlicet hoc ipso fit, ut duobus oculis non duplices sed uti sunt simplices nobis res quælibet appareant, dum interim duo oculi non tantum faciunt ad decus, ne Polyphemi instar unoculum animal sit, sed etiam ad visus confirmationem, acie per maximam distantiæ partem duplicata, deinde quo plura simul circa nos videre possimus, atque inde nobis latius cavere, ac denique si per infortunium altero lumine carere contingat, ut alterum necessario subsidio supersit. Alioqui ad unam aliquam rem acrius intuendam non modo sufficit sed etiam aptior est unus oculus, sensu interim per alterius oculi objecta non distracto, quamobrem etiam qui ad scopum collineant alterum claudere oculum solent, *διὸ δὴ καὶ τοὺς ἑτεροφθάλμους λέγουσιν ὀξύτερον ἀντιλαμβάνεσθαι τῶν αἰσθητῶν, ἅτε μὴ μεριζομένης τῆς ὄψεως ἐπὶ τῶν ὁρατικῶν ὀργάνων*, Scholiast. Hermogenis p. 382. At plerumque expedit animali majus spatium simul posse videndo complecti, quod duplici oculo fit optime & commodissime, adeoque etiam a sapientissimo conditore duplex fuit concessus: araneis & aliis insectis quibusdam etiam multiplex, ut veluti toti oculati essent, unde fuerunt qui piscium & animalculorum ejusmodi & oculorum in illis multitudinem cogitantes dubitarint plures ne oculi an pili in rerum natura reperirentur? Observati autem plures oculi in insectis quæ dixi sunt microscopiorum ope, quibus ad parva corpora intimamque eorum texturam contemplandam perinde ut tubis ad longius dissita cœlestia corpora consideranda oculos nostros armare tanta sollertia recens ætas docuit, ut per tubos jam multa cœli spectabilis mysteria antiquis ignorata pateant, & a Pugeto microscopia jactentur, quæ sedecies millies millenis vicibus magnitudinem corporum visui subjectorum augeant. Quod vero oculis nostris non illam aciem a natura inditam habemus, quam instrumentorum illorum ope consequimur, factum etiam ipsum est a DEO sapientissime, ut omnia: quemadmodum enim ad imagines quasdam ut pulchriores appareant, requiritur certa distantia, ita etiam ad spectandam pulchritudinem quæ est in rebus

creatis

creatis certo aciei visus gradu opus est, eo ipso nempe quem habemus: quod si enim acutius minutissima quæque cerneremus, facies quæ nobis jam apparet mirifica, turpissima illico videretur, & suum quisque conspectum velut hirtæ ac villosæ bestiæ, plenamque cutem tuberibus & foveis, refugeret horreretque. Sunt infinita alia quæ vel solos oculos cogitantem, nedum ad alios sensus deflectentem animum replent admiratione sapientissimi, optimi, potentissimi Opificis, quorum nonnulla in medium afferent florentissimi Juvenes quini Scholæ Johanneæ primores, qui e memoria dicturi sunt de laudibus quinque sensuum, de illorumque prærogativa inter se ita amicum quoddam instituent certamen, ut

I. GUSTAVUS CHRISTOPHORUS HOSEMANNUS, Cellensis, visum celebret.

II. PETRUS DRAING, Hamburgensis, commendet auditum.

IV. GERARDUS LUDERUS, Hamburgensis, olfactum efferat.

V. JOANNES REINSTORP, Hamburgensis, gustandi sensum extollat laudibus.

III. PETRUS WICHMANNUS, Hamburgensis, dilaudet tactum, & gratiarum actione ac Voto colophonem huic Actui Oratorio imponat.

Eidem decorando ut quantum per ardua & majoris momenti negotia facere poterunt, ad honestissimos stimulos Juvenum præstantium studiis admovendos, præsentiam suam honorificam per unius paullo plus quam horulæ spatium ne denegent Magnifici & Amplissimi Reip. Proceres atque Patroni & Fautores reliqui litterarum honoratissimi, enixe & observanter oro expetoque. Idibus Octobr. A. C. cIↃ IↃccx.

(o)

Quod felix fauſtumque ſit!

Ad

Benevole Auſcultandam

ORATIONEM SÆCULAREM

Qua

DECENNIUM MEMORABILE

atque in eo præcipue

ANNUM cIↄ Iↄ xxvIII.

Conſtitutis divino beneficio in hac urbe

SACRIS EVANGELICIS

nobilem

Gymnaſio Patrio Valedicturus

Patre Dignus atque Excellentis Ingenii Juvenis

JOHANNES RICHEY

Hora Decima Matutina D. xxvIII. Oct. A. cIↄ Iↄ cc xxvIII.

Publice celebrabit:

Ampliſſimos Hujus Reipublicæ ac Gymnaſii Proceres

Omnium Ordinum Honoratiſſimos Viros, Cives Denique Gymnaſii Noſtri Florentiſſimos

Ea qua par eſt obſervantia invitat

JO. ALBERTUS FABRICIUS,

SS. Theol. D. Philoſ. Pract. atque Eloqu. Prof. Publ.

HAMBURGI,

Typis CONRADI KOENIGII, Ampliſſ. Senat. & Gymnaſii Typogr.

Nescio quomodo fieri videmus, ut quod existimamus pulchrum esse, omnes laudemus libenter, *pulchri* sensu atque amore omnes alliciamur, quid vero demum sit *pulchrum*, adhuc quæratur inter Philosophos, atque integris disceptetur voluminibus. Mihi quidem expendenti ea quæ post *Platonem* in Hippia majore, in Symposio, in Phædro atque aliis in locis, commentati sunt de pulchro S. *Augustinus*, & quæ *Alcinous*, *Jamblichus*, *Proclus*: quæ post *Aristotelem* & *Stoicos* atque *Lucianum* in Charidemo, recentiore memoria *Augustinus Niphus* & *M. Antonius Natta* subtiliter disseruere; quæ denique, ne alios jam memorem, acute nuper disputata sunt a celeberrimo viro *Joanne Petro Crosa*, & aliis quos in ora paginæ (a) notavi; plerique eorum partem duntaxat pulchri expendisse, non universi naturam

(a) *Joannis Petri Crosa* liber de pulchro, *Traité du Beau*, Gallice excusus Amst. 1715. 1723. & Anglice A. 1725. Ejusdem viri Clarissimi Epistola ad auctores Diarii eruditorum Hagensis (Journal Litteraire T. IV. p. 338.) *Francisci Hutchinson* Enquiry into the original of our ideas of beauty and virtue. Lond. 1725. 8. *Ludovici Marini* Carmen de pulchro, ad Clarissimum Grenanum, quod in altero diario Gallico legitur (Memoires Hist. & Critiques Amst. 1722. Jan. p. 52.)

Danielis Heinsii Diss. de pulchro Socratico, ad Maximi Tyrii calcem.

D. Jo. Francisci Buddei de eo quod in Theologia pulchrum, Jen. 1715. & parte 2. Misc. Theol. p. 299. sq. *Christophori Wolle* de eo quod pulchrum est in versione Bibliorum Seb. Castellionis, ante editionem Lips. 1728. 12. *Christ. Blume* de eo quod pulchrum est in Theol. nat. Hafniæ 1733.

Jo. Matthiæ Hasii de pulchritudine architectonica diss. duæ, Witteb. 1727.

Jo. Guil. Bergeri de naturali pulchritudine Orationis, ad præcepta Longini & Julii Cæsaris exemplum exacta. Lips. 1719. 4. *Nicolii* Diss. de vera & falsa pulchritudine epigrammatis, de la vraie & de la fausse beauté dans les ouvrages d'esprit, præmissa delectui Epigrammatum edito a Claudio Lanceloto.

Stephani Pignatelli, quanto piu alletti la bellezza dell' animo che la bellezza del corpo. Rom. 1680. 8.

Joannis Mariæ Paroli, Cremonensis trattato in compendio, della bellezza, secondo l'opinione di diversi Filosofi, Casalis 1685. sub. nomine *Amadei Arcipavole*. *Nicolai Viti* Gozzensis, dialogo della bellezza. Venet. 1581. 4. *Julii Mancini* de decoratione, pulchro habitu corporis &c. Francof. 1587. *Ernestus Venius* de pulchritudine. Bruxellis 1682. 8. *Petrus Laurembergius* in pasicompse, Regiomont. 1672. 8. *Galfridi de Vino Salvo* Poetria nova, v. 569. seqq. *Franciscus Junius* de pictura Veterum III. 9. &c.

ejus tradidiſſe poſſunt videri. Si autem notionem veram vocabuli conſideres, pulchrum eſt *quodlibet in ſua natura plenum perfectumque, prout illud neceſſe eſt perfectione ſua intelligentis ac guſtantis cujusvis vel ſenſus vel animum vel utraque afficere ſuavi ac delectabili quadam perceptione.* Τὸ καλὸν φίλον ἀεὶ & pulchrum eſt quod placet. vid. Muret. IV. 4. Var. lect. Habet ſane hoc divinitus in rebus perfectio quælibet, etiam in iis quæ contemtiſſima vulgo ducuntur, ut ſenſus & animum oblectent intelligentis: quæ ipſa eſt ratio cur DEUS, παντὸς κάλλους γενεσιάρχης omnis pulchritudinis auctor & fons quæcunque condiderat intuens, illis ut valde bonis, hoc eſt perfectis ac pulchris delectetur, & in ſua pulchritudine utpote ſumma atque infinita beatitudine, acquieſcat æternum: Julio Cæſari Scaligero inde Φιλαυτότατος dictus atque αὐταρκέστατος. Quod igitur *bonum* eſt in ſe ac *perfectum*, ratione ſentientis vel intelligentis quem oblectat, *pulchrum* dicitur. (b)

Ut diverſi ſunt gradus & rationes perfectionis multivariæ, ita etiam varia & diverſiſſimi generis pulchra dantur, quorum alia animum tantummodo, alia ſenſum unum vel aliquos inprimis, ac per hos animum contemplantis perfundunt voluptate. Summa unius DEI (c) pulchritudo eſt, & ſingularis, quoniam infinita Ejus perfectio, Bonitas ſumma, potentia ac ſapientia, cui nihil par, nihil ſecundum vel cogitatione licet aſſequi homini, qui tantum deeſt ſibi ipſi ac voluptati animi ſui in hac vita detogat, quantum negligit ſeſe oblectare animumque paſcere in noſcenda magis ac magis infinita

(b) Hinc datur guſtus quidam metaphyſicus, vere bonum & perfectum in re quacumque agnoſcens. v. *Diſſ. ſur le gout.* T. XI. P. I. continuation des memoires de lit. & hiſt & Journ. des Sav. 1732. Jul. p. 371. ſſ. Sicut viciſſim dantur caprices dans le gout. Jour. des Sav. 1731. Nov. p. 327. 329. & pulchrum aliis, quod aliis deforme. Lettres ſerieuſes & badines T. IV. p. 117.

(c) *Jo. Euſebii Nierembergii* Liber cui titulus: *la bellezza di DIO*, ex Hiſpanico verſus Italice, Hieron. Gandolpho interprete. Panormi 1662. 12. Ipſe DEUS omni pulchritudine pulchrior, τὸ πρῶτον ἀγαθὸν καὶ καλὸν, κρεῖττον μὲν ἀγαθοῦ, κάλλιον δὲ καλοῦ, καὶ μακαρίου μὲν μακαριώτερον, εὐδαιμονίας δὲ αὐτῆς εὐδαιμονέστερον vocatur Philoni. in limine libri de legatione ad Cajum. Ad ejus amorem ἐπὶ τὸ πολὺ τοῦ καλοῦ πέλαγος τρέπεσθαι ἀποστάντας τῆς περὶ ταῦτα τὰ γήινα μικρολογίας merito ſuadet Socrates ap. Platonem. v. Plutarch. p. 1002. quæſt. Platon. Adde Jo. Jac. Rhode Diſſ. duas de DEI pulchritudine, Regiomonti. 1725.

illa

illa pulchritudine, in cujus intuitione ut ſummum caput beatitatis quotidie experiuntur qui faciem DEI coram vident angeli, beatique cœlites, ita gaudii & amoris perpetuam & novam ſemper materiam haurient perſentiſcentque in omnem ſempiternitatem. Nam ut vere Plato, *κόρος οὐδεὶς τῶν καλῶν, rerum pulcherrimarum nulla eſt ſatietas.* Vel ſecundum Herodot. VII. 49. *Ουδεμίη πληθώρη ἐυπρηξίης.*

In rebus creatis, illa quæ menti ſoli pulchra videntur, triplicis eſſe generis mihi perſuadeo: alia in quibus perfectio potior angeli, mentisque humanæ conſiſtit; ut ſunt conjunctio cum ſummo bono, faſtigium ſapientiæ ac virtutis, quam, ſi oculis cerni poſſet, ita pulchram eſſe pronunciavit apud Platonem Socrates, ut formoſitate ſua mirabiles amores excitaret ſui, omniumque hominum animos, facile ad ſe una alliceret. Alia quæ in rebus corporeis quidem, ſed ſolo mentis oculo non ſine inſigni voluptate perſpiciuntur, ut accurata proportio, harmonia, congruentia, ac varietas utilitasque rerum plurium ad unam communem ac nobilem rem perficiendam, ex ſapienti moderatione ſive Divina, ſive miniſtrante humana arte conſpirantium. Quibus motus Vir ſapiens Pythagoras hoc Univerſum *Κόσμυ* ſive *Pulchri* nomine appellavit, a quo & Latini *Mundum* dixere velut a nitore ac munditie, hoc eſt a pulchritudine. Alia denique pulchra habentur, quæ ex uſu & conſuetudine probantur aut decere putantur præ cæteris, vel ex artis præceptis ac regulis per varias diſciplinas ad ſcopum dignum collineantium, metam ad quam tendunt perfectionis vel attingunt, vel ad illam accedunt quam proxime. Itaque pleræque omnes ſcientiæ pulchrum peculiare, hoc eſt ſuo in genere perfectum pro ſcopo propoſitum ſibi habent, quod pro diverſis diſciplinis artibusque varium eſſe conſtat. Sic aliud pulchrum in Theologia eſt, in Philoſophia aliud, aliud in aliis ſcientiis ac diſciplinis, artibusque vel linguis.

In Theologia quidem pulchrum eſt, forti ac conſtanti fide præire aliis, & illuminata a Spiritu S. mente ſcire in quem credas, potentem eſſe in Scripturis, doctrinamque & vitam ad illarum præſcriptum unice exigere & compoſitam habere: Pro tuenda ac profitenda ſacra fide nihil non facere ac perferre libenter: aliis prælucere doctrina atque exemplo: ab officio ſuo, a charitate in DEUM hominesque nec ſpe aut illecebris dimoveri, nec periculis avelli aut metu: ab hypocriſi vero, ab invidia, ab habendi libidine, ab ambitione, & quæcunque formulæ ſanorum verborum contrariantur, conſcientiam ſeruare integram & incontaminatam, bonoque certamine ſuperato tandem

dem plenum spei ac fiduciæ ad Coronam e manu Servatoris suscipiendam lætum ac hymnos canentem ex hac vita discedere.

In Philosophia pulchrum est, præjudiciis & affectuum æstu animum liberasse, deposita ignoratione DEUM colere, ac familiarem sibi reddidisse rerum hominumque naturam, aciem mentis intentam & sollertem habere ad verum amplectendum ubique, bonum amandum, & in usum vertendum, fugienda contraria: didicisse ἐνασμενίζειν τοῖς παρεῦσι & sibi aliisque καταγλυκαίνειν & edulcare vitam, atque jucundam securæ εὐθυμίας coronam sibi plectere; errorum tenebras dispellere serena & evidenti luce veritatis.

In eloquentia pulchrum est nihil desiderari, quod deceat, nec in sententiis aut argumentis, nec in delectu verborum, nec in ordine aut voce & actione; sed habere in promtu quicquid pro ratione temporis dignitateque rerum ac personarum possit facere ad conciliandos, docendos, delectandos, persuadendos, permovendosque animos auditorum, lectorumve.

In Poesi (d) pulchrum est vera aut verisimilia nova & admiranda digno decantare carmine, aptosque colores & figuras novas ac suave pondus splendoremque ac vitam rebus præstare utilibus, ut non minus prosit quam delectationem afferat numeris suis & puro atque exquisito dicendi genere præstans versuum compositio.

Doleo non exstare Nic. Damasceni scriptum περὶ τῶν ἐν τοῖς πρακτικοῖς καλῶν, quod licet breve, multis aliis πολυστίχοις de hoc argumento præferre se testatus est Simplicius p. 194. ad Epicteti Enchirid. c. 37.

Similiter in unaquaque scientia, arte, disciplina ἀγαθὸν τὸ καλόν: hoc est, qui bonum & perfectum noverit, idem etiam quid pulchrum in eadem sit, quid deceat, perspectum habebit, ita ubique, quantum a perfectione, tantundem a pulchro semper absumus. Est autem perfectum, summum optimumque ex illis quæ natura cujusque admittit, quod intendit inprimis, & ad quod comparata est: sicut in corporeis etiam videmus, quæ visu, quæ auditu, quæ aliis sensibus possunt percipi. Sic iridis pulchritudo constat forma, magnitudine, vividaque colorum & ordinata varietate: pulchram

(d) Conf. Lud. Anton. Muratorium della perfetta Poesia Italiana Lib. I. c. 5. ff. ubi de bono gustatu & pulchro poetico erudite differit, & lib. III. c. ult. ubi de perfectione boni gustatus poetici.

in

in hominis corpore formam facit perfecta & naturæ ejus conveniens partium compositio, colore, habitu, magnitudine, proportione: quorum si vel unum loco non suo sit, vel a naturæ regula abhorreat, res deformis vel plane monstrum habebitur. Nec tamen ad pulchritudinem rei corporeæ universe requiritur diversi generis partium compositio, ac speciosus quidam veluti vultus formæ, cum pulcherrima res sit lux, qua nihil est simplicius, cujus ope pulchras res cæteras visibiles omnes usurpare oculis solemus. Pictura vero illa pulcherrima est, non quæ res formosas describit, sed quæ rei, quam exprimit, tametsi fœdæ aut horrendæ naturam refert quam perfectissime. Cæteris quoque sensibus, aut auribus, olfactui, palato, tactui pulchrum videtur quod ex naturæ legibus sensus illos quam jucundissime perfectissimeque afficit, ut auditum modulata vox; suaves, ad rationes musicas & scita rhythmi vicissitudine temperati soni, in quibus quantum ad naturæ perfectionem ab arte accedit, tantum etiam pulchro Musico adiungitur.

Merito *sapere* illi dicuntur, qui quod pulchrum est in re unaquaque sentiunt & intelligunt, illudque digno norunt amore æstimare: hi enim sunt, quos eo ipso nomine felices dixeris merito, quod ex boni ac perfecti gustatu & sapore jucundissimam & innocentissimam persentiscunt voluptatem. Quod autem *saporem* sive *palatum* a quo etiam *sapientia* & *desipientia* nomen accepit, scite ad animum transferunt & ipsi scriptores (c) sacri, & Græci ac Latini veteres, atque decantatus ille hodie apud Gallos, & illorum imitatione apud alias etiam nationes bonus gustatus: ita sensum universe hoc modo accipiunt Græci pariter ac Latini, quibus *αἰσθάνεσθαι* ac *sentire* est rem intelligere ac probare, ut ostendunt exempla a V. C. Petro Burmanno allata ad illud Phædri, epilogo libri secundi:

& arte fictas animus sentit fabulas.

Similiter ut a sapore sapientia, ita a *videndi* sensu providentia ac prudentia dicitur, & pervulgatum est illud: *loquere ut te videam*, & hoc Græcorum:

(c) טעמו Gustate & videte quam suavis sit Dominus Ps. XXXIV. 9. adde Prov. XI. 22. Job. VI. 6. *εἰ δέ ἐστι γεῦμα ἐν ῥήμασι κενοῖς* Job. XX. 12. *εἴπερ ἐγεύσασθε ὅτι Χρηστὸς ὁ Κύριος* 1. Petr. II. 3. *γευσαμένους τῆς δωρεᾶς τῆς ἐπουρανίου, καὶ καλὸν γευσαμένους Θεοῦ ῥῆμα* Hebr. VI. 4. 5. adde Heb. V ult & Isidor Pelus. IV. 49. Epist. Sensuum voces invicem permutari & a sensibilibus ad animum transferri, ac vicissim, docet Salmasius p. 200. sq. ad Solinum & Grotius ad Act. VII. 32. & 1. Pet. I. 12.

διπλῶς

διπλῆν ὁρῶσιν οἱ μαθόντες γράμματα,
Edoctus artes alterum tantum videt.

Sed & *odorandi* sensum ita adhibuit Cicero IV. 8. ad Atticum scribens, *tu velim Fabium odorere, & istum convivam tuum degustes.* Ad *auditum* pertinet tritum illud Persii, Satyra quinta:

- - *pulsa dignoscere cautus*
Quid solidum crepet - -

Denique sensum *tangendi* menti tribuere eodem modo placet communi usu Gallis *tater*, Anglisque, *to tast*, & Germanis nostris, zu fassen, zu begreiffen: atque notum Apostoli ψηλαφήσαιεν, Actor. XVII. 27. ubi Optimi Numinis in homines beneficia commemorat, collata in hoc, ut eum *palpando* invenitemus: perinde ut loquitur Cicero lib. 1. de leg. c. 23. *Idem animus, cum Cælum, terras, maria, rerumque omnium naturam perspexerit, ipsumque ea moderantem & regentem pane PREHENDERIT.* Quoniam autem sensus saporis pro rerum gustatarum diversitate inprimis solet esse conjunctus cum voluptate vel molestia, hinc rectissime gustatum illis bonum tribuimus, qui res quales sunt intelligendo pro cujusque natura & dignitate ac pulchritudine ex earum perceptione afficiuntur.

Non mirum est, multis non videri pulchra, quæ pulcherrima sapientibus videntur, & sunt omnino, & qui ut Ennius ap. Cic. II. de Nat. Deor. c. 18. *dum palato quid sit optimum judicant, cœli palatum non suspiciunt*: quoniam qui desipiunt, sapore boni ac perfecti destituuntur, vel mire corruptum tenent & depravatum, vel prorsus iterum amisere. Nam ut vere Cicero (Philippica II. 45.) *ut quidam morbo aliquo & sensus stupore suavitatem cibi non sentiunt, sic libidinosi, avari, facinorosi, veræ laudis gustatum non habent.* Miseri ἐστάπαν ἄγευστοι καλοκαγαθίας, ut loquitur Philo lib. de sacrificantibus. p. 661. Similiter accidit perversum stomachum corruptumque palatum & nequam habentibus, in rerum etiam maximi momenti dijudicatione, ut ad pulchrum caligent fere, ad suavissima & profutura tardo sensu sint & hebeti, vel plane nullo, vicissim velut pica laborantes inutilibus, pravis, absurdis, exitiosis inhient mira aviditate.

Præclare igitur apud Plutarchum ὅτι διδακτὸν ἡ ἀρετή. p. 439. Pædagogus apud Spartanos interrogatus quid suæ curæ commissos doceret, τὰ καλὰ inquit τοῖς

τοῖς παισὶν ἡδέα ποιῶ facio ut res præclaræ & utiles juvenibus etiam pulchræ & jucundæ videantur. Vere quidem dixit de naturali sapiendi sive gustandi facultate Quintilianus (f) *Judicium non magis arte tradi, quam gustum aut odorem*: sed Fabio ipso judice licet affirmare, judicium & gustatum arte tradi acuique, & usu perfici in rebus illis omnibus, quæ non natura sola, sed usu (g) aut artis præceptis constant: ut in Pictoria, in Poëtice, in Oratoria & in linguis, in quibus Atticum saporem eruditiorem vernaculo, sapientemque gustatum habere nemo potest, nisi qui usu multo excoluerit ingenium, quique linguas & artes illas ita edoctus fuerit, ut quæ in illis deceant, & quæ probatiora perfectioraque sint, *sentire judicio velut palato* (h) valeat, quod a natura sola habet nemo. Etiam in ipsis luxuriantium vitiis atque excessibus, sensum palati augeri, atque gustatum peritiorem reddi per artem atque usum posse constat; unde habuit Apicius, ut audiret Plinio (i) *ad omne luxus ingenium mirus*, & Petronio apud Tacitum (k) *eruditus luxus & scientia voluptatum potior* tribuatur. Verum de differentia gustatus, qui constans atque a natura est, & illius qui varius est usu & consuetudine, aut qui arte constat vel perficitur, non opus est post viros clarissimos, (l) qui hoc argumentum nuper certatim illustrarunt, plura verba facere.

(f) Quintilian. VI. 5. Institutionum Orator.

(g) Bene Regnerius: (diss. in Homerum p. 33.) *en matiere de langue il y a des choses de goust, ou d' usage, auxquelles il ne faut pas moins deferer qu' a la raison mesme.* Idem dixeris de rebus omnibus ad decori rationes pertinentibus.

(h) Id. VI. 6.

(i) Plin. Histor. nat. IX. 17.

(k) Tacit XVI. 18. Annal.

(l) *Gedoin Massieu* Diss. sur la difference du gout naturel & artificiel. *Mr. l'Abbe du Bos* Diss. touchant la preference que l'on doit donner au goût, sur la discussion, pour juger des ouvrages de l'esprit (Bibl Françoise A. 1726. p. 216. & T. 9. p. 152. Journal des Sav. 1727. p. 90. Continuation des memoires de literature & d'histoire III. 1. p. 3. ss.) *Mr. Bellegarde*, Hist. des ouvrag. 1702. p. 148. *Madame Dacier* des causes de la corruption du goût, Paris. & Amst. 1715. 12. Diss. sur le gout Attique par Mr. le President du Gas. (Bibl. Franc. T. XVI. p. 341. Gel. Zeit. 1732. p. 255. ss.) Mr. *Grandval* du bon gout dans la Musique. (Journ. des Sav. 1732. Dec. p. 501.) *Frain du Tremblay* Diss. sur le bon gout. (Journal des Sav. 1714. p. 603.) *Mr. Charles Rollin* de la maniere d'enseigner & d'etudier les belles lettres, discours preliminaire. T. I. p. LXXIX. sq.

Illud potius inquirere eſt operæ pretium, quomodo judicium a guſtatu, ſive ut Cicero (m) vocat, a *taciti ſenſus dijudicatione* diſcernatur. Ita nempe, ut ab intelligentia amor, ſenſus, appetitus & voluntas, ut ἐπίγνωσις ab αἰσθήσει (n) Philipp. I. 9. ut a ratione ſtomachus, quæ duo probe diſtinguens Plinius junior (o) *non rationem*, inquit, *ſed ſtomachum tibi narro*. Debebat quidem in homine ſano nunquam a judicio & ratione palatus diſſidere: verum non ita bene agitur cum pleriſque, ut quæ vident meliora, probantque judicio, eadem ament quoque, ac voluntatis ſenſu etiam ſequantur, iisque delectentur: atque hæc eſt cauſa cur appetant multi, præferantque, quæ fugienda eſſe ipſi non ignorant. In aliis non ita evidens eſt judicii cognitio, ut appetitui, ſtomacho ac palato, ſive ſanus ille ſit, ſive deſipiens ac corruptus, poſſit præſcribere quid deligendum ſit tanquam perfectius ac melius, quid tanquam ſiniſterius poſtponendum. Alii quæſitiſſimas dapes non guſtu ſed difficultatibus æſtimant. Alii rationem ne in conſilium adhibent quidem, ſolo appetitus ſenſu ducuntur, de illo corrigendo ſecuri & incurioſi: quibus mirifice placent qui de guſtibus diſceptandum eſſe negant, quod in

Reflexions generales ſur ce qu'on appelle le bon gout. Mr. *Voltaire* temple du gout. (Bibl. raiſonnée T. X p. 393. ſſ.) Et ne Gallos ſolos memorem, Hiſpanus *Balthaſar Gratianus* Oraculo manual, y arte de prudencia (Gallico interpreti l'homme de Cour.) Cap. 65. & 298. Ex Italis *Antonius Muratorius* ſub Lamindi Pritanii latitans nomine, rifleſſioni ſopra il buon guſto nelle ſcienze e nelle arti, Venet. 1708. & Neapoli 1715. (Giornale de' letterati d'Italia T. 1. p. 283. T 21. p. 458. Acta Erud T. 7. ſupplem. p. 127.) Atque e Germanis noſtris Johannes Sachs, IX. Geſchmacke des Ehe-Standes. *Anonymus* von dem Einfluß und Gebrauche der Einbildungs-Krafft zur Ausbeſſerung des Geſchmacks. Franckf. 1727. 8. Anklagung des verderbten Geſchmacks. ibid. 1728. 8. Denique *Joannes Ulricus Kœnig* in Diſſertatione erudita atque jucunda de hoc argumento, quam luculentæ illuſtris Kanitii poëmatum editioni hoc ipſo anno 1728. Dresdæ ſubjunxit.

(m) Cic. III. de Oratore c. 10. *Le cœur a ſes raiſons que la Raiſon ne connoit point: On le voit en mille choſes*, Paſcal. p. 312.

(n) Conferantur B. D. *Gottlieb Wernsdorfii* diſſ. de guſtu ſpiritali. Witeb. 1727. B. D. *Jo. Guil. Baierus* de prægustu vitæ æternæ. D. *Jo. Georg. Pritius* de experientia ſpiritali. D. *Chriſtoph Matthæus Pfaffius* in Inſtitutt. Theol. dogmat. & moral. ſeq. Tubing. 1719. 8.

(o) Plin. IX. 17. Epiſt.

porcis

porcis (p) etiam videmus, quibus nulla quis ratione gustum fœdissimarum rerum dissuaserit. Quanto humanius vero sibi consulunt illi, & quanto feliciores sunt etiam, qui hoc agunt semper, ut doctum & eruditum palatum sibi comparent obsequio rationis, atque indefesso studio, ut bona & pulchra ipsis placeant, recta probentur amenturque, *ὅσα προσφιλῆ, qua amabilia, si qua virtus, si qua laus*, (Philipp. IV. 8.) eam unice sectentur, exquisito nec-publico sapore, atque illo quem gustatum magnum (q) Itali (*il gusto grande*) appellant in his qui supra vulgares sensus ac regulas bonis auspiciis provecti sunt. Cum vero pulchra alia aliis pulchriora & sint & intelligantur, tu benevole lector ex Fraguierii præclaro monito age, quod habet in Mopso s. Schola Platonica de hominis perfectione:

Tu scalam e gradibus facito, qua nixus ad ipsum
Ascendes pulchri perveniesque caput.
Hic porro DEUS est Mundi Pater, unius alma
Causa boni, de quo dicere plura nefas.

Non puto in alieno argumento me versatum hactenus, quod de sapiente palato dixi, qui pulchris rebus ducitur, & quod de pulchro præfatus sum, indicturus Orationem Sæcularem, quam in Gymnasio hujus Urbis habere proxime instituit Juvenis Nobilissimus JOANNES RICHEY, Doctoris publici, ingenio, meritis & doctrina celebratissimi & Collegæ mei honoratissimi filius unicus, in quo sive genus nobilissimum & Consulare ex matre, sive animus & mores recti, sive felix ingenium, sive cura erudita ac sollers,

(p) Porcus cum aliis animantibus a Leone ad convivium invitatus, magnum videns apparatum, cætera aspernatus quærit; sind auch kleien da? num etiam appositi essent surfures? *Lutherus apud Nic. Ericeum* p. 38. Grillus a Circe incantatus mutatusque in suem, nullis rationibus ab Ulysse induci potuit ut in hominem velit redire. *Plutarch.* ὅττι σὺ θαυμάζεις τοῦτ' ἑτέροισι γέλως. *Lucian.* Horatius autem. 1. epist. 14.

Non eadem miramur, eo disconvenit inter
Meque & te: Nam quæ deserta & inhospita tesqua
Credis, amœna vocat mecum qui sentit, & odit
Quæ tu pulchra vocas.

(q) Le Spectateur T, 6. Diss. 25. Bibl. Françoise 1726. Dec, p. 272.

qua est a Clarissimo Parente a teneris educatus & institutus, sive industria denique sagax, pervigil ac constans spectentur, omnia pulcherrima sese offerunt, atque pulcherrimam spem & lætissimam promittunt Patriæ. In nullo etiam magis quam in illo deprehendi nobilem illum gustatum rerum utilium & præclarissimarum, quem a natura cum habeat minime hebetem, tum quotidie excolit magis acuitque ac perficit non minus improbo studio ac labore, quam laudato exemplo Parentis, ita ut quæ sano judicio intelligit pulchra ac præclara esse præ cæteris, illa etiam amet inprimis ac sectetur, aliisque libenter præferat. Hic specimen gustus sui etiam nunc edit nobis hoc, quod, valedicturus patrio Gymnasio, quod per quadriennium integrum amplius ita frequentavit, ut aliis in exemplum posset proponi sua sollertia & assiduitate, argumentum delegit pulcherrimum, de quo verba publice faceret. Cum enim nihil sit pulchrius, quam summa DEI in nos beneficia grata mente recolere, nullum autem majus pulchriusque in nos exstet beneficium, quam quod in salva atque florente Rep. Religionem nobis gravissimis erroribus atque abusibus repurgatam in præsens usque tempus integram conservavit; atque integri ducenti jam elapsi sunt anni, ex quo sacra Evangelica per B. Lutherum instaurata firmari in hac Urbe atque a Senatu Populoque Hamburgensi publice suscipi ac foveri cœperunt: memoriam rei hujus maximæ pulcherrimæque secularem solenni panegyri celebrandam juvenis Nobilissimus sibi proposuit. Quam ut honorifica sua præsentia condecorare dignentur Magnifici Amplissimique Reip. Proceres, Consultissimi ac Nobilissimi Viri, summe plurimumque Reverendi Divinorum eloquiorum interpretes ac præcones, cæterique omnium Ordinum Honoratissimi Viri atque Spectatissimi, submissa prece ab illis contendo, atque pulchram præstantissimorum Juvenum, Civium Gymnasii frequentiam eidem expeto promittoque. Hamburg. XXIV. Octob. A. C. cIↃ IↃ CC XXVIII.

Quod

Quod felix faustumque sit!

ATHENAS SAXONICAS

ORATIONE SOLENNI VALEDICTORIA

a

Juvene Nobilissimo Præstantissimoque

PETRO STÜVEN,

Hamburgensi,

In Gymnasio Patrio

Post Horam Decimam Matutinam D. XIII. Martii A. C. cIↃ IↃ cc xxxI,

Publice celebrandas indicit,

Ad eamque benevole auscultandam

Amplissimos hujus Reipublicæ ac Gymnasii Proceres

Omnium Ordinum Honoratissimos Viros

Cives Denique Athenæi hujus urbis Florentissimos

Ea qua par est observantia invitat

JO. ALBERTUS FABRICIUS,

SS. Theol. D. Philos. Pract. atque Eloquentiæ Prof. Publ.

HAMBURGI,

Typis CONRADI KOENIGII, Ampliss. Senatus & Gymnasii Typographi.

Quam dixere *Matriam* olim Cretenſes, teſte Platone, (a) Hebræi *Cognatam* ſive *terram Cognationis*, (b) hanc cum Græcis nos & Latinis, cæteriſque Gentibus vocare conſuevimus *Patriam* communi & familiari appellatione. Patriæ ſingulare quoddam nos amoris debere officium, nemo firmius perſuaſus fuit, nemo crebrius, fortius, elegantius eſt teſtatus Cicerone, cujus hæc eſt notiſſima eademque pulcherrima ſententia: (c) *Cum omnia ratione animoque luſtraris, omnium ſocietatum nulla eſt gravior, nulla charior quam ea quæ cum Republica eſt unicuique noſtrum: Cari ſunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares: Sed omnes omnium charitates patria una complexa eſt, pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, ſi ei ſit profuturus?* Quibus in verbis cum ſocietatis & Reipublicæ facit mentionem Cicero, perſpicue oſtendit ſe patriæ nomine non tam locum ipſum proprium natalis ſoli intelligere, (d) ac ſi quis in navicula, vel ſub arbore, aut in antro natus tantum illi debeat, ut amorem ejus anguli rebus omnibus præferre jubeatur: Verum Patriam, quæ jure hanc charitatis remunerationem ab unoquoque repoſcit, eſſe illum majorem cœtum hominum in corpus unum, juris quodam conſenſu & utilitatis communione conſociatorum, in quo quiſque natus educatuſque, vel in quem ſuſceptus jam adultus aliquis (e) vita, ſacris, ſecuritate, fortunis, beneficiiſque innumerabilibus perfruitur quotidie: pro quibus tot ac tantis bonis hoc viciſſim illi jure meritoque debet, ut ipſius ſalute atque emolumentis nihil ſibi charius ducat & exoptabilius, neque dubitet cum ejus commodis ſalutem ſuam arctiſſime conjunctam, nihilque quicquam admittendum a ſe eſſe, quo vel privatum emolumentum ſuum publicis illius commodis opponat, aut antefetat, aut vero negligat ea, quibus utilem ſe quis Patriæ conſilio, re, opera, valeat demonſtrare.

(a) *Plato* IX. de Rep. φίλην μητρίδα τε Κρῆτές φασι καὶ πατρίδα ἕξει τε καὶ θρέψει. Syneſius Epiſt. 93. ad Anyſium.

(b) *Jeremiæ* XLVI. 16.

(c) *Cicero* Lib. 1. Officior. C. 17.

(d) *Sam. Puſendorf* de Obligatione erga Patriam, *in Analectis ſuis Politicis*.

(e) Ut Cicero Arpinas Romam patriam eſſe ſuam ducebat, chariſſimamque eam habebat.

Digna

Digna in Convivio septem Sapientum sermonis materia a clarissimo Plutarchi æmulo *Isaaco Larrey* (f) proponitur hæc, ut inquiratur, quidnam sit, quod maxime omnium facit ad Reipublicæ tuendum decus, vires amplificandas & salutem conservandam? aliisque alia, ut fit, extollentibus, & *Biante* præferente legum auctoritatem, summis, medioxumis, infimis sine exceptione venerabilem, *Thalete* civium nec luxu & opum excessu insolentium, nec laborantium inopia, felicem mediocritatem, *Anacharsi* Scytha pretium soli positum Virtuti & meritis, pœnasque inflictas sceleribus, nullo opum respectu nec paupertatis: *Cleobulo* studium virtutis in civibus tam sincerum, ut impensius vereantur turpitudinem criminum, quam pœnas ac supplicia: *Pittaco* severitatem malos & indignos arcentem a clavo tenendo Reipublicæ, *Chilone* denique sollertiam Civium legibus potius præbentem aures quam Demagogis: *Solon* legislator Atheniensium, qui primus sententiam dixit, omnesque reliquas videtur pronunciato suo vel complexus esse vel superasse & antevertisse, testatus est nulla alia in re humana vel certius esse positam salutem Reipublicæ, vel securius niti, quam amore Patriæ, cujus vinculo si ita omnium animi juncti sint inter se arcteque devincti, ut tanquam unius corporis membra commune bonum omnes pariter quærant consilio & opera, (g) dedecus & damnum repellant omnibus viribus & aversentur: nihil iri desideratum quin & Legum vigeat potestas, & auctoritas Magistratuum integra servetur, & virtuti suus constet honos, & vires opesque augeantur Reipublicæ, pestes vero exulent ac longe absint. Quod verissimum esse Solonis judicium, præter Græcas, Romana cumprimis Resp. confirmare luculenter exemplo suo potest, in cujus Proceribus & Civibus per multas ætates amor Patriæ ante omnia ita ut lumen eluxit, & ad virtutes pulcherrimas & ad res maximas gerendas prætulit facem; nec prius Romanorum laus, decus & libertas, visa sunt oppressa concidisse, quam ex quo apud eos præposterum privati commodi studium obtinuit, communisque illius Patriæ

(f) Histoire des sept Sages T. I. p. 211. seq.

(g) Καὶ λόγῳ καὶ μηχανῇ. Euripides apud Stobæum p. 155. Hugone Grotio interprete:

Omnes amantes Patriæ pro publica
Salute verbis reque conniti decet.

Sophocles: *Quicunque Patriæ vivit inimicus suæ,*
Hunc nolim amicum: Sospitatrix Civium
Est Patria &c.

amoris

amoris loco ſucceſſit ambitio perverſa, & cum luxu rapiendi aliena cupido, atque ut ſuorum temporum faciem depingit Salluſtius, pro pudore, pro abſtinentia, pro virtute; audacia, largitio, avaritia, vigere cœperunt.

Veriſſima ſunt, ſi recte intelligantur, ſuo quæque ſenſu hæc, etiam vulgo decantata: *Cum hac perſuaſione vivendum eſt, non ſum uni angulo natus, Patria mea totus hic eſt Mundus.* (h) *Nobis omnis terra & nulla terra Patria eſt.* (i) *Patria eſt, ubicunque bene eſt:* (k) & *proximus egomet mibi.* (l) Verum qui hæc amori Patriæ iniqua ratione opponunt, non modo graviter peccant contra officium grati animi, quod pro ſummis beneficiis illi Reip. debemus omnes, in qua vel nati ſumus atque educati, vel larem ac fortunas noſtras conſtituimus; ſed noſtram etiam ſalutem odimus & noſtrorum, niſi pro viribus emolumenta ejus promovemus ac tuemur, cum cujus conſervatione ac felicitate, noſtra ſtat & cadit. Atque ſi Judæi Hillelis ſcitum placet: *Si ego non mibi, quis mibi?* (*) adjungendum illi etiam eſt hocce ejusdem alterum: *Si ſolus ego, quis ego?* Cum igitur aliorum hominum ope indigere nos DEUS, & hoc ipſo nexu magis animos hominum invicem conjungere voluerit, quomodo ſapiunt illi, qui amoris vices debitas Patriæ denegant, a cujus ſalute ſibi & ſuis omnia promittunt exſpectantque? Præclare vero Lyſias Orat. XXX. quæ eſt adverſus Philonem (m) illos ſolos Magi-

(h) Seneca Epiſt. 28.

(i) Euripid. ἅπας μὲν ἀὴρ αἰετῷ περάσιμος,
ἅπασα δὲ χθὼν ἀνδρὶ γενναίῳ πατρίς.
Ariſtoph. Πατρὶς μέν ἐστιν ὅπου ἂν πράττῃ τις εὖ. &c.
Naz. Orat. XXVIII. p. 483. ὦ πᾶσα πατρὶς καὶ οὐδεμία.

(k) Hugo de S. Victore eruditionis didaſcalicæ lib. 3. c. 20. *Delicatus ille eſt adhuc, cui Patria dulcis eſt. Fortis autem jam, cui omne ſolum Patria eſt: Perfectus vero, cui Mundus totus exilium eſt.* Bene tamen Cicero Epiſt. *Sapientis eſt carere patria, duri non deſiderare.*

(l) Terentius Andria IV. 1. 12.

(*) Pirke Aboth §. 14. T. IV. Surenhuſ. p. 418.

(m) Lyſias Orat. 30. p. 470. οὐκ ἄλλους τινὰς φημὶ δίκαιον εἶναι βουλεύειν περὶ ἡμῶν ἢ τοὺς πρὸς τὸ εἶναι πολίτας καὶ ἐπιθυμοῦντας τούτου. Τούτοις μὲν γὰρ μεγάλα τὰ διαφέροντα &c.

ſtratu

ſtratui gerendo eſſe idoneos, qui amore Reipublicæ hoc faciant, gaudeantque hoc publico ſe bono facere. *Qui maxime ad ſe pertinere putant Civitatem hanc proſpere agere etiam ſuo incommodo: certiſſime perſuaſi fieri non poſſe, quin malorum in Republ. participes eſſe debeant ſicut & bonorum. Nam qui natura quidem cives ſunt, ſed in ea ſunt ſententia, ut quamvis terram ſibi eſſe patriam* (n) *exiſtiment, in qua ſuis commodis conſulere queunt, de his ſatis conſtat, quod neglecto communi Civitatis bono, privata ſua lucra ſunt quæſituri,* διὰ τὸ μὴ τὴν πόλιν ἀλλὰ τὴν οὐσίαν πατρίδα αὐτῆς ἡγεῖσθαι, *cum non Civitatem, ſed facultates & divitias ſibi Patriam conſtituunt.*

Illa vero Charitas, ad aſſerendum decus & ſalutem Patriæ ſalvam conſervandam augendamque unice inclinata, ſi intimis medullis hæſerit, atque enutrita uſu & exemplis propagata ad poſteros transmiſſa fuerit, hac ſolet eſſe indole, ut vim ſuam exerat non ſolum in Principibus Civitatis, iisque qui præſunt aliis Conſilio & Auctoritate: Sed nulla poteſt eſſe tam tenuis conditio Civium vel tam abjecti cenſus, ætas nulla, nullus ſexus in quibus non amoris illius fructus egregii atque uberes in publicum emolumentum proveniant, atque lætis ſemper auctibus cumulati enaſcantur. Hic amor precibus ad DEUM fuſis pro ſalute publica excubat: Hic ordini conſulit, & firmat concordiam inter ſummos imosque, hic ſua quemque curare & ſuo fungi facit munere: Invidiam & odia non alit ſed in herba ſupprimit, vel prudenti ſubigit ratione, ne in flammam Patriæ exitioſam erumpat. Paterfamilias (o) bene de Patria meretur honeſto labore, ſuſceptisque & a parvulo bene eductis, inſtitutis, moratis in publicos uſus liberis: Mater amore prolis ac mariti, ſollertique induſtria & rei familiaris curatione, aliena ab luxu & otio: Filius & filia pietate obſequioque: Servi, ancillæ, fideli opera atque in Dominos benevolentia: Aratores, Opifices & Operarii bene advigilando negotiis & labori: Mercatores ſollertia, æquitate & fide: Milites animo, fortique dextera. Litteris operantes docendo prodeſſe conantur vel ſcribendo, & ignorantiæ diſpellendo tenebras, utilium rerum ſcientiam propagant in publicum commodum & decus. Quod Medicorum eſt faciunt Medici, nec patiuntur ſua nos culpa obire ante diem, vel non integra valetudine viam ſemel calcandam lethi præſtolari. JCti nobile & decens pro in-

(n) Adde Mureti Varias Lect. Lib. 2. Cap. 3.

(o) Patriota Hamb. C. 49. T. 1. p. 472.

nocentia præsidium, contra scelus & vim, quos nec cupiditas corrumpat, (p) nec gratia avertat, nec metus frangant. Sacrorum Antistites ita prælucent doctrina & exemplo gregi, ut instar lucernæ ardentis ac lucentis, & errorum removeant caliginem, & charitatis Christianæ lumen in animis suorum accendant. Imperantes denique prospiciunt undique sollicito sapientique Consilio suo, ne quid Respublica detrimenti capiat, ne vel ab externis insidiis & vi, vel intestinis motibus injuriisque labefactetur, sed tuta in illius finibus vigeant Religio, Justitia & Leges, ac cum Libertate, omnium rerum abundantia.

Unum adhuc non possum omittere, quod ansam etiam mihi scribendi hæc in præsenti præbuit, atque in exponendis iis versatur, quæ a Juvene studioso litterarum, Patriæ amante, jure meritoque exspectari possunt. Ab hoc igitur imprimis id desideraverim, ut animo illius frequenter recurset hæc cogitatio, sibi incumbere omnino, ut Patriam præclaram nactus, ne eam ignavus & inutilis dedecoret, sed ea se dignum præstet. Deinde ut identidem rememoratis ac perpensis, quæ ex patria ad eum proficiscuntur & quæ ab ea exspectantur ac promittuntur bonis, alat in animo suo firmetque quam in animo suo concepit natalis soli charitatem. Ex quo consequetur ut studeat sese illi utilem pro modulo suo præstare, hoc est salutem ejus, commoda & gloriam libenter & omnibus viribus promovere. Hoc igitur ut possit facere, reddere se mature laborabit idoneum pro scopo proposito, procul esse jussis pestibus, quibus animi juvenum corrumpuntur otio, ignavia, libidinibus, curiositate inutili, profusione, rixationibus, pravis consortiis, & capite malorum impietate. E contrario precibus ad DEUM, assiduitate & sollertia nihil intermittet quo possit acuere ingenii dotes, stylum exercere, animum suum exornare scientia solida rerum utilium, judicii vim augere & confirmare, atque in virtutis & sapientiæ studio ita proficere, eamque dexteritatem idoneam & rerum peritiam sibi comparare, unde non inficiandi fructus ad Patriam redire valeant, quos jure ex se intelligit ab illa experi ac reposci. Hoc in Schola agit & Gymnasio, hoc in Academiis: hæc in peregrinationibus cura eum sollicitat, hoc faciendum sibi putat domi, hoc non negligit foris ubicunque versetur, ut laribus redditus suis in Patriam referat dignum Civem & idoneum, fructuosumque se præstet illi deinde per omnem vitam, quam longa illa fuerit, sive privatus degat, sive muneri admotus publico ansa ipsi major & amplior præbeatur de charissima Matre bene promerendi.

(p) Quintilian. XII. 1.

Hunc

Hunc Patriæ amorem animo penitus imbibit, conſtanterque hactenus præ ſe tulit Nobiliſſimus atque præſtantiſſimi ingenii Juvenis, PETRUS STUVEN, *Hamburgenſis*, qui cum in his quæ jam commemoravi implendis partibus officii ſui obligationem ſuam conſtituat longe maximam, antequam ex Gymnaſio Patrio, cujus per triennii amplius ſpatium egregius & ſollers Civis fuit, diſcederet Academiam petiturus, non putavit ſibi committendum, ut non prius amoris in Patriam ſui teſtimonium inſigne aliquod ederet publicum, atque Oratione valedictoria Hamburgum, Athenarum Saxonicarum nomine, cum Athenis Atticis laudes ejus conferendo, celebraret. Hanc igitur ut ſplendida præſentia ſua honorare ne dedignentur Magnifici atque Ampliſſimi Reip. Proceres, Conſultiſſimi Nobiliſſimique Viri, ſumme plurimumque Venerandi Divinorum interpretes eloquiorum, cæterique omnium Ordinum Honoratiſſimi Viri atque Spectatiſſimi, atque iſthac gratia ac benevolentia ſua laudatum ſtudium præclari Juvenis alant ac proſequantur, enixe oro & precor, feſtivamque Juvenum Studioſorum in novas Patriæ ſuæ ſpes, & non inficiandas ſuccreſcentium copiam ac frequentiam, commilitoni ſuo non denegandam expeto ſpondeoque. Hamburgi VII. Id. Martii, A. C. cIↄ Iↄ cc xxxſ.

Quod felix faustumque DEUS esse jubeat!

Ad

Benevole auscultandam

ORATIONEM SOLENNEM VALEDICTORIAM,

Quam

DE

PARTIBUS ET OFFICIIS GRATI ANIMI

ERGA

PATRIAM NOBILEM,

Sub Horam Decimam Matutinam D. VIII. Apr. A. C. cIↄ Iↄ cc xxxII.

In Gymnasio Patrio,

E Memoria dicturus est

Juvenis Nobilissimus & in Paternas avitasque laudes feliciter efflorescens

JOHANNES DIEDERICUS WINCKLERUS,

Hamburgensis,

Amplissimos Hujus Reip. ac Gymnasii Proceres, omnium Ordinum Honoratissimos Viros, Cives Denique Gymnasii Hujus Urbis Florentissimos,

Ea qua par est observantia invitat

JO. ALBERTUS FABRICIUS,

SS. Theol. D. Philosophiæ Practicæ atque Eloquentiæ Prof. Publ.

HAMBURGI,

Typis CONRADI KOENIGII, Amplist. Senatus & Gymnasii Typographi.

Inter necessaria Christiani hominis officia esse studium sincerum grati animi erga DEUM, nemo dubitat, quod tam gravibus verbis commendatur ab Apostolo ad Ephes. V. 20. jubente *gratias nos agere DEO & PATRI semper & pro omnibus*, *πάντοτε καὶ περὶ πάντων*, *in nomine Domini nostri JESU CHRISTI.* Idem 2. ad Thessalonicenses V. 18. *In omnibus*, *ἐν παντὶ* de omni genere spiritalium & corporalium bonorum, *gratias agite*, *hac est enim voluntas DEI in CHRISTO JESU in omnibus vobis*, & ad Coloss III. 15. *εὐχάριστοι γίνεσθε*, *grati estote.*

Non autem necessaria tantummodo, sed etiam latissime patens est hujus officii ratio, ita ut non minus de ea quam de justitia affirmari possit, omnes eam virtutes unam ambitu suo continere, sicut vicissim vere a S. *Bernhardo* pronunciatum est, *ingratitudine*, *veluti urente quodam vento siccari fontem pietatis*, hoc est omnes cæteras partes officiorum in DEUM ab homine ingrato extingui & oblitterari. Vivos contra grati animi igniculos si quis probe conceperit apud se, & foverit, vide quæso quantum illi valuerint apud Ethnicum etiam hominem efficere Epictetum, cui Providentiæ Divinæ documenta quædam non incuriose lustranti, hanc vocem expressere non indignam Christiano, & Apostolicæ adhortationi congruentem. (a) *Si mens sana*

(a) *Epictetus* apud *Arianum*, lib. I. c. 16. Εἰ γὰρ νοῦν εἴχομεν, ἄλλο τί ἔδει ἡμᾶς ποιεῖν καὶ κοινῇ καὶ ἰδίᾳ, ἢ ὑμνεῖν τὸ Θεῖον, καὶ εὐφημεῖν, καὶ ἐπεξέρχεσθαι τὰς χάριτας; οὐκ ἔδει καὶ σκάπτοντας καὶ ἀροῦντας, καὶ ἐσθίοντας ᾄδειν τὸν ὕμνον τὸν εἰς τὸν Θεόν, μέγας ὁ Θεὸς ὅτι ἡμῖν παρέσχεν ὄργανα ταῦτα δι' ὧν τὴν γῆν ἐργαζόμεθα. Μέγας ὁ Θεὸς ὅτι χεῖρας δέδωκεν, ὅτι κατάποσιν, ὅτι κοιλίαν, ὅτι αὔξεσθαι λεληθότως, ὅτι καθεύδοντας ἀναπνεῖν. Ταῦτα ἐφ' ἑκάστου ἐφυμνεῖν ἔδει, καὶ τὸν μέγιστον καὶ Θειότατον ὕμνον ἐφυμνεῖν, ὅτι τὴν δύναμιν ἔδωκεν τὴν παρακολουθητικὴν τούτων καὶ λόγῳ χρηστικήν. Τί οὖν; ἐπεὶ οἱ πολλοὶ ἀποτετύφλωσθε, οὐκ ἔδει τινὰ εἶναι τὴν ταύτην ἐκπληροῦντα τὴν χώραν, καὶ ὑπὲρ πάντων διαδιδόντα τὸν ὕμνον τὸν εἰς τὸν Θεόν; τί γὰρ ἄλλο δύναμαι γέρων

nobis esset, quid aliud agendum nobis erat & publice & privatim, quam Numen celebrandum & laudandum & grates illi persolvendæ? nonne & inter fodiendum & arandum & edendum hymnus hic cantandus erat DEO: Magnus est DEUS, qui manus dederit, qui deglutiendi facultatem, qui ventrem, qui effecerit ut non sentientes crescamus, ut dormientes respiremus. Talia singulis in rebus decantanda erant, & hymnus maximus DEOque dignissimus concinendus hic, quod facultatem concesserit harum rerum intelligentem, & utendi ratione instructam. Quid ergo? cum plerique vestrum hac in re caligetis, nonne oportebat esse aliquem qui hoc munere fungeretur & omnium vice hymnum in DEum publicaret? quid enim possum aliud senex claudus nisi celebrare DEum? quod si luscinia essem, lusciniæ officio fungerer, si olor, oloris. Nunc rationis cum particeps sim, DEUS mihi celebrandus est: hoc meum munus est, hoc exsequor, neque stationem hanc deseram quoad licuerit, & vos ad eandem hanc cantilenam adhortor.

Quanto impensius hujus obligationis pondus & vis debet permovere Christiani hominis animum, qui præter vitam hanc totque & tanta Naturæ munera, quibus beneficio Divino quotidie fruimur, alia etiam habet speratque longe majora, quæ miseris peccatoribus, teterrimaque supplicia promeritis nobis DEI amor in Filio suo offert ac donat, atque de quorum magnitudine in sacro Codice perspicuis documentis, deque gratiosa voluntate sua certiores nos reddidit, eamque firmissima & luculentissima æternorum bonorum promissione obsignavit. Quem tantorum immemorem beneficiorum vivere non pœniteat, quis non jucundissimo grati animi affectu in tam dignissimum muneratorem libenter feratur, qui redhostimenti loco pro omnibus tam ingentibus beneficiis suis nihil aliud, idque nostro unice bono desiderat, quam ut fide sincera & grato pectore a nobis accipiantur. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant Te solum DEUM verum & quem misisti JESUM CHRISTUM*, Joh. XVII. 3. Quid enim est cognoscere, quam fide gratifica amplecti? Debet profecto in Christiani auribus perpetuo personare vox

> χωλὸς εἰ μὴ ὑμνεῖν τὸν Θεόν; εἰ γοῦν ἀηδὼν ἤμην, ἐποίουν τὰ τῆς ἀηδόνος. εἰ κύκνος τὰ τοῦ κύκνου. Νῦν δὲ λογικός εἰμι, ὑμνεῖν με δεῖ τὸν Θεόν. Τοῦτό μου τὸ ἔργον ἐστί, ποιῶ αὐτό, οὐδ' ἐγκαταλείψω τὴν τάξιν ταύτην ἐφ' ὅσον ἂν δίδοται, καὶ ὑμᾶς ἐπὶ τὴν αὐτὴν ταύτην ᾠδὴν παρακαλῶ.

Sira-

Sirachidis XXIX. 20. *Gratiam fidejussoris ne obliviscaris, dedit enim pro te animam suam.* Neque dubitare licet hoc unicum grati animi debitum, si recte ac diligenter observetur, potens momentum futurum ad retrahendum hominis animum ab omnibus iis, quæ DEO ac Servatori nostro invisa & exosa esse intelligit, vicissim vero acres admoturum stimulos ac faces ut Optimum hunc Creatorem, Salutificatorem, Sanctificatorem nostrum fide, amore, fiducia & obsequio unice colamus, id enim est, quod grati in DEUM animi officium a nobis requirit ac postulat. Itaque non difficile fuit Viris quibusdam doctis (b) universum Theologiæ Christianæ systema, capitaque omnia quæ in illa sive credenda, sive spetanda, sive faciunda in sacris litteris commendantur, ita tradere ac digerere, ut universa ad unicum hocce grati animi pro Divinis muneribus officium collineantia exhibeant, ubi primo quidem hominis a DEO creati conditionem atque inde in peccata prolapsi miseriam offerunt consideranda: deinde summa illa Verbi Divini, redemtionisque nostræ & restitutæ per Christum salutis beneficia ex mera Gratia in nos derivata celebrant atque exponunt: denique docent quam necessarium sit dignumque tam ingentia illa munera Divina non acedia immemori negligere vel scelerata impietate abjicere aut conculcare, sed fide grata amplecti, gratoque amore & obsequio colere per omnem vitam. Vicissim fuit quoque patrum nostrorum memoria Archiepiscopus Ulyssiponensis *Sebastianus Cæsar Menesius*, qui defectionem labemque Luciferi & malorum Angelorum, nec non quæcunque a prima humani generis origine admissa sunt inter homines, quæcunque peccata a Judæis, & quæ vel inter alias gentes facta impie, aut contemta salutari doctrina per errores gravissimos violata sunt, illa omnia improbat atque reprehendit sub communi *ἀγνωμοσύνης* nomine, itaque volumini integro in quarta forma paginarum 422. quod illis opposuit, atque Ulyssipone sine anni nota vulgavit, imponere titulum illi placuit *sugillationem ingratitudinis.*

Erubescendum sane est humano generi argumentum inscriptionis veteris Romanæ, quam non ita pridem eruit & in Diario Italico p. 111. publicavit vir celeberrimus *Bernhardus de Montfaucon*: ANIMAL INGRATIUS

(b) *Festus Hommius* in tabulis, & *Arnoldus Montanus* in Catechesi Religionis Christianæ ex tabulis illis concinnata, Amst. 1664. 8. & novissime *Theodorus Hasæus* in dissertationibus de tribus scitu credituque necessariis, hominis miseria, liberatione, gratoque quem DEO debet animo, Bremæ 1728. 4.

HOMINE

HOMINE NULLUM EST. Hoc dici potuisse & facile non posse refelli concedet, quisquis ingratorum, erga DEUM maxime, hominum mores numerumque cogitaverit. In nullum animal tanta Numinis quanta in hominem exstant beneficia: a nullo melius possunt debebantque nosci & intelligi quam ab homine, a nullo magis negliguntur & obliterantur, *ingrato in autorem vitæ suæ*, 4. Esdr. VIII. 59. quin referiuntur inobedientia, impietate, blasphemiis, (c) aliorum oppressione hominum, & abusione fœda facultatum membrorumque Divinitus concessorum, & aliarum rerum creatarum servituti illi misere ingemiscentium. Ait quidem apud Xenophontem (d) Pheraules, *inter omnes animantes hominem optimum esse ac gratissimum: quia videret eos qui ab aliquo laudarentur, vicissim hos studiose laudare, operamque dare ut gratificentur: & quos benevolo erga se animo cognoscerent, eos vicissim benevolentia amplecti: quos amare perspicerent, eosdem odisse neutiquam posse: parentes denique multo magis obsequiis & cultu demereri velle quam cætera animalia, sive vivos sive defunctos: cæteras vero animantes universas & magis ingratas & minus beneficii memores esse quam homines sentiebat.* Verum, ne exemplis animalium (e) ἀντιπελαργούντων, vicemque gratam rependentium parentibus, aut hominibus etiam gratos se pro accepto beneficio præbentium canum leonumque homo homini ruborem incutiam, tam communem certe & summam hominum ergo DEUM ἀγνωμοσύνῃ & ἀχαριστίαν esse fateri est necesse, ignoratam animantibus quatenus ejus capaces esse summum Numen voluit, ut non posset nos sustinere tellus, ac nemo nostrum dignus esset in quem tot

(c) Vox Comitis Rocestriensis, ex pristina ἀθεότητι ad saniorem frugem revertentis: *What a dog am i, thus to blaspheme Him that made me and all thus beautifull World.* Canem me indignum, blasphemiis ita ausum petere Ejus Majestatem, qui me, qui pulcerrimum hunc Mundum condidit!

(d) VIII. *Cyropædiæ*, p. 609. edit. V. C. Thomæ *Hutchinsoni*: Καὶ γὰρ βέλτιστον πάντων τῶν ζώων ἡγεῖτο ἄνθρωπον εἶναι καὶ εὐχαριστότατον. Franciscus *Carpenterius* in Carpenterianis, pag. 297. *je ne craindrai point de dire aprés Xenophon, qu'il n'ya point d'animal, qui soit naturellement si bon ni si reconnoissant que l'homme.*

(e) Vide quæ *Viri* docti ad *Gellium* V. 14. *Plinium* X. 5. & VIII. 16. 17. hist. nat. Laur. *Lechandri* Westrogothi diss. de Ciconia seu jure ἀντιπελαργίας, Aboæ 1698. 4. D. Jo. *Schmidii* τοῦ μακαρίτου de brutis hominum doctoribus, §. IX. Lips. 1684. Acta Naturæ curiosor. Decuria 2. anno 5. p. 6. &c.

ac

ac tanta beneficia Divina ſive Gratiæ & ſpiritalia, ſive Naturæ & corporalia continuarentur nedum ſempiterna tribuerentur, & nunquam interitura, niſi tanta eſſet DEI benignitas ut *ingratis etiam & malis* nobis eam per bonitatis ſuæ magnitudinem infinitam & propter Chriſtum non denegaret: neſcioque an ulla ſit inſignitior data fides Divinæ miſericordiæ & bonitatis, quam quod CHRISTO docente novimus DEUM pro ſumma ſua bonitate eſſe *χρηστὸν ἐπὶ τοὺς ἀχαρίστους καὶ πονηρούς benignum erga ingratos malosque.* Luc. VI. 35. Tantum tamen abeſt ut hæc ſumma Gratia Divina alere ingratitudinem noſtram debeat, ut potius ſemper ante oculos verſari nobis neceſſe ſit illud Apoſtoli Rom. II. 14. *an divitias Bonitatis Ejus & patientiæ & longanimitatis contemnis? num ignoras, quod benignitas DEI ad pœnitentiam te velit adducere?* & Davidis, *apud Te eſt remiſſio* peccatorum, & *ἀχαριστίας* quoque: (quare quæſo? ut ingrati eſſe pergamus, vel maneamus in peccato, ut Gratia abundet? Rom. VI. 1. neutiquam vero, ſed) לְמַעַן תִּוָּרֵא *ut timearis* Pſalm. CXXX. 4. hoc eſt ut tanto magis nos amor tam benigni Numinis removeat ab Ejus offenſione ingrata, ſicut filium bonæ indolis prudens parentum indulgentia non corrumpet ſed magis etiam reddet ſollicitum fugiendi illa omnia quibus indignationem eorum incurrere, amorem vero minuere vel plane amittere poſſit. Illud enim certum manet, quod ingratis denique, niſi reſipuerint, tanto majores pœnæ ſint propoſitæ, grati vero animi officium ſicut natura ſua & juſtiſſimum eſt aptiſſimumque recolendis quæ accepimus Divinis beneficiis, ita ad nova & majora invitanda inſtrumentum idoneum eſt & a Numine ipſo commendatum, ut jam olim notavit Flavius Joſephus ubi de ſacrificiis eucharisticis mane & veſperi quotidie DEO per legem Moſaicam offerendis diſſerit Lib. IV. antiquitatt. c. 8. §. 13.

Ad officium hoc gratæ erga DEUM mentis alendum ac demonſtrandum facit egregie ſi erga homines etiam bene de ſe meritos gratum ſe ac memorem homo libenter præſtiterit. Valet enim argumentatio Apoſtoli: *qui non diligit fratrem ſuum quem videt, DEUM, quem non videt, quomodo poteſt diligere?* 1. Joh. IV. 20. ita beneficiorum ab hominibus acceptorum immemor idem hoc ipſo in DEUM injurius, idem cæterorum etiam beneficiorum Divinorum facile obliviſcetur. Cum vero nihil ſit in rebus humanis quod potiore jure gratiam a nobis repoſcat quam Patria, magna ejus beneficia non oblivione proſequi & injuriis, ſed amore conſtanti omnibusque officiis ſtudere rependere, pium inprimis eſt pulcherrimumque. Quæ porro officia quæ

 partes

partes ſint grati animi erga Patriam, eamque illuſtrem, per omnem vitam teſtificandi, & ſpeciatim ab eo qui ſtudiis litterarum ſeſe conſecravit, Oratione ſolenni exponere inſtituit Nobiliſſimus & lætiſſimæ ſpei Juvenis JO. DIETERICUS WINCKLERUS, Hamburgenſis, ſumme Venerabilis Parentis ductu & exemplo, ac beatiſſimi Avi veſtigiis ad decus & gloriam, Divina adſpirante Gratia alacriter contendens, qui poſt teſtatam in Gymnaſio patrio quadriennii induſtriam jam iter cum laude adornans in Academiam, non prius voluit a nobis diſcedere, quam Patriæ & Patronis Fautoribusque publicam hanc grati animi ſignificationem edidiſſet. Eam itaque ut honoratiſſima præſentia ſua decorare ne dedignentur Magnifici atque Ampliſſimi Reip. Proceres, Conſultiſſimi Nobiliſſimique Viri, ſumme plurimumque Venerandi Divinorum interpretes eloquiorum, cæterique Fautores omnium Ordinum clariſſimi, honoratiſſimi, ſpectatiſſimique: tanto majore fiducia audeo ab illis expetere, quo majorem ſplendidioremque frequentiam ſuturo oratori amor, obſervantia & veneratio qua ſumme Venerabilem ejus Parentem omnes ex merito proſequuntur, ſpondet ac promittit: neque deerit plauſu ſuo pulchra Civium Gymnaſii in Patriæ decus ſuccreſcentium corona, qui pro veteri honeſta conſuetudine & benevolentia iſtud dilecto commilitoni ſuo officium libenter ſunt præſtituri. Hamburgi prid. Nonar. Aprilis A. C. cIↄ Iↄ cc xxxII.

Quod

Quod felix faustumque sit!

Ad

Benevole Auscultandas

ORATIONES BINAS VALEDICTORIAS,

Quas Juvenes Duo Egregii atque Nobilissimi

HIERON. HARTWIG MOLLER,

Hamburgensis,

&

LEOPOLDUS GOTTLIEB SEITZ,

Megapolitanus,

E Memoria, Solenniter

Hora Decima Matutina, D. XIII. April. A. CIƆ IƆ CC XXXIV.

In Gymnasio peroraturi sunt:

Amplissimos Hujus Reipublicæ ac Gymnasii Proceres

Omnium Ordinum Honoratissimos Viros, Cives denique Gymnasii hujus urbis Florentissimos

Ea qua par est observantia invitat

JOH. ALBERTUS FABRICIUS,

SS. Theol. D. Philos. Pract. atque Eloqu. Prof. Publ.

HAMBURGI,

Typis CONRADI KOENIGII, Ampliss. Senat. Gymnasii & Scholæ Typographi.

Allata nuper ad nos est Oratio disertissimi Viri *Caroli Porée* S. I. quam præsentibus Cardinalibus, Episcopis, Regnique Senatoribus habuit Lutetiæ magno applausu & æquabili ab illis daro qui eam præsentes audivere. Non minoribus laudibus excepta est, typis exscripta Parisiensibus, nec cum minori voluptate legitur, propter amœnum auctoris ingenium & acre ad circumspiciendum, quæ ad propositum suum faciunt, apteque soliti illa & claro ordine digesta exponere perspicue, fortiter, honestissime, ut adversarium etiam professus facile placeat ac probetur. Legitur eadem perinde libenter in alias conversa linguas, ut Gallicam atque Anglicam, & novissime culto atque idoneo nobilis interpretis stylo Lipsiæ in Germanicam.

Orationis hujus argumentum *Theatrum* est, de quo res toties in controversiam adducta disquiritur, *sit ne illud vel esse possit Schola informandis moribus idonea?* Tota autem velut in utramque partem hac de re instituta disceptatio sic procedit, ut eum demonstrasset tot in medium allatis argumentis, tot disputationibus ac libris emissis ultro citroque, nondum tamen rem perductam esse ad liquidum, neque Spectaculorum impugnatores, licet rationum armis ut sibi persuadent superiores, potuisse illa movere de loco, sed etiamnum vigere theatrales conventus palam; spectantiumque frequentari dignitate ac multitudine, densaque corona cingi ac protegi:

Hoc inquam cum Poreus demonstrasset, Conciliatoris ait se partes ingredi, & in concordiam propius adducturum se utrinque dissidentes sperat hoc pacto, ut Theatrum *Scholam natura sua informandis moribus idoneam esse posse* neutiquam inficietur: rebus ipsis vero talem neget *esse*, idque culpa nostr , quale scilicet communiter offerre se spectantium oculis quotidie consuevit.

Priorem causæ suæ partem perorat gravissime, & probat non obscuris argumentis iisque multiplicibus. Quid enim a schola ad formandos mores idonea amplius aliquis potest desiderare, quam ut *præceptis* idoneis & scientia animos imbuat, erudiatque; instruat, excitet, præeat *exemplis*: quod utrumque, illud quidem amœnius, familiarius, expressius, vividiusque docet a spectaculis posse fieri, quam receptum est tradi a Philosophis: istud vero majore fructu, delectu, gratia, facilitate proponi in scena intuendum, quam in Historicorum monumentis offerri legentibus solet.

Ut

Ut vero *praeceptionum* disciplinam quavis schola Philosophorum felicius in theatro expediri tractarique posse doceat, tria hæc singillatim considerat & utrinque inter se confert: dicta ipsa eorum, & de quibus rebus præcipiuntur argumenta, tum fontes e quibus monita illa ac præcepta derivantur, denique modum ipsum præcipiendi. Monet nullum esse genus vitii aut virtutis, nullam hominum conditionem, sexum vel ætatem, quæ theatro hominum non oportunam materiam præbeant, etiam illa quæ notare Philosophia dedignatur & quæ tamen emendari est operæ pretium. Argumenta ait non solum peti in spectaculis a facetis ridiculi venis, sed etiam ex limpidis humanæ prudentiæ fluentis, quin etiam ex ipso Divinæ sapientiæ fonte ac scaturigine: *nisi forte*, inquit, *aliter suadeat gravitas morbi, vel argumenti sanctitas.* De modo ipso autem præcipiendi ecce bellam Philosophi moralis cum Poëta dramatico comparationem. *Tu nos*, inquit, *de moribus doces aperte, & cum aperta docendi professione. Laudo, nam egregiam artem profiteris. Verum an minus convenienter ad hominum indolem & infirmitatem facit Poëta dramaticus, qui nostros mores erudit occulte, dissimulanter, omisso praeceptoris & praeceptionis nomine? Sumus enim puerorum similes, quotquot animo aegrotamus, fallendi sumus cum nobis porrigitur medicina; ipsumque potionis medicata nomen dissimulandum est, ne, quod prodest, abhorreamus. Tu nos doces pugnaciter & argumentando conaris assensum ab invitis quoque & reluctantibus extorquere. Non improbo. Pugnas pro veritate & virtute, utraque debet animos volentes nolentes ad se pertrahere. Verum an minus sapienter Theatralis Poëta, qui nos ad veritatem & virtutem trahit alliciendo, non evincendo? Sumus enim libertatis retinentes, invitari malumus quam expugnari. Tu nostras cupiditates castigas severe, & merito quidem. Nam illa sunt indulgentia prorsus indigna: Verum an minus sagaciter Poëta Tragicus, qui nos emendat humaniter & nostris indolet animi morbis? Sumus enim curatu difficiles, medicos volumus qui nos sciant esse homines, & se cum hominibus agere sentiant. Tu insaniam nostram stomachose increpas, & cum indignatione. Non miror. Quis enim stoliditatem nostram patienter ferat? Verum an minus callide Poëta Comicus, qui nos arguit jocose, & ridendo corripit? Sic enim sumus plerique omnes, iracundiam ridemus, irrisionem reformidamus. Tu de officiis nostris disputas verbose. Non vitupero. Eam sequeris disciplinam, qua proponendo, confirmando, refellendo, te faciat necessario verbosum. Verum, an minus congruenter Poëta scenicus, qui disserit breviter plerumque, & magnum saepe documentum una claudit sententia. Sumus amantes brevitatis, doceri multa*

multa volumus, sed paucis. Tu de moribus animi subtiliter philosopharis, sed exiliter plerumque & sicce. Non reprehendo. Definire, dividere, articulatim dicere, tuum est, non movere. Verum an minus convenienter Poëta noster, qui dolet, irascitur, terret, deprecatur? Mente constamus & animo. Doceri volumus & moveri: neque docemur satis nisi moveamur. Tu denique in praeceptis totus es, nihil das exemplis. Non culpo. Praecipere tui muneris est, non exempla subjicere. At quanto melius Poëta dramaticus, qui & praeceptis instruit & exemplis. &c.

Ad *exempla* deinde progressus, si quis eximia & illustria, si gravissima, si optima & proposita optime desideret, etiam cum historia facile paria facere Scenam ostendit & multis modis illam anteire posse Musam Comicam & Tragicam. Nam Historia non eligit semper, sed ut invenit res gestas exponit. Poëtam quis vetat non praeclarissima sola & utilissima in theatrum inducere & spectantium oculis proponere? In historiarum monumentis aerumnosae interdum virtutes, felicia scelera videntur. At Musa dramatica salubriore promtioreque nexu repraesentabit coronatam in exitu virtutem, crimina debitis affecta suppliciis. Historici denique nudae & spiritu cassae narrationi, quid non vitae, ornatus, splendoris addere valet, quid non virium ac ponderis adjungere boni Poëtae dramarici ingenium & dexteritas sollertis in theatro actoris, oculis intuenda omnia coram ac veluti palpanda spectatoribus exhibentis.

Haec & talia cum Poreeus explicasset, concludit inde colligitque *theatrum*, summis etiam probatum viris, atque multarum gentium & aetatum usu commendatum, *posse utique fieri scholam oblectandis simul animis & ad virtutem excitandis idoneam*, si ad hunc scopum res tota instituatur, si in hunc finem componantur dramata, & agantur, in hunc frequententur, ut foedum magis ac turpe habeatur vitium, ut contemtui & risui omnium expositum sit quod dedecet, ut omnibus constet virtutem ac sapientiam primas ferre in rebus humanis. Quando autem ad alteram partem descendit orationis suae Poreeus, & qualis sit theatri dramatumque nostris temporibus conditio, inquirit, non dubitat affirmare & pluribus documentis evincere, theatrum quale nunc est atque spectacula praesenti aetate minime esse scholam virtutis, sed culpa dramaticorum Poëtarum actorumque, ac spectantium indulgentia & vitiis facta esse *aptam nequitiae officinam.*

Poëtas queritur laudem ingenii captare & salium, de fructu & emendatione spectatorum negat esse sollicitos, neque curare ut oblectando prosint, sed

sed tantum ut placeant corruptis hominibus, etsi placendo noceant. Inter superbos sensus, lepida dicta, versus tornatissimos deflectunt ab integritate disciplinæ. Cornelius, Princeps apud Gallos Tragici carminis, exitialem singularium certaminum furorem accendit, Racinum Veneris columbulum complures imitati, amorum mollium cothurnatos magistros in theatro edidere. Molierius qui imaginario conflictatos morbo, qui nobiliturientes & Euclyones, politulosque: qui morosos, & Tartuffos, qui sanctimoniam mentientes vel eruditionis aut exquisitæ locutionis gloriam captantes fœminas risui omnium exposuit, idem tamen corruptæ Comœdiæ Gallicæ a Poreeo arguitur, *auctor ejus & actor primarius, Poëta indole magis quam studio, factus histrio non fortuna iniquitate sed vita licentia, natus ad vita seria & traductus ad scena ludicra, ridiculi observator rigidus & facetus imitator, in scribendo diligens sine cura, & sine lima politus, pressus in oratione soluta, & in stricta copiosus, sententiarum plenus & jocis abundans, omnes ferme Comicorum virtutes & pleraque vitia in se uno complexus, tam salsus quam Aristophanes, nec multo magis aliquando in salium delectu castus & severus. Tam ingeniose festivus quam Plautus, nec minus interdum scurriliter jocosus. Tam intelligens morum quam Terentius, nec minus in amorum corruptelis frequens. De quo, jure ambigas natura ne sit melior an arte? optimus utraque, & utraque pessimus, tantoque pejor, quanto melior, quia optima nequitia artifice nihil pejus.*

Hæc Poreeus de Poëtis: idem Musicis dat vitio & actoribus, quod ad scenæ corruptelam & accendendas cupidines non parum utrique conferant artificio suo & fuco: maximæ autem omnium, theatri vitiati culpæ insimulat & reos facit ipsos spectatores, in iisque præcipuam ac prope universam evincit residere, quorum gratia, illisque ut placeat ac probetur, peccat Poëta, Actor, Musicus. *Nemo conveniat ad theatrum nisi emendatus vel qui emendari velit, brevi scholam in scena emendatam habebimus & morum emendatricem.* Verum quinam plerumque ad theatrum confluunt? *Primum homines curiosi, leves, ultro citroque cursitantes spectandi gratia, spectantes omnia, seipsos nunquam respicientes. Quinam deinde? homines otiosi, tardi, desides, quibus unum negotium nihil agere: pueri indulgentia paterna corrupti, puella materna disciplina ad blanditias condocefacta, juvenes in castris Cupidinis militantes, viri irato hymenao conjugati, fœmina avaritia pronuba male collocata. Quinam postea? homines negotiis privatis vel publicis immersi ac prope obruti, perpetuis jactati curarum fluctibus & incerto fortuna turbine abrepti, divertentes ad theatrum tanquam ad portum, ubi quiescant paululum. Quinam praterea? homines*

homines rixis vexati domesticis, nusquam pejus habitantes quam apud se. Comœdiam assidue vel Tragœdiam agentes cum uxore, cum liberis, cum famulis, atque ut scenas adeum privatas declinent, ad scenam theatri publicam confugientes. Quinam porro? Homines & nullius ordinis, quos neque bonos dixeris, neque malos: neque leves neque graves, neque otiosos neque laboriosos, sed consuetudini tanquam legi servientes, sic ad theatrum ut ad templa, pari considerantia, id est nulla se conferentes. Ejusmodi spectatores quis magnopere laborare credat utrum bene an male morata sit theatri Schola, in qua nihil sectantur præter sterilem & otiosam animi occupationem, vel alias etiam in scena illecebras, alios ludos, alia oblectamenta.

Hanc clarissimi Porei Orationem memorare, atque argumentum ejus breviter referre, non ab re esse existimavi inducturus binas Orationes, quas proxime in Gymnasio hujus Urbis habere publice constituit, valedictura illi & ad Academias cum laude contendens, biga nobilissimorum Juvenum, qui eximii ambo & propter ingenium, industriam probosque mores commendant se, commendabuntque bonis omnibus, Hamburgensis alter, HIERONYMUS HARTWIG MOLLERUS, qui antiquissimæ, ex qua ortum ducit, Mollerorum familiæ & magnis in patriam meritis, Consularibusque multis ac Senatoriis imaginibus speciosæ non degenerem surculum ac prolem ut præstitit hactenus, ita in posterum certissime promittit: alter LEOPOLDUS GOTTLIEB SEITZ, Megapolitanus, studio ac probitate & generoso quo animum incoctum habet honesto favorem, ac laudem omnium qui eum noverint, promeritus. His in animo est de itineribus in dissitas terras susceptis, quibus multa similia sunt cum theatri spectaculis, verba facere hunc in modum, ut prior demonstrandum sibi sumat *peregrinationes, si ita ut debent instituantur, scholas posse esse optimas virtutis, prudentiæ ac doctrinæ*: Alter vero evincat *peregrinationes ut nunc suscipiuntur a plerisque, non modo scholas neutiquam esse optimas ejusmodi, verum plus nocere quam prodesse.* Hasce igitur Orationes ut honoratissima præsentia sua ornare ac condecorare dignentur Magnifici Amplissimique Reipublicæ proceres, Consultissimi ac Nobilissimi Viri, summe plurimumque Reverendi Divinorum eloquiorum Interpretes ac Præcones, cæterique Viti omnium Ordinum Honoratissimi, submissa prece ab illis contendo, atque numerosa præstantissimorum Juvenum, Civium Gymnasii subsellia pro constante in dilectos Commilitones suos amore expeto utrique ac promitto. Hamburg. VIII. Id. April. A. C. cIↃ IↃ cc xxxIv.

JO.

JO. ALBERTI FABRICII

SS. Theol. D. & Professſ. Publ.

EPISTOLA

de beato obitu

Venerandi Senis

M. CONST. AMBROSII LEHMANNI,

per LVIII. annos Eccleſiaſtæ & Archidiaconi Doblinenſis meritiſſimi, & Diœceſeos Oſchazinæ Senioris,

Ad

Nobiliſſimum Virum

PETRUM AMBROSIUM LEHMANNUM,

Potentiſſ. Regis Polon. & Electoris Saxoniæ a Secretis Legationum,

Optimi Parentis deſiderio conturbatum & afflictum.

HAMBURGI,
Imprimebat JO. NICOLAUS GENNAGEL. 1718.

Justissimus est dolor Tuus, VIR NOBILISSIME, nec immeritus questus, quo ereptum Parentem prosequeris, ac post piam Matrem, ante biennium fato subductam Tibi, novo & iterato jam luctu Patrem etiam deploras defunctum. Quanquam enim Ille metam cursus humani videri potest quam longissimam attigisse, atque adeo maturitate tempestiva quasi vietus ac caducus venisse in Libitinæ rationes, tamen Optimi Parentis mors nunquam filii pietati tempestiva accidere potest, qui amori Tuo videbatur nunquam mori debuisse. Quamvis etiam ea fuit beati Viri in sacro munere suo, quod per annos propemodum sexaginta gessit, fides ac dexteritas, ea meritorum insignium magnitudo, ut odorem nominis, ac memoriæ suæ fragrantiam suavissimam post se reliquerit apud amantissimum gregem suum, apud Venerandos Collegas & per totam Ecclesiam: tamen maluisses Tu, si DEO ita fuisset visum, diutius etiam frui Ejus amore & consilio, nec ab Illo destitui, qui & Te impensissime amaret, & a quo Te amari unice gauderes. Quamvis præterea videtur Ejus discessus jam ferri posse moderatius, qui Te aucto honoribus, qui Rev. fratre Tuo, Successore relicto, qui cætera familia sua bene constituta, decem liberorum pater, trium ac viginti nepotum neptiumque avus, exhaustus viribus vitam DEO reddidit: tamen tam chari capitis, tam bene meriti jactura tristis esse nunquam non potest. Quamvis denique Viri ipsius vicem per placidam εὐθανασίαν in cœlestia Domini sui gaudia evocati adeo dolere non sit fas, ut gratulandum illi potius sit modis omnibus, quod pium ac fidelem servum suum, æstu diei & laboribus fessum, Christus brabeutes sub extremam vitæ vesperam quiete & sempiternis præmiis donavit: nihilominus quod a Patre dilectissimo divelleris, quod carendum Illo est Tibi, cujus charitate gaudebas, & cujus auctoritate libenter ducebaris, grave utique est mœstumque.

Non est animus congerere argumenta minuendo luctui huic Tuo, quem justissimum esse jam confessus sum: vel detergendis lacrymis, quarum ipse æquitatem libenter agnosco ac præ me fero. Nec magnæ rei solent esse, quæ plerumque sedandæ ægritudini adhibentur consolationes, cum magnam partem antequam detumuerit tristitiæ æstus, intempestivæ veniant, ideoque irritæ sint, aut illo cessante jam, ac compositis fluctibus animi parum necessariæ, magnam partem vero ineptæ prorsus ad solandum, non minus quam præficarum luctum lenocinantium lacrymæ & ejulationes ad excitandos mortuos. Præcipue vero frigidum sit, res decantatas millies, Tibique perspectissimas, & disertissimo stylo explicatas jam a multis, ambitiose commemorare apud Te, qui per Te mœstitiam Tuam ratione potius quam tempore lenire satagis, atque,

atque, cum desiderium Tuum mitigare non possis, tamen putas indignum, pro desiderii Tui studio rerum ordinem velle converti. Igitur quod naturæ debes & amori, imbecillitatique humanæ, per aliquod tempus indulges lacrymis; laxas frena dolori, & *tanquam dira passus* (*) fungeris luctu pro defuncti meritis: sed quod pietas in DEUM & ratio a Te postulat, ponis mœrori iterum modum, & acquiescis in Optimi Numinis Voluntate, tunc quoque amantis nos maxime & indulgentissime, cum vulnera infligere & ægre facere nobis cum maxime videtur. Meministi mortem non pro pœna piis, sed pro remedio datam laborum malorumque, quæ fessos carnis & sæculi absolvit miseriis, & ex ærumnosa vita per caliginosæ vallis iter deducit in serenam beatitatem cœlestium gaudiorum, Christi morte partam. Nosti, qualis nunc est vita hominum, futurum oneri mortalibus gravissimo, si mori nequeant, brevemque vitæ usum neque illis videri multum eripere qui præcesserint, nec hos qui remanserint differre usque adeo diu, suo quoslibet ordine, brevi post insecuturos. Nosti denique longe majore Te gratiarum debito obstrictum Divinæ benignitati, quod tam bonum Parentem concesserit Tibi, ac conservaverit per tam longum temporis spatium præ multis aliis millibus millenis, quam ut sit Tibi Ejus bonitas accusanda, vel de Ejus voluntate, quod jam Eum, quem dedit, repetit & ad se revocat, ingrato ac tristi murmure conquerendum.

Quod autem ad levandum desiderium absentium fieri passim solet, ut imagine picta, sculpta vel cælata aut descripta ære Illius, quem amamus, reddente effigiem utamur, eamque intueamur libenter, atque illa spectata amati virtutem nobis revocemus in memoriam, & amoris illius recordatione nosmet oblectemus: id feliciore etiam successu potest facere calamus, qui non formam quidem corporis exprimit coloribus, aut lineamenta vultus & ductus oris reddit, sed vitam & fata exponit, virtutem celebrat, merita persequitur. Igitur & ego extenuando mœroti Tuo, & molliendo desiderio nihil aliud quam Vitam Venerandi Parentis opponam, descriptam simplici stylo, fideli tamen & ita tractato, ut agnoscere formam & faciem possis, in eamque intuens, quando partibus Eum boni Christiani, ac præclare meriti Sacerdotis perfunctum esse, & felicis mariti, optimique patris familias numeros implevisse noveris, memineris que ad summam senectam rebus prosperis pervenisse, & saturum vitæ animam DEO reddidisse, defunctum non lugeas, sed etiam atque etiam gaudeas tamdiu Illo potuisse Te frui, & memoria amoris Ejus pascas animum & recrees, certusque a DEO ac salvatore suo evocatum in cœlos, pie læteris.

(*) Sirach. XXXVIII. 16.

Susceptus est in lucem, *Doblinii*, lumine illo Misniæ, ut Melanchthoni non sine caussa audit opidum, quod a duobus Osterlandiæ ocellis, Dresda atque Lipsia, æque longe distans jucundo ad Moldam situ jam a Friderici Barbarossæ temporibus claret quemadmodum celebri olim ad S. Jacobum religioso itinere, ita mercatu hodie frumenti ac jumentorum, & frequentibus pileorum pannique manufiçiis. Hujus ego opidi nunquam possum meminisse, ut non simul memoriæ meæ se offerat, qui in eodem lucem primum adspexit, desideratissimus noster D. Abrahamus Hinckelmannus, *ὁ μακαρίτης*, Pastor ad S. Catharinæ ædem doctrina ac vita insignissimus. Ibidem procreatus Venerandus Parens Tuus Anno supra millesimum sexcentesimo duodequadragesimo, die quarto Iduum Julii ante quartam matutinam, *Constantini Ambrosii* nomen in sacro baptismate tulit, Constantini ab Avo materno, a Patre, Avoque paterno Ambrosii.

Pater, Rev. Vir, *M. Ambrosius Lehmannus*, Ambrosii Prætoris Doblinensis filius, per annos viginti quatuor sacrum Diaconi munus magna cum laude in patria gessit, ita ut Ille, qui post Filium hodie successit Nepos, Frater Tuus, jam non ita multum absit a sæculi integri spatio, quo Doblinensia templa Lehmannorum voce personuerunt. Mater, *Christina Lasmannia*, ex honestissimo Parente *Constantino Lasmanno*, Notario publico Cæsareo & ærarii Ecclesiastici præfecto genita. Magistris moderatoribus pueritiæ haud pœnitendis uti Ipsi contigit, præcipue cum traditus in disciplinam est Clarissimo Lycei patrii Rectori *Christophoro Wallrichio* qui ad initiales nominis Ejus litteras alludens hoc Ei Symbolum pro quotidiana prece commendavit: *CHRISTE Adesto Laboribus Duris Meis*, quo ipso & labores non mediocres Ipsi per omne vitæ curriculum exantlandos, & Christum strenuum ac potentem futurum opitulatorem prædixit tanquam Vates.

Tredecennem excepit Athenæum celebratissimum Portense, ex quo tam multi præclari in omni genere litterarum Viri & olim prodiere, atque etiamnum quotidie prodeunt magna Ecclesiæ, Reip. & Studiorum utilitate. In illo consuetum sexennium exegit, non inficiando sub discessum testimonio industriæ mactatus, quam per illud rempus Doctoribus præclarissimis probaverat, M. *Johanni Kuhnio*, Rectori, M. *Joanni Gutbierio*, Pastori, *Joanni Bartholomeo*, Conrectori, & *Joanni Georgio Laurentio*, qui Collegæ tertii partibus tunc fungebatur.

Academicorum Studiorum sedem unicam sibi delegit Lipsiam, annos jam natus undeviginti, atque in illa optatissima Musarum sede & Duces in studiis fidelissimos peritissimosque, & amicos probos, dignosque fautores, & Patronos amantissimos reperit. In Patronis habuit Theologum doctrina ac

ac meritis inclytum, D. *Abrahamum Tellerum*, in Pastoratu ad S. Thomæ ædem decessorem magni Geieri, τὸν μακαρίτην, cujus mensâ & contubernio usus est ad ipsius obitum usque A. 1658. Nec non illustrem Virum, D. *Jo. Christophorum Marci*, Serenissimi Ducis Saxonici Martisburgensis a Consiliis intimis & Vice Cancellarium, atque Scabinorum Lipsiensium Seniorem, cui a Rev. & Clarissimo Viro, M. *Jo. Sigismundo Schwenckio*, Logicæ & Metaphysices Professore Publico, Pastore postea ac Superintendente Luneburgensi, de meliore nota commendatus, fidem & industriam in instituendis Ejus liberis probavit per omne illud tempus quo Lipsiæ deinceps commoratus, litterisque operatus est. Doctoribus ac ducibus studiorum, præter laudatum inprimis *Schwenckium*, *Reislandiumque*, & cujus privatæ institutioni ac consuetudini plurimum semper debere se fuit libenter confessus, M. *Andream Glauchium*, postea Ecclesiæ Lipsiensis ad S. Thomæ ædem Archidiaconum egregium, usus est singulari cum fructu Theologis per omnem Ecclesiam celebratissimis, D. *Hieronymo Kromayero*, D. *Martino Geiero*, D. *Friderico Rappolto*, & D. *Valentino Alberti*. Ex quorum ore dum pendet, atque lectiones eorum sive Philosophicas sive Theologicas frequentat, hauritque cupide, ecce nunciatur domo, Parentem optimum lecto affixum cum gravi morbo conflictari, qui etiam illi emortualis fuit. Igitur ad Patrem festinato itinere se contulit, & spirantem adhuc sed vehementer attrita valetudine languentem mense Martio cum invenisset, paullo post amisit, extinctum VIII. Calendar. Maji, Anni M DC LX.

Matrem viduam relictam cum novem liberis, nihil magis in gravissimo luctu solari potuit, quam Filius hic ab Amplissimo Senatu Doblinensi communibus suffragiis Beati Parentis loco in *Diaconum* cooptatus, & mox post examen peractum, supremo Senatu Ecclesiastico benevole suffragante, in sacro munere confirmatus. Auspicium sancti ministerii sui in patria cepit Dominica VII. post SS. Trinitatis festum, non sine sacro quodam horrore & submissa veneratione Divinæ Providentiæ, sed & magno ac pleno fiduciæ in DEUM animo, cujus ope eandem spartam sibi commissam, & in quo A. M DC LXXV. Rev. ac desideratissimo M. *Joanni Uhlenio*, per beatum obitum Auditoribus suis, quibus per quadraginta annos doctrina & vita præluxerat, subtracto succenturiatus fuit, *Archidiaconatum* per annos duodesexaginta ita gessit & ornavit, ut nec in fide nec in dexteritate atque industria sua quicquam passus fuerit desiderari, sed doctrina & exemplo, monendo, hortando, precando, solando, invisendo ad ægrotos & afflictos, & egenos curando boni Pastoris impleverit officium, & boni ac fidelis servi in domo DEI, ac Doctoris Evangelici partibus bene ac laudabiliter sit perfunctus

 DEO

DEO sacris ipsius laboribus benedicente, cujus opem assidue imploravit verbis Davidicis, quæ annum ipsi commissi posterioris sancti muneris memorabili chronosticho in memoriam quotidie revocabant, *SpIrItV tVo prInCIpaLI sVstenta Me DeVs.* DeIn gVter GeIst beVVahre MeIn Hertz In reChten reInen GLaVben.

A καινοφωνίαις Ecclesiam lacerantibus nihilque profuturis alienissimus, firmum ac constans hoc semper servavit propositum, ut a via regia sanæ doctrinæ nec in hanc nec in illam partem vel latum unguem deflecteret, non minus juratus hostis rixarum ac contentionum, quas ingenti scandalo gregis Christiani inter doctores vel ambitio accendit, vel alit fovetque improbum habendi studium. Quamobrem ut de beati Viri probis moribus, integritate ac zelo communis ac consentiens fama, de obsequio vero Illius ac fide testabuntur ii, quorum auctoritati observantiam ac venerationem debuit: ita de Ipsius modestia ac pacis studio singulari constabit omnibus qui eum propius noverunt, Rev. Collegis præcipue, quos licet ob longiorem vitæ metam habuit complures, quinque enim Pastores & tres Diaconos superavit vivendo, tamen semper habuit amicissimos, & nunquam dedit illis de se conquerendi occasionem: quin Ipse potius si quod sentiret in aliorum animis enasci amarius germen odii aut invidiæ, illud in herba supprimere & evellere radicitus, quantum valuit, omni studio contendit, ut non minus in Ipsum quam in B. Bernhardum quadret, quod pius ille Claræ Vallis in Gallia Abbas olim professus fuit de se:

Nullum turbavi, discordes pacificavi, *

Læsus sustinui, nec mihi complacui.

Tentationes & calamitates, quæ tam longo cursu annorum nec paucæ Eum exercuere, nec leves, adeo non potuerunt animum Ejus frangere, aut de statu dejicere, ut divina ope fretus & sustinuerit illas fortiter, superaveritque, & majus inde robur spiritus confirmatioresque vires fiduciæ in DEUM collocandæ ceperit.

In publicis ad Christianum quem erudiebat populum homiliis neutiquam versatus est negligenter, sed ea meditandi industria, & sanctum ac salutarem cibum Auditoribus suis recte apponendi ac distribuendi studio prudentiaque usus assidue, quemadmodum decet bonum dispensatorem sacrorum mysteriorum DEI. Itaque nec labori pepercit nec vigiliis, & ne quid ex usu futurum omitteret, aut ex consilio DEI cœtum suum celaret, præter solennes Epistolarum & Evangeliorum pericopas, multiplici via ac ratione per tot annos in usus auditorum explicatas, elaboratis peculiari cura sermonibus interpretatus

* Leibnitz T. 2. p. 1107. hist. Brunsw.

est

est illustravitque Epistolas S. Petri Apostoli, quarum prioris capiti tertio B. Parens Ipsius immortuus fuerat, nec non pulcherrimam ad Hebræos Epistolam, in qua CHRISTUM sacerdotem æternum æternæ redemtionis repertorem Levitici sacerdotii choragio adumbratum nobis divino ore exponit S. Paulus. Similiter Epistolam S. Judæ, atque communem supplicantis Ecclesiæ vocem ac solennem formulam, Litaniam. Augustanam Confessionem quoque, cujus explicatione cum modulationis cygneæ vice canere receptui & obsignare labores sacros suos, hocque documentum doctrinæ suæ auditoribus suis relinquere constituisset, DEO vitam benigniter ulterius prorogante, JESUM unice anhelans & dissolvi ac cum ipso versari cupiens, Concionem optimi Salvatoris in monte habitam exponendam sibi publicis sermonibus sumsit, & in hoc labore fractus denique viribus atque exhaustus defecit.

Superest ut quam felix Maritus, quam benedicta conditione Paterfamilias fuerit Beatus Pater Tuus, adeoque triplicis benedictionis vim, quam D. Tellerus primum Lipsiæ, & Doblinii, Pater maxime, deinde collega Uhlenius, omnes beatæ morti vicini, Eidem impertiverunt, largissime senserit, paucis exponam. Extitere omni ævo quos semoti tarda necessitas lethi longivivaces & annosos esse permisit: sed fuere omni ævo rari illi, & exempla admodum pauca macrobiorum, quæ pro illa breviate vitæ hominum multitudine innumerabili vel Lucianus quondam aliquis aut Phlegon, vel recentiori ætate Jannotius Manettus, Florentinus, Emanuelis ille Chrysoloræ discipulus, in opere hexabiblo de illustribus longævis celebrare potuerunt. His si addas quos Longevillius Harcuctus, Matthias Berneggerus, (*) Georgius Hackevillus, Secun-

(*) Bernegget Miscell. p. 8. seq. Hackewill of providence p 175. seq. Lancellot. l' hoggidi T. 1. p. 406. seq. Histoire des personnes qui ont vécu plusieurs siecles & qui ont rajeuni avec le secret du rajeunissement tiré d'Arnauld de Villeneuve par *Mr. de Longueville Harcouet*, à Paris 1715. 12. Mem. de Trev. 1718. Octobr. p. 629. Journal des Sav. 1715. II. p. 383. sqq. *Henrici Meibomii* Epistola de longævis. v. Acta Nat. Cur I, 3. Obs. 163. & II. 5. Obs. 15. Das remarquable und in mehr als hundert Jahren bestehende Alter vieler Personen in England, Schott- und Irrland, von *Jo. Henr. Herlino* Med. D Francof. 1720 8. v. & Lowthorps Abridgment of Philos. Transact. T. III. p. 306, ff. ubi exempla eorum qui sæculum vivendo excessere. De longævis in Regno Chinæ vid. Mem. de Trev. 1730. p. 230. *Christoph Crusii* Pastoris in Drehna, Niederlausische Methusala, oder Lebensbeschreibung eines Mannes zu Drehna in Niederlausitz, Martin Kaschen, der 117 Jahr alt worden. Guben. 1730. 4. vid. Unsch. Nachrichten 1733. p 250. Anatomia senis 120. annorum exhibetur a *Jac. Keil* in Philosophical Transactions n. 306. v. Benj. Motte Abridgment T I. P II p. 152. sq. De eruditis longævis consule *Gottlob Augusti Jenichen* specimen Bibliothecæ eruditorum longævorum. Lips. 1730. 4. *Jo Gr Leuckfeld* in historica relatione de LXXIX. eruditis atque Theologis, qui annum ætatis LXXX vel

dus

dus Lancellotus aliique commemoravere, atque speciatim ex literatis, quos refert *Reinhardus Henricus Rollius* in diatribe de eruditis climacterico magno sive anno octogesimo primo ætatis denatis, vel sacri Ordinis Viros, quorum præter eundem Rollium *Matthæus Hansius* in schediasmate A. 1712. edito de Theologis Macrobiis in vel ex Lusatia, atque alii de hoc argumento Scriptores, perpaucos utique reperies. Pauciores etiam quibus illa contigit felicitas, ut tantam ætatem cum una eademque exigere dilecta conjuge, & Jubilæum gamicum quinquagesimo conjugii anno celebrare auspicato potuerint, cujus exempla nonnulla pridem ab aliis commemorata, (*) utique macrobiis ipsis longe rariora deprehenduntur. Paucissimos denique qui ad illam ætatem rebus lætis tanta animorum concordia & numerosæ prolis ac vivacis susceptæ prosperitate pervenerint, ut longa dies nihil attulerit ob quod tamdiu vixisse eos & una vixisse pœniteret. Quæ omnia Beato Parenti Tuo cum Divina benignitas sit largita, vicem ejus conditione multorum millenorum maritorum patrorumque familias feliciorem prædicandam jure merito, negare nemo poterit.

Connubio Eum junxit stabili DEUS Ao. MDCLXII. Idibus Sept. cum Vir-

XC vivendo attigerunt ad D. Jo. Fabricium Theologum Helmstadiensem, cum annum ætatis LXXX. ingrederetur 1723. 4. *Jo Christian. Blumium* in Jubilæo Theologorum emeritorum Lipf. 1710. 8. Act. Erud. T. V Suppl, p. 93. *Christoph Wintzers* Andencken einiger 50 jährigen Prediger in der Niederlausnitz. Witteb. 1727. 4. Unsch. Nachr. 1728. p. 294. Auserles. Theol. Bibl. T. III. p. 349. *Gabriel Hanitschen* von dem fatis der Pfarrer zu Limbach Oschatzer Ephorie nebst unterschiedener 50 jähriger Lehrer und anderer Merckwürdigkeiten. Dresd. 1720. 8. *Jo. Matth. Grossi* Lexicon Evangelischer Jubel Prister. Nurnb. 1727. 4. P. I. (Pastoris Jacobæi *Erdmanni Neumeisteri*) Glückwünschungs Carmen an Pet. Theod. Seelmann, Seniorem Hamb. als er A. 1728. sein 50stes Jahr sacri Ministerii celebrirte. T. VI. Memor. Hamb. *Polyc. Lyseri* Superintendentis Cellensis liber de Doctoribus Ecclesiæ Evangelicæ longævis, promissus in Unsch. Nacht. 1707. p. 793. non vidit lucem. De Petro Vignalio Ex-Judæo Linguæ Hebrææ Prof. Regio Parisiensi per 50 annos, ætatis 105 mortuo vide S. R. Wolfii Bibl. Hebr. T. IV. p. 952. sq. Memorabile quoque est quod legitur in der Auserles. Theol. Bibliothec. T. VI. p. 494. apud Wisbyenses in Gothlandia A. 17[illegible] obiisse Nicolaum Oxenwald Pastorem per annos 52, eundemque generum antecessoris sui Nic Laurentii, Pastoris per annos 64, qui gener fuit Joannis Buun, antecessoris sui & Pastoris ibidem per annos 72. De Jo. Corvero per 50 annos Senatore & sæpius Cos. Amstelod. vid. Rep. der Geleerden A. 1716. p. 176.

(*) Aufgefangene Briefe III p. 919. sq. Neubestellter Agent T. 2. p. 679. sq Numi Jubilæi Gamici a Jo. Christ. Kundmanno collecti, Breslau 1734. 4. Jo. Mich. Raabens Cos. Rotenburgensis numus in Jubilæum Gamicum A. 1734. vide in Jo. Dav, Kœleri Müntzbelustigung T. VI. p. 97. alii tres in alios p 420. de numo in Jo. Sigism. ab Haunold Reip. Vratislav. Præsidem v. Act. Erud. T. V. Supplem. p. 180. Adde Silvere en goude Bruilosten. Lettres serieuses & badines. T. VI. p. 159. 163.

gine

gine Nobilissima *Sabina*, *Petri Hoferi*, præfecti Electoralis Xenodochei, Consulisque Doblinensis filia. Hanc decuplicis prolis Matrem habuit tori sociam per annos quatuor & quinquaginta, nec satis diu cum Ea vixisse sibi est visus, quum morte Illius afflictus Anno MDCCXVI. XVI. Cal. Decembr. exequias Ei parare undeoctoginta annorum senex cogeretur. Jubilæi gamici læta cum ea recoluerat solennia Anno MCCXII. cum jam ante biennium Ao. MDCCX. Jubilæum Sacerdotale, exactorum in sacro munere quinquaginta annorum, grata in DEUM mente obierat, cui publice duplici memorabili scripto edito applaudit ac gratulatûs est Venerandus Lubecensium Ecclesiarum Præsul doctrina & meritis celebratissimus D. Georgius Henricus Gœzius, (*) cum quo longa & constans Beato Viro intercessit amicitia.

Ex decem liberis tres fuere filii, septem filiæ. Inter filios medius natu *Emanuel* ex incunabulis post semestre spatium, a quo lucem adspexerat, DEO redditus parentes cura ac sollicitudine longioris educationis sublevavit. Ex filiabus itidem media nascendi ordine *Rosina* pulcherrimo in flore ætatis, anno decimo septimo erepta rebus humanis, & natu minima *Anna Catharina* statim post sacrum baptismatis lavacrum susceptum in cœlos evolarunt. Cæteros cæterasque omnes matura ætate & fortunis laribusque bene constitutis florentes vidit magno suo cum gaudio, rara conditionis humanæ felicitate. Te, VIR NOBILISSIME, primam progeniem suam, amplissima ornatum dignitate, & rerum usu ac cognitione valentem, scriptisque pluribus editis clarum, quibus & Historiæ jurique publico & numariæ ac literariæ notitiæ lux haud mediocris accenditur. Fratremque Tuum Rev. Virum *M. Constantinum*, filium tertio genitum, jam emerito sibi in sacro munere succenturiatum, ex quo nepotem Ambrosium, neptesque tres, Sophiam Concordiam, ante trimestre eheu extinctam, Johannamque Christinam & Charlottam Elisabetham exosculari Ipsi licuit, proles susceptas ex conjuge Joanna Sophia, filia Nobilissimi Viri B. Jo. Christiani Zimmermanni, hæreditarii Domini in Kiebitz & Neudorff, præfectique Ele[c]toralis Xenodochei ad S. Georgii fanum, & communium ex rebus quotidianis vectigalium Coinspectotis, Consulisque Doblinensis. Filias præterea, *Sabinam Christinam* maritatam Georgio Richtero, celebri organorum

(*) Sendschreiben an einen wohlverdienten ein und funfftzigjährigen Döbelischen Prediger, in welchem von unterschiedenen funfftzigjährigen und andern Lehrern gehandelt und deren Fata erzehlet werden. Lübeck 1712. 8. Die denckwürdige Prediger Frau, bey der am 13. Sept. A. 1712. in Döbeln angestellten Lehmann und Höferischen Jubel-Freude. ibid. 8. vid. Ejusd. Christ-Priesterliche Jubel Freude, in ejusdem Döbelischen Jubel-Actis. 4. & Ejusdem Theologus semisecularis. 12.

Musicorum fabro, & sex liberorum matrem, e quibus tres spiritu posito modum naturæ expleverunt, tres Jo. Georgius, patris in arte æmulus, Jo. Christophorus & Maria Sophia adhuc feliciter superant. *Mariam Dorotheam* superstitem beato marito suo cui nupta fuerant Rudolpho Herfarto, Prætori Ossitiensi sive Olchatzino, ex quo duos filios totidemque filias cum pepetisset, sola Dorothea Christina excepta, omnes in cœlum ad Patrem conjugemque reditura præmisit. *Annam Sophiam*, Nobilissimi Viri Jo. Emanuelis Riedelii JCti & Syndici Doblinensis Conjugem, quæ A. MDCCVII. X. Cal. Dec. extincta quadruplicis sobolis mater duos tantum superstites reliquit, filium Emanuelem Constantium in Lyceo Portensi literis operantem, & Annam Sophiam filiam. *Joannam Barbaram*, matrimonio junctam cum Jo. Adolpho Pietschio honestissimo viro & mercatore in eadem civitate Doblinensi. *Mariam Elisabetham* denique in conjugium datam Rev. Viro M. Christiano Kuntzenio, Pastori Ecclesiæ Sonzigensis, sed paucis ante Parentem hebdomadis VII. Cal. Maj. hujus ipsius anni MDCCXVIII. cœlitibus adscriptam, procreatricemque sex liberorum, e quibus etiamnum vitali fruuntur aura, ac diu feliciter, precor, fruantur, Christina Elisabetha, Josephus Timotheus, Christianus & Constantinus Ambrosius.

Finem laborum optimi Senis attulit, animumque anhelantem cœlestia, effœti vinculis corporis relaxavit dies vigesimus Junii, quo ipso ad plenum Illi a DEO fides facta est promissi pio ac fideli suo servo ab omni tempore dati: *longitudine dierum satiabo eum, denique efficiam ut fruatur salute mea.* (*) Vixit annos LXXIX. menses X. dies XXV. adeoque a termino, quem longissimum vitæ humanæ pronunciat divinus scriptor Moyses, quam proxime absuit, jam deinceps cum CHRISTO æternum victurus.

Hæc igitur, VIR NOBILISSIME, cogitans Beatissimum Parentem Tuum illa conditione, anno ætatis octogesimo, mortali sorte exsolutum, non lacrymis jam amplius prosequendum & quiritationibus, sed inter futuræ conjunctionis spem ad desideria, laudibus ac gratulatione decorandum, perennique memoriæ commendandum merito judicabis.

Hambug. Idib. Sept. A. C. cIɔ Iɔ ccxvIII.

(*) Psal. XCI. 6.

FINIS.

INDEX

INDEX
Auctorum & Rerum.

Susceptus est in lucem, *Doblinii*, lumine illo Misniæ, ut Melanchthoni non sine caussa audit opidum, quod a duobus Osterlandiæ ocellis, Dresda atque Lipsia, æque longe distans jucundo ad Moldam situ jam a Friderici Barbarossæ temporibus claret quemadmodum celebri olim ad S. Jacobum religioso itinere, ita mercatu hodie frumenti ac jumentorum, & frequentibus pileorum pannique manuficiis. Hujus ego opidi nunquam possum meminisse, ut non simul memoriæ meæ se offerat, qui in eodem lucem primum adspexit, desideratissimus noster D. Abrahamus Hinckelmannus, *ὁ μακαρίτης*, Pastor ad S. Catharinæ ædem doctrina ac vita insignissimus. Ibidem procreatus Venerandus Parens Tuus Anno supra millesimum sexcentesimo duodequadragesimo, die quarto Iduum Julii ante quartam matutinam, *Constantini Ambrosii* nomen in sacro baptismate tulit, Constantini ab Avo materno, a Patre, Avoque paterno Ambrosii.

Pater, Rev. Vir, *M. Ambrosius Lehmannus*, Ambrosii Prætoris Doblinensis filius, per annos viginti quatuor sacrum Diaconi munus magna cum laude in patria gessit, ita ut Ille, qui post Filium hodie successit Nepos, Frater Tuus, jam non ita multum absit a sæculi integri spatio, quo Doblinensia templa Lehmannorum voce personuerunt. Mater, *Christina Lasmannia*, ex honestissimo Parente *Constantino Lasmanno*, Notario publico Cæsareo & ærarii Ecclesiastici præfecto genita. Magistris moderatoribus pueritiæ haud pœnitendis uti Ipsi contigit, præcipue cum traditus in disciplinam est Clarissimo Lycei patrii Rectori *Christophoro Wallrichio* qui ad initiales nominis Ejus litteras alludens hoc Ei Symbolum pro quotidiana prece commendavit: *CHRISTE Adesto Laboribus Duris Meis*, quo ipso & labores non mediocres Ipsi per omne vitæ curriculum exantlandos, & Christum strenuum ac potentem futurum opitulatorem prædixit tanquam Vates.

Tredecennem excepit Athenæum celebratissimum Portense, ex quo tam multi præclari in omni genere litterarum Viri & olim prodiere, atque etiamnum quotidie prodeunt magna Ecclesiæ, Reip. & Studiorum utilitate. In illo consuetum sexennium exegit, non inficiando sub discessum testimonio industriæ mactatus, quam per illud tempus Doctoribus præclarissimis probaverat, M. *Johanni Kuhnio*, Rectori, M. *Joanni Gutbierio*, Pastori, *Joanni Bartholomeo*, Conrectori, & *Joanni Georgio Laurentio*, qui Collegæ tertii partibus tunc fungebatur.

Academicorum Studiorum sedem unicam sibi delegit Lipsiam, annos jam natus undeviginti, atque in illa optatissima Musarum sede & Duces in studiis fidelissimos peritissimosque, & amicos probos, dignosque fautores, & Patronos amantissimos reperit. In Patronis habuit Theologum doctrina

ac

ac meritis inclytum, *D. Abrahamum Tellerum*, in Pastoratu ad S. Thomæ ædem decessorem magni Geieri, τὸν μακαρίτην, cujus mensa & contubernio usus est ad ipsius obitum usque A. 1658. Nec non illustrem Virum, *D. Jo. Christophorum Marci*, Serenissimi Ducis Saxonici Martisburgensis a Consiliis intimis & Vice Cancellarium, atque Scabinorum Lipsiensium Seniorem, cui a Rev. & Clarissimo Viro, M. *Jo. Sigismundo Schwenckio*, Logicæ & Metaphysices Professore Publico, Pastore postea ac Superintendente Luneburgensi, de meliore nota commendatus, fidem & industriam in instituendis Ejus liberis probavit per omne illud tempus quo Lipsiæ deinceps commoratus, litterisque operatus est. Doctoribus ac ducibus studiorum, præter laudatum inprimis *Schwenckium*, *Reislandiumque*, & cujus privatæ institutioni ac consuetudini plurimum semper debere se fuit libenter confessus, M. *Andream Glauchium*, postea Ecclesiæ Lipsiensis ad S. Thomæ ædem Archidiaconum egregium, usus est singulari cum fructu Theologis per omnem Ecclesiam celebratissimis, D. *Hieronymo Kromayero*, D. *Martino Geiero*, D. *Friderico Rappolto*, & D. *Valentino Alberti*. Ex quorum ore dum pendet, atque lectiones eorum sive Philosophicas sive Theologicas frequentat, hauritque cupide, ecce nunciatur domo, Parentem optimum lecto affixum cum gravi morbo conflictari, qui etiam illi emortualis fuit. Igitur ad Patrem festinato itinere se contulit, & spirantem adhuc sed vehementer attrita valetudine languentem mense Martio cum invenisset, paullo post amisit, extinctum VIII. Calendar. Maji, Anni M DC LX.

Matrem viduam relictam cum novem liberis, nihil magis in gravissimo luctu solari potuit, quam Filius hic ab Amplissimo Senatu Doblinensi communibus suffragiis Beati Parentis loco in *Diaconum* cooptatus, & mox post examen peractum, supremo Senatu Ecclesiastico benevole suffragante, in sacro munere confirmatus. Auspicium sancti ministerii sui in patria cepit Dominica VII. post SS. Trinitatis festum, non sine sacro quodam horrore & submissa veneratione Divinæ Providentiæ, sed & magno ac pleno fiduciæ in DEUM animo, cujus ope eandem spartam sibi commissam, & in quo A. M DC LXXV. Rev. ac desideratissimo M. *Joanni Uhlenio*, per beatum obitum Auditoribus suis, quibus per quadraginta annos doctrina & vita præluxerat, subtracto succenturiatus fuit, *Archidiaconatum* per annos duodesexaginta ita gessit & ornavit, ut nec in fide nec in dexteritate atque industria sua quicquam passus fuerit desiderari, sed doctrina & exemplo, monendo, hortando, precando, solando, invisendo ad ægrotos & afflictos, & egenos curando boni Pastoris impleverit officium, & boni ac fidelis servi in domo DEI, ac Doctoris Evangelici partibus bene ac laudabiliter sit perfunctus

 DEO

DEO sacris ipsius laboribus benedicente, cujus opem assidue imploravit verbis Davidicis, quæ annum ipsi commissi posterioris sancti muneris memorabili chronosticho in memoriam quotidie revocabant, *SpIrItV tVo prInCIpaLI sVstenta Me DeVs.* DeIn gVter GeIst beVVahre MeIn Hertz In reChten reInen GLaVben.

A καινοφωνίαις Ecclesiam lacerantibus nihilque profuturis alienissimus, firmum ac constans hoc semper servavit propositum, ut a via regia sanæ doctrinæ nec in hanc nec in illam partem vel latum unguem deflecteret, non minus juratus hostis rixarum ac contentionum, quas ingenti scandalo gregis Christiani inter doctores vel ambitio accendit, vel alit fovetque improbum habendi studium. Quamobrem ut de beati Viri probis moribus, integritate ac zelo communis ac consentiens fama, de obsequio vero Illius ac fide testabuntur ii, quorum auctoritati observantiam ac venerationem debuit: ita de Ipsius modestia ac pacis studio singulari constabit omnibus qui eum propius noverunt, Rev. Collegis præcipue, quos licet ob longiorem vitæ metam habuit complures, quinque enim Pastores & tres Diaconos superavit vivendo, tamen semper habuit amicissimos, & nunquam dedit illis de se conquerendi occasionem: quin Ipse potius si quod sentiret in aliorum animis enasci amarius germen odii aut invidiæ, illud in herba supprimere & evellere radicitus, quantum valuit, omni studio contendit, ut non minus in Ipsum quam in B. Bernhardum quadret, quod pius ille Claræ Vallis in Gallia Abbas olim professus fuit de se:

Nullum turbavi, discordes pacificavi, *
Læsus sustinui, nec mihi complacui.

Tentationes & calamitates, quæ tam longo cursu annorum nec paucæ Eum exercuere, nec leves, adeo non potuerunt animum Ejus frangere, aut de statu dejicere, ut divina ope fretus & sustinuerit illas fortiter, superaveritque, & majus inde robur spiritus confirmatioresque vires fiduciæ in DEUM collocandæ ceperit.

In publicis ad Christianum quem erudiebat populum homiliis neutiquam versatus est negligenter, sed ea meditandi industria, & sanctum ac salutarem cibum Auditoribus suis recte apponendi ac distribuendi studio prudentiaque usus assidue, quemadmodum decet bonum dispensatorem sacrorum mysteriorum DEI. Itaque nec labori pepercit nec vigiliis, & ne quid ex usu futurum omitteret, aut ex consilio DEI cœtum suum celaret, præter solennes Epistolarum & Evangeliorum pericopas, multiplici via ac ratione per tot annos in usus auditorum explicatas, elaboratis peculiari cura sermonibus interpretatus

* Leibnitz T. 2. p. 1107. hist. Brunsw.

est

est illustravitque Epistolas S. Petri Apostoli, quarum prioris capiti tertio B. Parens Ipsius immortuus fuerat, nec non pulcherrimam ad Hebræos Epistolam, in qua CHRISTUM sacerdotem æternum æternæ redemtionis repertorem Levitici sacerdotii choragio adumbratum nobis divino ore exponit S. Paulus, Similiter Epistolam S. Judæ, atque communem supplicantis Ecclesiæ vocem ac solennem formulam, Litaniam. Augustanam Confessionem quoque, cujus explicatione cum modulationis cygneæ vice canere receptui & obsignare labores sacros suos, hocque documentum doctrinæ suæ auditoribus suis relinquere constituisset, DEO vitam benigniter ulterius protogante, JESUM unice anhelans & dissolvi ac cum ipso versari cupiens, Concionem optimi Salvatoris in monte habitam exponendam sibi publicis sermonibus sumsit, & in hoc labore fractus denique viribus atque exhaustus defecit.

Superest ut quam felix Maritus, quam benedicta conditione Paterfamilias fuerit Beatus Pater Tuus, adeoque triplicis benedictionis vim, quam D. Tellerus primum Lipsiæ, & Doblinii, Pater maxime, deinde collega Uhlenius, omnes beatæ morti vicini, Eidem impertiverunt, largissime senserit, paucis exponam. Extitere omni ævo quos semori tarda necessitas lethi longivivaces & annosos esse permisit: sed fuere omni ævo rari illi, & exempla admodum pauca macrobiorum, quæ pro illa breviate vitæ hominum multitudine innumerabili vel Lucianus quondam aliquis aut Phlegon, vel recentiori ætate Jannotius Manettus, Florentinus, Emanuelis ille Chrysoloræ discipulus, in opere hexabiblo de illustribus longævis celebrare potuerunt. His si addas quos Longevillius Harcuetus, Matthias Berneggerus, (*) Georgius Hackevillus, Secun-

(*) Bernegger Miscell. p. 8. seq. Haekewill of providence p 175. seq. Lancellot. l' hoggidi T. 1. p. 406. seq. Histoire des personnes qui ont vécu plusieurs siecles & qui ont rajeuni avec le secret du rajeunissement tiré d'Arnauld de Villeneuve par *Mr. de Longueville Harcouet*, à Paris 1715. 12. Mem. de Trev. 1718 Octobr. p. 629. Journal des Sav. 1715. II. p. 383. sqq. *Henrici Meibomii* Epistola de longævis. v. Acta Nat. Cur I. 3. Obs. 163. & II. 3. Obs. 15. Das remarquable und in mehr als hundert Jahren bestehende Alter vieler Personen in England, Schott- und Irrland, von *Jo. Henr. Herlino* Med. D Francof. 1720 8. v. & Lowthorps Abridgment of Philos. Transact. T. III. p. 306, ss. ubi exempla eorum qui sæculum vivendo excessere. De longævis in Regno Chinæ vid. Mem. de Trev. 1730. p. 230. *Christoph Crusii* Pastoris in Drehna, Niederlausische Methusala, oder Lebensbeschreibung eines Mannes zu Drehna in Niederlausnitz, Martin Kaschen, der 117 Jahr alt worden. Guben. 1730. 4. vid. Unsch. Nachrichten 1733. p 250. Anatomia senis 120. annorum exhibetur a *Jac. Keil* in Philosophical Transactions n. 306. v. Bemi. Motte Abridgment T I. P II p. 152. sq. De eruditis longævis consule *Gottlob Augusti Jeniehen* specimen Bibliothecæ eruditorum longævorum. Lips. 1730. 4. *Jo. Ge Leuckfeld* in historica relatione de LXXIX. eruditis atque Theologis, qui annum ætatis LXXX vel

dus

dus Lancellotus aliique commemoravere, atque speciatim ex literatis, quos refert *Reinhardus Henricus Rollius* in diatribe de eruditis climacterico magno sive anno octogesimo primo ætatis denatis, vel sacri Ordinis Viros, quorum præter eundem Rollium *Matthæus Hansius* in schediasmate A. 1712. edito de Theologis Macrobiis in vel ex Lusatia, atque alii de hoc argumento Scriptores, perpaucos utique reperies. Pauciores etiam quibus illa contigit felicitas, ut tantam ætatem cum una eademque exigere dilecta conjuge, & Jubilæum gamicum quinquagesimo conjugii anno celebrare auspicato potuerint, cujus exempla nonnulla pridem ab aliis commemorata, (*) utique macrobiis ipsis longe rariora deprehenduntur. Paucissimos denique qui ad illam ætatem rebus lætis tanta animorum concordia & numerosæ prolis ac vivacis susceptæ prosperitate pervenerint, ut longa dies nihil attulerit ob quod tamdiu vixisse eos & una vixisse pœniteret. Quæ omnia Beato Parenti Tuo cum Divina benignitas sit largita, vicem ejus conditione multorum millenorum maritorum patrorumque familias feliciorem prædicandam jure merito, negare nemo poterit.

Connubio Eum junxit stabili DEUS Ao. MDCLXII. Idibus Sept. cum Vir-

XC vivendo attigerunt ad D. Jo. Fabricium Theologum Helmstadiensem, cum annum ætatis LXXX. ingrederetur 1723. 4. *Jo Christian. Blumium* in Jubilæo Theologorum emeritorum Lips. 1710. 8. Act. Erud. T. V Suppl, p. 93. *Christoph Wintzers* Andencken einiger 50 jährigen Prediger in der Niederlausnitz. Witteb. 1727. 4. Unsch. Nachr. 1728. p. 294. Auserles. Theol. Bibl. T. III. p. 349. *Gabriel Hanitschen* von dem fatis der Pfarrer zu Limbach Oschatzer Ephorie nebst unterschiedener 50 jähriger Lehrer und anderer Merckwürdigkeiten. Dresd. 1720. 8. *Jo. Matth. Grossii* Lexicon Evangelischer Jubel Prister. Nurnb. 1727. 4. P. I. (Pastoris Jacobæi *Erdmanni Neumeisteri*) Glückwünschungs Carmen an Pet. Theod. Seelmann, Seniorem Hamb. als er A. 1728. sein 50stes Jahr sacri Ministerii celebrirte. T. VI. Memor. Hamb. *Polyc. Lyseri* Superintendentis Cellensis liber de Doctoribus Ecclesiæ Evangelicæ longævis, promissus in Unsch. Nachr. 1707. p. 793. non vidit lucem. De Petro Vignalio Ex-Judæo Linguæ Hebrææ Prof. Regio Parisiensi per 50 annos, ætatis 105 mortuo vide S. R. Wolfii Bibl. Hebr. T. IV. p. 952. sq. Memorabile quoque est quod legitur in der Auserles. Theol. Bibliothec. T. VI. p. 494. apud Wisbyenses in Gothlandia A. 170.. obiisse Nicolaum Oxenwald Pastorem per annos 52, eundemque generum antecessoris sui Nic Laurentii, Pastoris per annos 64, qui gener fuit Joannis Bunn, antecessoris sui & Pastoris ibidem per annos 72. De Jo. Corvero per 50 annos Senatore & sæpius Cos. Amstelod. vid. Rep. der Geleerden A. 1716. p. 176.

(*) Ausgefangene Briefe III p. 919. sq. Neubestellter Agent T. 2. p. 679. sq Numi Jubilæi Gamici a Jo. Christ. Kundmanno collecti, Breslau 1734. 4. Jo. Mich. Raabens Cos. Rotenburgensis numus in Jubilæum Gamicum A. 1734. vide in Jo Dav. Kœleri Müntzbelustigung T. VI. p. 97. alii tres in alios p 420. de numo in Jo. Sigism. ab Haunold Reip. Vratislav. Præsidem v. Act. Erud. T. V. Supplem. p. 180. Adde Silvere en goude Bruiloften. Lettres serieuses & badines. T. VI. p. 159. 163.

gine

gine Nobilissima *Sabina*, *Petri Hoferi*, præfecti Electoralis Xenodochei, Consulisque Doblinensis filia. Hanc decuplicis prolis Matrem habuit tori sociam per annos quatuor & quinquaginta, nec satis diu cum Ea vixisse sibi est visus, quum morte Illius afflictus Anno MDCCXVI. XVI. Cal. Decembr. exequias Ei parare undeoctoginta annorum senex cogeretur. Jubilæi gamici læta cum ea recoluerat solennia Anno MCCXII. cum jam ante biennium Ao. MDCCX. Jubilæum Sacerdotale, exactorum in sacro munere quinquaginta annorum, grata in DEUM mente obierat, cui publice duplici memorabili scripto edito applaudit ac gratulatus est Venerandus Lubecensium Ecclesiarum Præsul doctrina & meritis celebratissimus D. Georgius Henricus Gœzius, (*) cum quo longa & constans Beato Viro intercessit amicitia.

Ex decem liberis tres fuere filii, septem filiæ. Inter filios medius natu *Emanuel* ex incunabulis post semestre spatium, a quo lucem adspexerat, DEO redditus parentes cura ac sollicitudine longioris educationis sublevavit. Ex filiabus itidem media nascendi ordine *Rosina* pulcherrimo in flore ætatis, anno decimo septimo erepta rebus humanis, & natu minima *Anna Catharina* statim post sacrum baptismatis lavacrum susceptum in cœlos evolarunt. Cæteros cæterasque omnes matura ætate & fortunis laribusque bene constitutis florenres vidit magno suo cum gaudio, rara conditionis humanæ felicitate. Te, VIR NOBILISSIME, primam progeniem suam, amplissima ornatum dignitate, & rerum usu ac cognitione valentem, scriptisque pluribus editis clarum, quibus & Historiæ jurique publico & numariæ ac literariæ notitiæ lux haud mediocris accenditur. Fratremque Tuum Rev. Virum *M. Constantinum*, filium tertio genitum, jam emerito sibi in sacro munere succenturiatum, ex quo nepotem Ambrosium, neptesque tres, Sophiam Concordiam, ante trimestre eheu extinctam, Johannamque Christinam & Charlottam Elisabetham exosculari Ipsi licuit, proles susceptas ex conjuge Joanna Sophia, filia Nobilissimi Viri B. Jo. Christiani Zimmermanni, hæreditarii Domini in Kiebitz & Neudorff, præfectique Ele‑ oralis Xenodochei ad S. Georgii fanum, & communium ex rebus quotidianis vectigalium Coinspectoris, Consulisque Doblinensis. Filias præterea, *Sabinam Christinam* maritatam Georgio Richtero, celebri organorum

(*) Sendschreiben an einen wohlverdienten ein und funffzigjährigen Döbelischen Prediger, in welchem von unterschiedenen funffzigjährigen und andern Lehrern gehandelt und deren Fata erzehlet werden. Lübeck 1712. 8. Die denckwürdige Prediger Frau, bey der am 13. Sept. A. 1712. in Döbeln angestellten Lehmann und Höferischen Jubel-Freude. ibid. 8. vid. Ejusd. Christ-Priesterliche Jubel Freude, in ejusdem Döbelischen Jubel-Actis. 4. & Ejusdem Theologus semisecularis. 12.

Musicorum fabro, & sex liberorum matrem, e quibus tres spiritu posito modum naturæ expleverunt, tres Jo. Georgius, patris in arte æmulus, Jo. Christophorus & Maria Sophia adhuc feliciter supersunt. *Mariam Dorotheam* superstitem beato marito suo cui nupta fuerant Rudolpho Herfarto, Prætori Ossitiensi sive Olchatzino, ex quo duos filios totidemque filias cum peperisset, sola Dorothea Christina excepta, omnes in cœlum ad Patrem conjugemque reditura præmisit. *Annam Sophiam*, Nobilissimi Viri Jo. Emanuelis Riedelii JCti & Syndici Doblinensis Conjugem, quæ A. MDCCVII. X. Cal. Dec. extincta quadruplicis sobolis mater duos tantum superstites reliquit, filium Emanuelem Constantium in Lyceo Portensi literis operantem, & Annam Sophiam filiam. *Joannam Barbaram*, matrimonio junctam cum Jo. Adolpho Pietschio honestissimo viro & mercatore in eadem civitate Doblinensi. *Mariam Elisabetham* denique in conjugium datam Rev. Viro M. Christiano Kuntzenio, Pastori Ecclesiæ Sonzigensis, sed paucis ante Parentem hebdomadis VII. Cal. Maj. hujus ipsius anni MDCCXVIII. cœlitibus adscriptam, procreatricemque sex liberorum, e quibus etiamnum vitali fruuntur aura, ac diu feliciter, precor, fruantur, Christina Elisabetha, Josephus Timotheus, Christianus & Constantinus Ambrosius.

Finem laborum optimi Senis attulit, animumque anhelantem cœlestia, effœti vinculis corporis relaxavit dies vigesimus Junii, quo ipso ad plenum Illi a DEO fides facta est promissi pio ac fideli suo servo ab omni tempore dati: *longitudine dierum satiabo eum, denique efficiam ut fruatur salute mea.*(*) Vixit annos LXXIX. menses X. dies XXV. adeoque a termino, quem longissimum vitæ humanæ pronunciat divinus scriptor Moyses, quam proxime abfuit, jam deinceps cum CHRISTO æternum victurus.

Hæc igitur, VIR NOBILISSIME, cogitans Beatissimum Parentem Tuum illa conditione, anno ætatis octogesimo, mortali sorte exsolutum, non lacrymis jam amplius prosequendum & quiritationibus, sed inter futuræ conjunctionis spem ad desideria, laudibus ac gratulatione decorandum, perennique memoriæ commendandum merito judicabis.

Hambug. Idib. Sept. A. C. cIɔ Iɔ ccxvIII.

(*) Psal. XCI. 16.

FINIS.

INDEX

INDEX
Auctorum & Rerum.

B.

Brach-

C.

Compa-

Marty-

Hof-

J.

K.

L.

M.

Mor-

Peccata

Lucas

Q.

R.

Torinus

FINIS.